

lium asciverat, aleret. Nec dubium quin patrimonio hoc ei a parentibus venerit; ipse enim Christianæ philosophiæ deditus non alia conquirebat bona quam quibus animus excoleretur.

« 4. Omnibus qui de eo scribunt, convenit domi in patria primæ litteraturæ fundamenta posuisse; deinde peregrinatum in Gallias Parisiis melioribus magistris operam dedisse; ac demum in patriam reversum Oxonii ludum aperuisse, et Henrici primi (qui quod litteris faveret, et litteratus ipse esset *Ben Clerte*, id est bonus clericus dictus est) favore et gratia usum instaurasse Academiam quæ ibidem penitus collapsa fuerat.

« 5. Hariolatio itaque est, non ex vero dictum, quod quidam nostratum fingunt, Pullenum spontaneo exsilio patriam mutasse sub Stephano rege bella fugientem; ac tunc demum pacatis rebus, Oxonii docere cœpisse cum a Parisiensi peregrinatione redisset. Verius est reditum ei fuisse in patriam et ad Academiam Oxoniensem sub Henrico primo. Nam qui Henrici I beneficia, et Pulleni labores in restauranda academia Oxoniensi divulgavit, et in diversa tempora conjecerit, difficile ei erit Historias et tempora conciliare.

« 6. Henrici ergo I auspiciis, et Roberti Pulleni maxime industria Oxonii reflorescere cœperunt studia circa annum Domini 1129, renuitque Pullenus Oxonii cathedram per decennium et ultra: postea ab Innocentio II Romam accersitus, a Cœlestino ejus

A successore (5) cardinalis creatus tituli S. Eusebii anno 1144 ac demum per Lucium II cancellarius S. Romanæ Ecclesiæ constitutus. Erat quippe Pullenus omni quidem litteratura instructissimus, ea vero in primis quæ in interpretandis Patrum et pontificum scitis versatur. Nec solertiam ejus in rebus agendis impediabant speculationes theoricæ. Unde merito quidam suspicantur ab illo concepta Innocentii II et Eugenii III responsa de rebus sacris.

« 7. Discessit Pullenus e vita plenus dierum et honorum, quibus eum cumulaverant, domi quidem Henricus rex, Romæ vero pontifices summi Innocentius II, Cœlestinus II, Lucius II et Eugenius III.

« 8. Hic omnium primus fuit ex Anglia Romanæ Ecclesiæ cardinalis; nisi forte Ulricum quemdam ei prætuleris. Sed de Pulleno res certa est, de Ulrico dubia.

« 9. Oxonii ad nostra usque tempora celebratur Pulleni memoria non annuis tantum et solemnibus scholarium panegyricis, sed testimoniis etiam multo gravioribus. Et certe qui Oxoniensis studii natales qui paulo magis formati sunt, ultra vel supra Robertum Pullenum efferunt et deprædicant, næ illi vix fabulas effugiunt.

« 10. Scripta ab eo per Balæum et Pithsæum sæculo XII in Pulleno, et a Nomenclatore cardinalium sub Cœlestino II, pagina 13, enumerantur ista, etc., ut supra. Hæc ille.

(5) Sed in hoc præferenda videtur Onuphrii Panvini sententia.

ROBERTI PULLI

S. R. E. CARDINALIS ET CANCELLARII

SENTENTIARUM

LIBRI OCTO.

(Opp. Roberti Pulli et Petri Pictaviensis, academiæ Parisiensis olim cancellarii, curante Hugone MATROUD, monacho Benedicto. — Parisiis 1655, fol.)

1 INCIPIT PROLOGUS.

Ut in hoc volumine lectori facile quod quæsierit occurrat, hæ præmittuntur, distinctiones, in quibus summatim prælibantur, quæ in sequentibus latius tractantur. Liber autem iste in VIII partes est divisus, quarum totidem sunt hæ prænotationes: singulæ vero partes in capitula sunt decisæ. His autem distinctionibus numeri crebro inseruntur, qui postea singulis capitulis prænotati inveniuntur ut sic evidenter comperiatur, quis hic locus sequentibus competat tractatibus.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES PRIMÆ PARTIS.

CAP. I. In prima parte ostenditur Deum esse, et initium subsistendi non habere: non esse contrariorum susceptibilem, et per se, non per aliud existentem.

CAP. II. Ibidem etiam interseritur contra idololatriæ cæcitatem; quæ et quanta sequerentur inconvenientia, si dii plures essent, et sic tantum unum Deum esse evincitur.

CAP. III. Tres esse personas subjungitur: quod diligenter investigatur et subtiliter; et proprietates pertinere ad substantiam, sed non efficere personam. Nulli quoque formæ Deum esse conjunctum: et cur in unitate tres personas tantum fateamur. Et de Deitatis incomprehensibilitate. De vera Christi divinitate et humanitate. De Spiritus sancti ab utroque processione. Et de scientia, et revelatione,

et cognitione fidei. Et personas proprietatibus non esse affectas. Et quæ sunt proprietates. Et qualem Pater Filium genuerit, ab eo alium, non aliud.

CAP. IV. Ibidem etiam demonstratur Deum accidentibus non esse subjectum, vel qualitatibus, vel relationibus, et hujusmodi: **2** Et sapientiam, bonitatem et hujusmodi, in Deo non esse aliud quam Deum.

CAP. V. Deinde autem ostenditur quid designamus cum Deum, justum, omnipotentem, et similia enuntiamus: et quod divinam essentiam varie intelligimus, et de ea loquimur: et de his quæ Trinitatem in personis distinguunt; et quid sint proprietates personas distinguentes; et quid sint formæ; et de unitate Trinitatis; et quot conficiantur proprietates; et quid notent hæc tria vocabula Pater, Filius et Spiritus sanctus: et quid persona; et de operatione Trinitatis in tribus personis, et qualiter cæteræ res ab aliis differant.

CAP. VI. His autem continuatur duas esse processiones; et quid sit Filii, et quid Spiritus sancti processio: et quod aliquid attributum personis, aut absque differentia eis inest omnibus commune, aut differenter. Ut persona, tribus; processio et principium, duabus: et quomodo creaturarum et ad invicem, Trinitas dicatur principium; et principium et procedens ad se referri: et Patrem quædam sibi propria habere, sicut communia.

CAP. VII. Deinde vero dicitur Patrem, Filium et Spiritum sanctum; Filium autem, tantum Spiritum sanctum mittere; et sic Filium mittentem et missum suscipere; et ut circa principium et processum, ita et in missione se habere. Et quid sit Filium et Spiritum sanctum missos esse. Quid item Patrem; Utrumque; Filium, alterum misisse. Quid item quod Pater, quid quod Spiritus sanctus dicitur misisse.

CAP. VIII. Additur autem Patrem esse alium quam Filium, non aliud, et similia. Quidquid enim est Pater in Deitatis unitate, non personæ proprietate, hoc et Filius est: genus siquidem masculinum insinuat distinctionem personæ; neutrum vero, unitatem substantiæ. Et quod licet tres fecerint mundum, non tamen esse dicendum esse tres factores, et similia.

CAP. IX. De cætero autem adjicitur Deum in nullo loco divisum vel coarctatum, ubique esse totum, non solum potentialiter, sed etiam essentialiter.

CAP. X. Similiter animam in suo mundo, scilicet corpore, ubique esse totam, diligenter probatur; et quod careat partibus, quæ corpus dum vivit, semper comitatur.

CAP. XI. Supradictis adjicitur quod Deus nihil eorum odit quæ fecit, et qualiter omnes diligat; et quod ejus dilectio non variatur, et quod supra dicta exposita non obviant huic: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*; et Deum malos, et ipsos eum odio habere. Et qualiter malos, bonos futuros diligit; et unde sit quod quosdam a malitia eripit,

A quosdam non. Et quid fieret de malo quem diligit, si malus moreretur; et utrum bonum futurum malum, odio habeat. Et quod damnandum etiam antequam esset oderit; et quod præscit, prævult, et perdendum dum bonus est, amat: non e contra, iniquum semper odit.

CAP. XII. Subsequitur autem de ira et de furore Dei; et quid sint disseritur. Quomodo etiam judicat et miseretur, odit et diligit. De voluntate ejus æterna. Utrum velit mala fieri, et an ea sibi placeant. et qui faciunt ea? Et si peccatorem quem nolit converti, velit non converti; et quæ velit et quæ nolit: et si voluit Christum occidi, et an voluit ut quis eum occideret; et quod vult hominem posse malum.

CAP. XIII. Deinde contenditur damnandum dum bene vivit, salute esse dignum. Econtra, salvandum, si in peccatis moreretur, morti addictum. Et utrum Deus malum diligat, **3** cum ei malum infligat? Et quod juxta illud: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, cum salvandis et damnandis agat. Quæritur etiam quomodo juxta opera reddantur bona futura?

CAP. XIV. Annectitur his, nos esse constitutos hic inter cælum et infernum, ubi meremur in cælum ascendere, vel in infernum descendere. Et quæ merita et quæ sint præmia: et quod hujus vitæ est actio, alterius cogitatio. Et cur parvulus damnationi deputetur? Et cur hos salvat; illos damnat? et quod aliquando tantum justitiam, aliquando tantum misericordiam sequitur. Et quod ejus voluntas et actio sit eadem. Et quos Deus odit, homo diligere non debet; dum tamen latet ejus voluntas, sequenda est charitas. Et quod non credentes damnabantur et quod audientes huic: *Deus vult omnem hominem salvum fieri*, non obviamus.

CAP. XV. Subditur autem præmissis Deum omnipotentem esse, et qualiter omnia scit et præscit; cujus sapientia ut augmenti, est nescia principii. Et quod necessario contingit quidquid præscit. Et utrum providentia et potestas sint æquales et voluntas? Et utrum aliter posset res providisse? Et an ita necessario eveniant? Et quæ tunc ejus justitia vel gratia, diligenter quæritur? Et an plura possit quam velit?

CAP. XVI. De cætero autem subscribitur Deum potuisse aliud providisse, sicut constat aliud potuisse. Et quod ejus providentia ut initio, sine carebit; et ejus prænotio et dispositio ex quo præscitum evenerit, desinunt sic vocari, non tamen quod sunt, esse desinunt. Et quid sit notio et dispositio: et quod ejus scientia stabilis instabilia comprehendit, cui præterita et futura qualiter sunt præsentia, diligenter disquiritur. Et quod mala tantum videt, bona vero et scit; sed cum faciente facit, nec tamen cogit. Et utrum simul contraria possit providere? Et quod non possit facere in quolibet præsentia, quod ad illud non attinet. Et quod de potentia Dei timide est disputandum. Et quod principie et fine caret. Quæritur etiam quomodo voluntas providentiæ sit causa?

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES SECUNDÆ PARTIS.

CAP. I. In secunda parte monstratur Deum, mundum quando voluit condidisse; et quod prius et plures, si vellet, posset fecisse. Et cur unum tantum, et cujus causa eum fecerit? Et quomodo juxta Moysen sex diebus; quomodo juxta aliam Scripturam: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*. Quod, ut ostendatur evidenter, investigatur diligenter. Et quomodo Deus die septima quievit ab omni, non quidem opere, sed rerum novitate.

CAP. II. Subsequenter etiam dicitur, quorum terra et quorum cælum est, et erit. Et quando angelum Deus creavit. Et quod Moyses simul dicere non potuit, qualiter Deus simul operatus. Et cur cælum firmamentum appelletur. Queritur quoque utrum cælum sit volubile necne? et si est, utrum superius sit stabile? ubi sancti quiescant, juxta illud: *Ascendens super omnes cælos*. Et utrum cælum sit corporale, an spirituale? Si corporale, quomodo spiritibus; si spirituale, quomodo corporeæ nature sit conveniens habitatio? Et si est corporeum, eadem ratione et infernus; et sicut cælum sursum, sic et infernum deorsum credendum est.

CAP. III. Manifestatur autem postea, angeli quales sunt conditi, et quandiu pro hominibus Deo sint deservituri, et quando cessabit potestas, et cur sit inventa?

CAP. IV. Annectitur vero prædictis quanta angelis sit data libertas. Quibus etiam sit necesse, ut sit libertas arbitrii, et qui ea careant. Et quomodo primus homo arbitrio floruit, et defloruit; et quod ipsum est depressum, non extinctum; et qualiter operetur divina favente gratia; et quando homo bonus conditus consummabitur. Et cur angelus errans non meruit revocari ut homo? Et quod posse errare bonum quidem est; et cur bonus meruit confirmari?

CAP. V. Queritur autem, post præmissa, quæ sit confirmatio, quæve conversio: dicitur etiam quis locus credentibus, et quis Deum videntibus deputatur; et quæ maxime mentem impediunt. Queritur etiam utrum Spiritus conditi, statim Deum cognoverint; et si casum præscierint quomodo vitam æternam amiserint? Dicitur etiam de cruciatus hominum post judicium, et quomodo interim sint in hoc aere. Et quod fidem unde mererentur acceperunt Et quomodo boni persistentes, fidem mutaverint; et quod casu malorum profecerint, et quales a Deo sint conditi, et unde maculam contraxerint? et quod mox sunt consummati; homo vero adhuc consummandus.

CAP. VI. Continuat autem supradictis auctoritas Augustini, quod nec angelus post conversionem, sive consummationem, nec homo post resurrectionem possit peccare. Cui videtur obviare Hieronymus, dicens: Solus Deus est in quem peccata non cadunt. Quos non disseatire monstratur. Et quod angeli ante casum a peccato naturaliter re-

moti, post longe sunt remotiores, non tamen licet non contingit, peccare posse. Et utrum sicut boni possunt peccare, et sic damnari; similiter mali possunt pœnitere, et salvari. Et si juxta Apostolum omnis creatura Dei bona est, quomodo diabolus malus sit. Quod si bonus, subduntur multa quæ sequerentur inconvenientia.

CAP. VII. De cætero autem adjicitur unde Deus protoplastum, et cur unus unum formaverit. Et quando infunditur Spiritus. Et quomodo semen liquidum per membrorum varietatem distinguatur. Et quomodo seminarium ut per se existat ab utroque parente separetur. Et quomodo materno conceptui formam et modum ante vitam vis nature dispensat. Et quod corpus morti debetur, anima vero non; sed in moriente patitur. Et quod tunc anima corpori addatur cum jam sensificatim digne debeat homo nuncupari, necessariis evincitur rationibus et variis.

CAP. VIII. Queritur etiam unde anima veniat, et falsis refutatis, ostenditur ejus vera origo.

CAP. IX. Dissertur etiam ubi anima sit creata, et falsis amotis, in corpore creari tandem ostenditur; et qualis sit, et unde ei corruptio. Et quomodo bene condita, cum a corpore molestetur ab initio. Et quod animæ primorum, non a corporibus, sed ab ipsis corpora esse corrupta.

CAP. X. Subjicitur autem quid sit homo, et primo quorundam sententia ponitur, quam stare nullatenus posse ostenditur, et quid sit tandem monstratur evidenter.

CAP. XI. Annectitur etiam quæ ad animam pertineant, et eorum effectus circa ipsa. Et quod bono vel malo merito remuneratur. Et quod sensus animæ et instrumenta sunt corporis, unde et ab illis utraque diversa recipiunt. Et omnes sensus animam complecti. Et cur dicuntur corporei. Et si sensus animalis non sunt, quomodo sensibile. Et si nec animæ, nisi in corpore, quomodo extra potest sentire. Et quid cui tribuatur, cum dicitur animal sensibile.

CAP. XII. Deinde autem ostenditur omnes sensus deservire rationi, et ipsam omnia procurare, nisi a subditis impediatur. Et ubi est ratio, tantum discretionem esse, quia tantum meremur. Et quæ retributione carebunt. Et an exterior vel interior aut totus homo discernat. Et quod omnia vitia sunt animæ, et cur quædam dicantur carnalia. Et quod merito anima et in se et in corpore cruciatur, et licet ad ipsum non debeat pertinere, ex corpore sibi anima letitiam vel mœrorem exaggerabit. Et qualis in futuro erit noster status.

CAP. XIII. His subjungitur quando ratio suis cum comitibus animæ adveniat. Et quomodo anima pueri sit ad imaginem Dei. Et si rationem habet, cur ea non utitur. Et quod eorum Spiritus brutorum reserunt præstantiores.

CAP. XIV. Subditur etiam brutorum Spiritus quando intereant. Quod si non esset, ostenditur quæ sequerentur inconvenientia.

CAP. XV. Adjicitur etiam quid sit imaginatio, et in quibus vigeat, et quomodo, et quod brutis, Spiritus præsideant

CAP. XVI. Ostenditur etiam quid sit homo per naturam. Et qualis sit conditus primus homo. Et si perseverasset, quid sibi et suis esset. Et quales de transgressoribus credibile est nasci. Et quod damnatione malorum proficiunt boni. Et quot sint ab errore reducendi. Et unde sit copia cadentium angelorum recompensanda. Et utrum nisi angelus rueret, homo fieret. Et si fieret, utrum damnandus vel salvandus. Et quod futuræ vitæ status est perfectus. Et quoad sanctorum numerus augmentabitur, et quot sancti sint subrogandi. Et quod minor est lapsorum quam persistentium, licet plures sint homines mali quam boni. Et quantus sit beatorum numerus.

CAP. XVII. Subscribitur etiam angelos, si non offendissent, cadentium loca replese, et quomodo sibi substitutos æquipararent. Et quod homines erraverint. Et quod quosdam Deus eripuit. Et ereptos quomodo summæ prædictæ prætulit. Et per culpam Adæ hominem crevisse, sicut et boni, malorum lapsu angelorum. Unde non eorum culpa, sed Dei laudabitur misericordia. Et invectione facta in diabolus, eum sibi tantum nocuisse. Et cælestis Hierusalem detrimentum, ad auctoris spectare præconium.

CAP. XVIII. Dicitur etiam si non peccasset, quomodo homo viveret. Et quomodo mulier pareret, et conciperet. Et quomodo opera fierent.

CAP. XIX. Describitur etiam paradisos, et quantæ sit efficacæ, et cur homo inde ejectus, et quo, et quod fuerit extra creatus. Et cur sit difficilis aditus. et cur flamma versatilis, cum nullus possit eo venire nec etiam præsumere dicitur.

CAP. XX. Prætaxatis annectitur, qualis in paradiso erat homo a se et a Deo. Et qualis post transgressionem, et quomodo moriturus. Et quod animalis, erat obediendo futurus spiritalis, et a Deo munitum, graviter deliquisse; non vero resistentes a Deo debilitatos multum mereri.

CAP. XXI. Quæritur etiam nisi per vetitum fructum, utrum aliter libertate posset abuti. **6** Et quod mulier seducta sit potissime. Et, cur tamen mari insultaverit Dominus, dicitur. Et cur gravius peccaverit. Et de crimine interiori et exteriori. Quæritur etiam cur solus esus sit interdictus. Et cur tanta pœna tali commisso sit inflictæ. Quæritur etiam an propter solum esum, an etiam propter præcedentia mala, mors sit secuta.

CAP. XXII. Postea vero ostenditur verba comminationis, licet virotantum sint dicta, mulierem etiam contingere, totamque familiam. Et cur prævaricationis lignum sicut et vitæ, medium paradisi locum

A obliet. Disquiritur etiam diligenter quousque hæc obedientiæ abstinentia mandata esset.

CAP. XXIII. Adjicitur quod si auctor protoplasto dedisset, ad illicita flecti non posse, frustra mandaretur abstinentia. Et de mercede tunc indebita. Et quod hic filiis non prodesset, licet aliter quibusdam videatur, quorum sententiæ subduntur.

CAP. XXIV. Quæritur autem postea utrum Deus juste præcipiat, unde novit malum eventurum. Et diligenter monstratur, quod etiam hujusmodi juste præcipit.

CAP. XXV. Supponitur etiam cur primi homines vestibus non eguerint? et quando nuditate sint confusi, et maxime genitalium. Et quare? et cur crebro membra habemus enormia? et quod primi parentes suæ creationis nitorem peccato decoloraverint.

CAP. XXVI. De cætero autem dicitur in qua specie Dominus in paradiso post meridiem videatur deambulasse. Quantum etiam decreverint post peccatum, et deciderint.

CAP. XXVII. Ostenditur etiam quod vir peccando mulieri succubuit. Et quod, nisi prius depravasset interius, uterque tentationi restitisset exterius. Et si sola mulier peccasset, quid fieret. Et qualiter uterque punitus est. Et quando hæc pœna posteritati diffusa, exstinguetur. Et quanta utilitas inde proveniat.

CAP. XXVIII. Ibidem etiam reperitur cur tales oportebat nasci a primis parentibus, quales ipsi erant. Et quod propagatio corrupta ex origine, corruptior sit ex generatione. Et an quisque tanto sit corruptior, quanto a primo parente remotior. Et si homo generaret absque libidine, qualis fieret conceptus. Quare etiam natura suam, libido sordem importat alteram. Et si accidentales maculæ parentum, filiis transfundantur. Et his vitio ex semine, qualis homo nascatur. Et unde macula originalis succedat. Et quid sequatur, si nec macula libidinis nec originalis, naturæ est imputanda. Et unde sumpserit initium, totum successionis vitium.

CAP. XXIX. Supradictis jungitur, ut carnem, animam esse corruptam. Et an juste et quomodo. Et tandem dicitur, solo participare originali.

CAP. XXX. Unde etiam angelo et homini sit origo mali quæritur? et quales eos Deus condiderit? et cur tales? et quid cui si peccaverit, debeatur. Et de eorum posse et velle. Et de pœna malo debita. Et unde malum primo originem traxit? et unde post? et de iniquo cum ad illicita tendit. Et cujus sit facultatis impius regredi. Et quod iudex sontem illæsum non dimittit. Et cur?

CAP. XXXI. Quæritur etiam unumne sit an plura. Unde omnes corrupti, ipsa quasi ex radice depraventur. Et quod unum sit, quo omnes in Adam, in paradiso sorduerunt, auctoritatibus evincitur. Et quod in primis, actuale in filiis dicitur originale. Et utrum **7** cæteræ transgressiones sicut originale actuale, posteris non imputentur. Dicitur etiam de gustu vetiti pomi, quomodo posteris imputetur. Et

de morte inde nata. Et de reliquis parentum peccatis. Et quomodo parvulos insontes contingat pœna. Et de fomite peccati. Et de concupiscentia quæ esum velitum non præcessit. Et quomodo ligamur alieno

A peccato. Et quomodo puniantur peccata parentum in filios. Et filius non portet iniquitatem patris. Et omnis reus sit mortis, licet non etiam comestionis. Et de originali singulorum.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES TERTIÆ PARTIS

CAP. I. In tertia parte ostenditur, humanum genus, iter cœlo debitum, ad inferos retorsisse. Et quis et quomodo eos reduxerit; et cur tam tarde. Et quid nuntii præmissi fuerint, et quare? Cur etiam lex sit lata, et quid attulit, et quid non? Et quod quibusdam profuit. Et de ei resistentibus. Et qui ante legem, et sub lege, et tempore gratiæ. Et quantum fide venturi fuerint illustrati, dicitur. Et quod quanto plus extremo tempore acceditur, tanto plus fidei exigitur.

CAP. II. Dicitur etiam quid ante legem, et quid sub lege pro parvulis intercesserit, et majusculis. Et quod licet actu proprio reatum non contraxerint, originaliter sordidi eguerint remedio. Et cur licet posset auctor absque remediis naturam salvare, noluerit? et quod jure singulis temporibus remedia sint statuta, etiam parvulis.

CAP. III. Subditur etiam quo die circumcidebatur. Et utrum, si incircumciscus quis moreretur, damnaretur? et quod mulieres non circumcidebantur. Et qui ante diem circumcisionis moriebatur, utrum antiqua prævaricatione tenebatur? Et quomodo intelligenda sit auctoritas, omnis anima quæ circumcisa non fuerit, de populo peribit. Quæritur etiam quid sit tenendum apud nos, et ante legem apud gentiles, et sub lege apud Judæos, de illis quibus licuit animari in utero, et non nasci?

CAP. IV. Reperitur ibidem Deum puritatem patris respicientem, iram genitis remittere debitam. Et quod non ex foeditate parentum, probra augescunt puerorum, et quid natis probitas parentum conferat, et quid non. Et quod sicut nunc æqualitas baptismi parvulos sibi pares facit, et sicut sub lege indifferens circumcisio æqualiter expiabat, ita credendum est gentilium pueros per reconciliationem pares, nisi potius inter eos varia patrum merita distinxerint.

CAP. V. Jungitur autem supradictis cur filii tam parvuli quam adulti parentum flagitiis exurantur? Et cur econtra filiis nonnunquam bona importat religio parentum? Et quod vice versa bonorum patrum mala natis dispensentur improbatione, et bona malorum in de..... Et quod hujusmodi obviare videtur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et illud: *Reddet unicuique juxta opera sua;* et solvitur.

CAP. VI. Post hæc autem ostenditur, cur lex et circumcisio Hebræis tantum sit posita, et quod nova veterem legem sit secuta. Et cur omnibus mandatur, et non vetus? Et quod ante legem et sub lege gentibus erat salus, sicut et Judæis. Et quod una est fides, quæ per dilectionem operatur, ex qua omni tempore salus.

CAP. VII. Subditur autem, cur infirma infirmis sint permissa; ita tamen ut aliquas perciperent emendationes multis vitiis remanentibus. Et cur facilia bona mandabat, mala dissimulabat?

CAP. VIII. Deinde autem quæritur utrum populus ille merito damnari an ex misericordia salvari debuit? Tandem autem monstratur cum perditis esse deputandum, nisi si qui paucissimi Christiana perfectione eminebant, ut patriarchæ: et cur gravissima flagitia divina tunc dissimulabat censura.

CAP. IX. Ostenditur etiam quod sicut prius minor gratia minores, ita in adventu Christi major informavit majores. Et cur nuntios præmiserit? Et quod Dominus, misericors et justus apud antiquos fuerit. Et cur eis gravissima erat lex operum data? Et quod jugum Christi suave, et onus ejus leve. Et secundum quid, lex vetus sit intolerabilis et tolerabilis? Et cur eam ita disposuerit? et qui tantum tunc temporis salvabantur.

CAP. X. Supradictis adjicitur multos in illo populo Deum colentes, pro terrenis merito periisse. Et quod in eis erant quidam boni, sed non perfecti, et etiam quidam perfecti, et quidam minus perfecti, Deo serviunt non mammonæ. Et quod sicut multo nobis imputantur quæ non antiquis, sic et nostram aliam esse charitatem quam illorum. Et quod illorum perfecti, nostram habuerint. Quæritur etiam cur lex vetus dicitur servitutis, nostra vero libertatis, cum utrobique sint servi.

CAP. XI. Ibi ostenditur quis timor a Deo processerit et quis non? Et cur lex vetus servitutis, nostra autem sit gratiæ? Et quod tunc plerique boni, nonnulli perfecti. Et quomodo tunc erant perfecti, cum illam tolerarent vetustatem.

CAP. XII. Dicitur etiam cultores sub lege, ad inferos descendisse, et quare? et quod ibi melius aliquid, quam hic degentes habuerint.

CAP. XIII. Conceditur quoque Christum tandem venisse. Et cur tunc et non prius, et quare; cum suos aliter salvare posset? et cur legem in parte susceperit? et quod postea honeste cum mora sepeliret. Et quod illius temporis figuræ spiritualiter nunc implentur.

CAP. XIV. His additur veterem et novam legem, tria complecti; sacramenta cum promissis, et præcepta, ut ostenditur in singulorum prosecutione: et quod sacramenta cessare debent, et quare? et quod cibi non sunt distinguendi, vel circumcisio tenenda. Et quod pro legalibus sepultis majora successere sacramenta. Et quod pro significantibus significata. Et quæ lex promiserit; et quæ prophetæ, et quæ bonis nunc promittuntur. Et qualiter Christus legem

finierit. Et quod quædam mandata servantur. Quæritur etiam, si lex et prophetæ usque ad Joannem, quomodo usque ad Domini passionem, etiam solvitur.

CAP. XV. De cætero autem dicitur quando novi Agni immolatio cœpit. Quem qualiter Virgo conceperit, et cur sic dicitur? et quod licet in Deitate, in humanitate tamen non oportere patrem habere. Et qualiter de Spiritu sancto sit conceptus? et cur ejus conceptio et incarnatio, potius Spiritui sancto attribuat? et quod Filius tantum sit incarnatus. Quæritur etiam cur Incarnatio, cum opus sit Trinitatis, soli tribuatur Filio?

CAP. XVI. Subsequenter autem quæritur et ostenditur, quando duæ naturæ sint unitæ, et quod virgo Deum concepit. Et quid sit hominem, quid sit Deum concipere? et quando utrumque concepit. Et quid est, **9** ipsum ex matre de Spiritu concipi. Et quid fit quod descendit. Et quomodo descendit inde, ubi remansit illuc ubi fuerat. Et quid sit ejus descensio. Et quod non sit factus caro versibilitate naturæ, sed conjunctione. Et quod consuevit Scriptura, et rursus quandoque quod est alterius alteri attribuire, quod in exemplis est manifestum. Et quod licet duæ essentialiter, tamen est unus, et licet duæ naturæ, una tamen est persona.

CAP. XVII. Præmissis autem subinfertur cur homo Deus, et Deus dicitur homo, et qualiter sit intelligendum. Et quod Christus animam habuerit, et unde subsistat non compositus. Et quod secundum diversa dicitur homo et Deus. Et quid significatur cum dicitur Christus est homo, vel Christus est Deus, vel Christus est Deus et homo, et qualiter intelligatur homo est Deus. Et quod non per naturam homo est Deus, homo est Deus vel Deus homo; qui æqualis secundum divinitatem, minor est Patre secundum humanitatem. Et qualiter dicitur et quod divinitas non est humanitas, nec e converso, et tamen Deus et homo, et homo Deus, Deus et homo unus Christus. Et quomodo intelligendum est, Deus factus est homo. Et quod Deus homo non est essentialiter, est tamen personaliter. Et quid sit Deus est homo, et homo Deus. Et homo est unitus Deo.

CAP. XVIII. Præscriptis supponitur Christum ante tempora, Deum in tempore hominem factum. Et quod duarum est substantiarum, manens quod erat, assumensque quod non fuerat. Quarum altera cœpit, altera non. Unde et mori poterat et non, Filius Dei et persona. Et sic de ea multa dicuntur contraria, et tamen diversis respectibus convenientia: quod prolixè prosecutum, diligenter disquiritur, ne hinc vel inde error oriatur. Et quod duarum in connexionione naturarum aliter persona accipitur quam in sancta Trinitate. Et utrum magis proprie dici possit, personam in Trinitate esse persona trium substantiarum, vel potius id quod semper erat, esse unitum humanitati. Et quod in morte Jesu mani-

PAGROL. CLXXXVI.

A festum est, unam personam triam fuisse substantiarum vel divinitatis, animæ et carnis; consuevit tamen Augustinus, naturam divinam attendens et humanam personam duarum dicere substantiarum. Et quid hoc nomen *Christus* significet. Et quod licet *Christus* creatrix substantia et creaturæ duæ, id est, anima et caro, mortuus est pro nobis, non tamen mortua est Deitas, sed humanitas; non tamen tota, quia non anima, sed compassa. Quæritur ergo quod supradicta sibi velint verba; et dicitur.

CAP. XIX. Additur etiam quare dicatur Deus homo passus et sepultus. Et quod licet non sit periculum, inusitatas usurpare locutiones esse vitiosum. Et quod dum *Christus* erat in sepulcro et in inferno, Deitas cum anima una subsistebat persona et corpore, licet corpus et anima una interim non essent persona. Et quod non sicut eadem manet persona, idem manet nomen personæ, ut subsequenter ostenditur.

CAP. XX. Explicitis continuatur, quando timide et per æstimationem de articulis fidei sit loquendum. Et quando fuerit incarnatio celebrata, et ipsum uniri quid sit, investigatur? Quæritur et quomodo quarta in Trinitate inducitur persona ex Deitate subsistens et carne et anima? et si ut quarta Trinitas sit annumeranda, vel potius eadem existens cum tertia una sit in Trinitate persona, prius unius tantum; postea vero trium existens substantiarum. Quod diligenter exquisitum, sic esse evincitur.

CAP. XXI. Adnectitur etiam Christum omnes defectus **10** præter peccatum suscepisse. Et utrum etiam ignorantiam habuerit diligenter inquiritur, et quod non, tandem evincitur. Et de ipsius puritate et perspicacitate quam habuit a creatione? Quantæ sit etiam excellentiæ. Quæritur, etiamsi interemptor defuisset, an lege mortalium moriendo decessisset?

CAP. XXII. Quæritur etiam unde *Christus* accepit quod clauso utero exivit, quod neque ex nostro statu habuerit, neque ex illo qui fuerat in paradiso? Unde videtur ex statu immortalitatis hoc mutuasse, in quo clausis januis est ingressus. Et quod adhuc mortalis, sicut duos terrenos, tertium cœlestem habuit statum

CAP. XXIII. Subjungitur etiam quosdam illustres viros ignorantiam puero Jesu ascribere. Alios autem plenam sapientiam, qui quidem sunt præferendi. Auctoritates etiam quæ contra videntur, ut non contrariæ exponuntur. Et quod post resurrectionem ejus scientia vel sanctitas non est aucta sed felicitas ascita.

CAP. XXIV. Quæritur autem postea utrum operibus charitatis insistens *Jesus*, meritum non auxerit, et se Deo meliorem non reddiderit? Dicitur etiam quomodo puer fuit plenus gratia, et quomodo tamen proficiebat sapientia, ætate et gratia.

Et quod a principio omnia præscivit, quæ de eo futura erant et prævoluit.

CAP. XXV. Ostenditur similiter quod secundum affectum bonum sive malum judicatur. Et quod sancti in hac vita per opera charitatis semper crescunt; sed non ita Jesus puer, qui in primis tantum per charitatem enituit, ut in ea nihil accreverit. Unde queritur quomodo Patri obediens, juxta Apostolum meruit exaltari? Quod diligenter investigatur.

CAP. XXVI. Cum autem constet Christum continuatione boni operis non fuisse meliorem, sicut nec homines vel angelos consummationem adeptos, subditur de demonibus quid sit sentiendum, et quod cuiuspiam fortasse videtur bonorum merita angelorum accrevisse, donec, completo fratrum numero, compleantur simul et eorum merita. Et quod lapsum humani generis utique malum, bonus Deus vertit in bonum. Et quod bonus et malus angelus, uterque quidem est consummatus, alter in bono, alter in malo.

CAP. XXVII. Queritur autem postea, quomodo puer Jesus fuerat sapientia plenus et gratia, cum

hæc viro magno conveniant? et utrum sub specie pueri latebat vir adultæ ætatis? et quod parvitatem pueritiæ debitam, præter ignorantiam et peccatum, assumpsit, licet facile etiam triginta annorum magnitudinem in ventris arcto posset concludere, et quare? Subditur. Et quod, licet ut puer nostro more creverit, tamen modo nobis inusitato natus fuit et conceptus.

CAP. XXVIII. Ibidem etiam reperitur, Christum verbo et exemplo bene vivere homines docuisse. Et cur miracula fecerit? Queritur etiam si in Christo homine est scientia, ei quæ est in Deitate sit cœquanda? et utrum miracula fecerit homo vel Deus in homine? Quod ut ostendatur evidenter, investigatur diligenter.

CAP. XXIX. Queritur quoque utrum omnia quæ potest Deus, ejus dono possit et homo? Quod diligenter disquiritur, et sic esse tandem evincitur.

CAP. XXX. Queritur quoque si potestatem, et sapientiam, et bonitatem tantam habeat ille homo, ut Deus, quod si est, minor tamen Deo est, quia ejus munere.

II INCIPIUNT PRÆNOTATIONES QUARTÆ PARTIS.

CAP. I. In quarta parte ostenditur quod sicut ille homo cæteris creatis est superior, ita Deo vel plus est inferior, cujus respectu nec etiam bonus est dicendus.

CAP. II. Dicitur etiam quod sicut hominem Deus in bonitate, excedit quoque in potestate. Quod in nonnullis ostenditur exemplis.

CAP. III. Inducitur etiam quod objici posset, et solvitur. Si scilicet eadem potestas Dei et hominis non est, quia potest Deus quod non homo; quomodo eadem est potestas Patris et Filii et Spiritus sancti, cum Pater gignat, quod non reliquæ; Filius gignatur, quod non reliquæ; Spiritus sanctus procedat quod non reliquæ personæ? Et quod Christus qui majorem potestatem habet quam homo, non eandem, sed diversam habet.

CAP. IV. Ostenditur etiam nullam trium personarum plus posse quam aliam. Et quid sit Patrem gignere et Filium gigni. Spiritum sanctum procedere, et quid sit esse Patrem? Et quantum sit esse Deum habentem Filium. Et quantum sit etiam esse Deum habentem Patrem sibi cœqualem. Et quid inveniemus, si personas distinguere intendimus, et quid? si personarum substantiam consideravimus? Queritur etiam cum proprietates quæ Dei est, personarum quoque est, et e converso, cur aliæ Deitati, aliæ quoque attribuantur Trinitati? et quod gignere et gigni et ab utroque procedere proprietates sunt personarum, non actiones. Earum autem secundum opera, eadem est potestas; secundum proprietates, aliquid potest una quod non alia; nec tamen divisas habent potestates.

CAP. V. Data est etiam omnis potestas homini

assumpto. Et quomodo dicitur, cum major danti reservetur. Et quod sicut potentia, sic Deo inferior est scientia.

CAP. VI. Innectitur etiam quod Christus adhuc moriturus, quod oportuit, voluit, et quod voluit potuit. Cujus secundum divinitatem etiam amplior fuit scientia potestate, potestas operatione. Et cur nonnulla quæ facta enitescerent, maluerit Deus infecta esse. Et quid de malis nostris faciat, et cur ea esse sinat vel non sinat? Queritur etiam quomodo quidquid oportuit voluit, cum contra divinam voluntatem sciens non crucifigi petiit, dicens apud Marcum: *Pater, omniaabilia tibi sunt, transfer calicem hunc a me.* Quod diligenter disquiritur, et evidenter dilucidatur. Et hoc: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

CAP. VII. Queritur etiam si, sicut mori, et inferno detrudi Christus formidavit. Et si non, cur ut non perderetur rogavit, dicens: *Ne simul tradas me cum, etc.* Et quomodo replevit eum timor de quo dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini.* Et quomodo rationabiliter oraverit ne damnaretur, cum de salute esset certus.

CAP. VIII. Subditur quod gehennalis timor ante veniens locum præparat charitati. Et quomodo dicitur: qui ea regnante, expellitur. Et quod neutrum est sine altero. Et quod est alius timor sanctus, permanens in sæculum sæculi, qui hic nascitur, in futuro consummatur.

CAP. IX. Subsequenter autem dicitur, quos effectus in nos habere debeat fides, spes et charitas. Et quod cæteris evacuatis, charitas nunquam excedit.

CAP. X. Quæritur etiam si [Christus hæc tria habuerit. **12** Et si omnes per charitatem dilexit, quomodo malos dilexit, quos si poterat, a perditione non liberavit.

CAP. XI. Deinde disquiritur diligenter utrum et Christus fidem habuerit? et quod loco fidei fruebatur visione, tandem evincitur.

CAP. XII. Ostenditur siquidem Christum etiam in hac vita Deum sicuti est vidisse, unde animam Christi mole carnis et peccati minime gravatam, inter molestias carnis Deo unitam, prima stola ornabat; secunda, scilicet corporis, propter redemptionem ad tempus dilata.

CAP. XIII. Monstratur etiam cur adversa tulerit Christus? Et cur morte [turpissima voluit condemnari? Et si Judæa Dominum suum crucifigere expavisset, quæritur an ipse frustra homo factus fuisset? Dicitur etiam cur a Judæis voluit occidi?

CAP. XIV. Quæritur etiam utrum diabolo an Deo se obtulerit hostiam? Et quod Patri, manifestatur, et si quid fuerit pretium hujus hostiæ. Et cur ignominiosa tulerit et aspera, dicitur. Et qualiter in passione se habuerit?

CAP. XV. Postea vero passione Christi et morte præcedentium delicta sanctorum et sequentium esse condonata reperitur. Et quomodo et quod passio sine fide vel fides sine passione, nihil prodest. Et quod antiqui et moderni sancti, fide sint salvati. Et quomodo.

CAP. XVI. His continuatur, perfectos antiquos non solum fuisse sanctos, sed justis nostri temporis pares. Et plerosque plerisque majores. Et cur ad infernum descenderint? et quomodo illis ibi fuerit?

CAP. XVII. Subscribitur infernum tam deterio-rem esse terra quam inferiorem. Et quod tamen antiquis sanctis ibi melius fuerit, quam hic, id tantum anxietatis habentibus, quod visione Dei carebant. Et cur ea caruerint? Et cur interim bona illis non retribuerit, nec mala condonaverit, nec punierit? Et quod ipsi nunquam ante adventum Christi cælo fuerint digni. Nostri vero semper sunt digni.

CAP. XVIII. Dicitur et meritum antiquorum adventu Christi esse impletum. Ostenditur quoque

A eos non tantum fuisse justos, sed et quosdam eorum valde justos exstitisse.

CAP. XIX. Sequitur vero quod anima Christi a corpore separata, divinitate tamen utrique unita, ad infernum descendit, ut inde sanctos liberaret. Et quod ibi quidem perditii obtinent inferni novissima, justii vero superiora.

[CAP. XX. Adjicitur etiam plures mansiones esse in inferno. Et quod infernus juxta Isaiam est subter, in inferioribus terræ. Unde non omnes sed partem animarum eruit Dominus. Ad quas videntur quidam pertinuisse, qui pœnitentes hinc decesserunt, aliquandiu tamen purgandi, de quibus quæritur ubi tunc fuerint?

CAP. XXI. Deinde dicitur quod hoc nomine infernus, licet sit nomen totius, quandoque inferiorem, et sinu Abrahæ, plerumque superiorem significari partem. Quæritur etiam ubi purgandi tempore fuerint antiquo?

CAP. XXII. Ostenditur etiam quod qui hic minus se castigant, postmodum purgatoriis deputantur. Qui ubi sunt quæritur et quandiu ibi morantur!

CAP. XXIII. Ibi etiam reperitur peracta pœnitentia purgatas cælo donari, et non resurrectionem expectare, evidentissimis rationibus evincitur. Et quod magnum chaos erat **13** inter bonos et malos juxta verba Abrahæ. Unde videtur quod purgandi extra sinum Abrahæ ab Adam usque ad Christum, sunt commorati.

CAP. XXIV. Auditur etiam quod sicut inferioribus inferni quies disconvenit, sic superioribus afflictio dissentit. Et quod tertius purgandis locus, ibi facile non reperitur. Quæritur ergo utrum sicut in terra boni et mali loco permisti, meritis discreti, sic et in inferno habitaverint.

CAP. XXV. Quæritur etiam quando Christus ad inferos descendens, suos eduxit; de nondum purgatis quid fecit. Quod et per mortem Christi sunt reconciliati. Et quando reconciliatio cœpit, dicitur.

CAP. XXVI. Præmissis conjungitur inventos in inferno purgandos secum Christum abduxisse. Et quo monstratur, et etiam quousque pervenerit. Et extractis suis, dispicitur quibus usibus necessariam superiorem reliquerit partem.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES QUINTÆ PARTIS.

CAP. I. In quinta parte dicitur quod anima Christi cum tota multitudine sanctorum ab inferis regressa, corpus suum, die tertia ingrediens, donavit resurrectione. Et sic factus est homo impassibilis et immortalis. Et quantæ fuerit claritatis dicitur. Et cur propriam celans, pristinam speciem discipulis ostenderit. Et quomodo mortalis immortalitatis, et immortalis mortalitatis formam induerit, quæritur.

CAP. II. Quid etiam sit sentiendum de his quos

D Christus secum ab inferis eduxit. Et quid illi potius videantur etiam fuisse dicitur.

CAP. III. Quadraginta etiam diebus Christum discipulis crebro apparentem sub cælo moratum esse, cum spoliis inferi. Et quid etiam tunc de eis fecerit dicitur. Et quod ipse non nisi completo quadragenario conscendisse, nec nisi in die judicii descensus creditur. Et quomodo iterum sanctis appareat, dicitur: et sanctis hominibus.

CAP. IV. Christum quoque ad dexteram Dei se-

dentem, Spiritum sanctum discipulis subjungitur A
misisse. Et quid sit ipsum mittere. Et quod tota
Trinitas, ut quibusdam placet, vel Pater et Filius,
quod videtur melius, Spiritum sanctum miserit :
tertia enim persona tantum missa fuit. Et quomodo
illa species circa Spiritum sanctum se habuerit. Et
quid sit ejus venire, et inhabitare. Quæritur etiam
Spiritu sancto in specie columbæ super Dominum,
in igne super discipulos apparente, an utrumque
quod videbatur vere erat.

CAP. V. Quod autem non fuerit columba, sed
species columbæ, quæ super Dominum apparuit,
subditur; et similiter, quod illæ igneæ linguæ non
fuerint veræ; sed aeræ, quæ (ut columba et homo qui
apparendo cernitur) in aerem peracto officio rediere.
Quæritur etiam quomodo qui apparet, verus homo B
esse possit, et cur in columba, et in igneis linguis
Spiritus apparuerit, dicitur.

CAP. VI. Deinde quos vita commendabat, doctrina
illustrabat, merito aliis prædicasse dicitur. Et quod
Judæis primitus, et quare et cur tandem ad gentes
sint conversi. Et quod tandem prædicatione Heliæ
et Enoch, omnis Israel salvus fiet, et quæ sit intentio
prædicationis, et origo religionis

CAP. VII. Fidem autem quam largiri potest, Deus
14 absque sermone, raro, aliquando tamen, ipsum
hoc facere, ut paulo post subditur. Et quod quæ sunt
necessaria omnibus, singulis sunt divisa. Et quare:
et quod non pro meritis suis, vel parentum fides da-
tur; Dei enim donum est, ne quis inde gloriatur.
Et quod ipsa non ex operibus nata, pariat opera, C
quæ ante ipsam nihil sunt. Et quod nullus propter
genus vel meritum suum, vel parentum, eligitur vel
salvatur, sed gratiam tantum.

CAP. VIII. Unde quæritur cur parentes pro filiis,
imo tota Ecclesia pro convertendis orat. Quod di-
ligentius discussum aperitur.

CAP. IX. Filios etiam in dolorem parentum mi-
sere torqueri, aut in jucunditatem gloriose magnifi-
cari, dicitur, et quare. Et quod fides licet et salus
ex gratia orientur, tamen fides vitæque correctio,
proprie gratiæ; salus vere, meritis ascribitur.

CAP. X. Cum autem ex fide justitia, ex justitia
vero beatitudo procedat, quæritur; nisi quis renatus
fuerit ex aqua et Spiritu sancto, quomodo non intra- D
bit in regnum cælorum? Et quod sicut Abraham
prius ex fide justificatus, post circumcisionem in si-
gnum acceperit, sic et nos baptismum.

CAP. XI. Fidem etiam charitati mistam, necessa-
rio tamen commissa deflere, et deflenda cavere,
quantum amat subditur, ac per hoc remissionem
peccatorum impetrare: quantæ siquidem efficacæ
sit fides, dispicitur.

CAP. XII. Asseritur etiam non baptismum, sed Spi-
ritum, scilicet per fidem, comitari justitiam et salu-
tem. Et quod ex martyrio est salus, absque bap-
tismo. Sed, si dicitur martyres in sanguine baptizari,
quæritur, quid si in igne vel alia absque sanguine
violentia moriantur. Et quod sicut vice baptismi est

martyrium, fidem quoque a qua sumit vires et ip-
sum vicem baptismi obtinere, non esse mirandum
cum a lavacro voluntas non excludit, sed necessi-
tas. Quomodo ergo sit intelligendum: Nisi quis re-
natus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in
regnum cælorum, exponitur.

CAP. XIII. Sin autem ex fide justitia habetur ac
per hoc remissio peccatorum, quæritur quod opus
sit in remissione peccatorum, aqua lavari.

CAP. XIV. Recte etiam in remissionem peccato-
rum baptismum sumi docetur, et quid sit Spiritum
sanctum quibusdam quasi gradibus suscipere. Et
quid ipse efficiat. Quomodo etiam baptismus sit in-
stitutus.

CAP. XV. Quis etiam sit baptista vel baptizatus
dicitur; et quod nihil nocet ad baptismi perfectio-
nem, aut lavantis aut loti perversitas. Et quod loti
non nocet nisi propria.

CAP. XVI. Exterius siquidem sacramentum non
diminuitur, licet irrisio vel error hinc inde versetur:
munditiæ vero intrinsecus, interius error et proprius
nocet. Exterius etiam si erratur, sacramentum pe-
riclitatur, nec tamen animæ nocetur fide sincera
curatæ. Quæritur etiam de balneantibus si se jocando
baptizent. Dicitur etiam cur super Christum baptiza-
tum Spiritus sanctus descendit. Et quid significet
exterior ablutio. Et cur ignis lavacro apponatur. Et
cur aqua huic sacramento apponatur, cæteris liquo-
ribus prætermisissis et elementis. Et quid aqua la-
vans, et corpus lotum significet.

CAP. XVII. Dispicitur autem deinde, quid in ba-
ptismo morti, quid sepulture, quid demum compa-
randum sit resurrectioni. Et cur ante Christum dies
cum sequenti nocte computabatur, post vero e con-
verso. Et 15 cur trini dies in sepultura Domini,
sequuntur tres noctes. Et quod aqua significat Spi-
ritum sanctum.

CAP. XVIII. Differtur vero baptismus usque ad
aliquam, et præcipue paschalem festivitatem, et
cur, dicitur. Et cur ante baptismum catechizantur
parvuli. Et quod stare debet lex catechizandi.

CAP. XIX. Puerum etiam, quoniam credere nescit,
sacramentum credendi quærere dicitur. Et quod in
hac ætate opus est patrinis, ostenditur. Et quod pa-
trinis laborandum est, ut quod pepigerunt pro par-
vulis, fiat in adultis.

CAP. XX. Patrinis vero dirigitur sermo, et quis
et quomodo sit intelligendus, dicitur. Et quod sicut
catechizatio necessaria est magnis, potestque deesse
parvulis; sic patrinorum officio quo egent parvi,
carere possunt magni. Et quod etiam absque omni
patrino stare possit baptismus.

1 CAP. XXI. Cur etiam hoc sacramentum catechu-
menis differatur usque ad solemnitatem dicitur. Et
quod majores natu prius catechumeni, dum regene-
rantur, si abrenuntiant diabolo, interrogantur. Nam
nisi et facto abrenuntiant, indigni lavacro accedunt
absque commodo.

CAP. XXII. Mors Christi cum sepultura et resur-

rectione, quod in nobis significat, per baptismum operatur. Unde sicut nec mors, baptismus non iteratur. Quibus etiam committitur, et quod nec confirmatio repetitur. Et cur confirmatio originem sumpserit, ostenditur.

CAP. XXIII. Subditur etiam parvulos in parvitate sua debere confirmari. Unde negligentia accusatur, cum differtur. Quæritur etiam quid opus sit manus cito imponi nunc vel antiquitus, cum sacramentum jam perceptum usque ad discretionem sufficiat. Et quid per confirmationem conferatur. Et quod ipsa dignior est baptismo; unde et tantum episcopis conceditur, et quod sacramentum cum difficultate adeptum magis est dignum, minusque necessarium.

CAP. XXIV. Sicut non licet quædam sacramenta iterari, sic quædam alia, nisi sæpius percepta, non sufficiunt. ut confessio et Eucharistia. Dicitur etiam quod in spirituali templo ex baptismo constet virtus ædificii; quod dum Christus baptizaretur, nobis est insinuat. Cætera autem decorem faciunt sacramenti.

CAP. XXV. Ostenditur etiam quales sancta Trinitas baptismo assistens, efficiat. Et quod licet adulti per fidem virtutes habuerint, tamen per baptismum cumulantur. Et ex baptismo capitis comperitur, quid inde, proveniat membris. Quæritur etiam cur baptizatis aperiatur cælum. Et quale fuerit baptisma, et quomodo circumcissioni prævalebat, quod mortuis ante passionem, licet baptizatis cælos non aperiebat.

CAP. XXVI. Dominum etiam post resurrectionem de baptismo, et prius de catechizatione decretum sanxisse dicitur, dicendo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, et cur subdatur: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et cur ante resurrectionem baptisma coram Domino publice sit celebratum. Et quod licet ante passionem baptismati aliquid a perfectione defuerit, tamen circumcissioni prævaluit.

CAP. XXVII. Quæritur autem postea quid sit, quod baptizatis aperiuntur cæli. Et quod Spiritus sanctus super catechumenos descendens **16** culpam, super baptizatos vero descendens, condonat poenam.

CAP. XXVIII. Pronuntiatur etiam baptizatis et non ante cælum patere, et cur. Et ubi fuerint fideles, qui inter resurrectionem et ascensionem mortui sunt. Et quando, et quibus cælum aperiatur. Et quod non secundum providentiam, sed præsentia merita, cælum aperiatur vel clauditur.

CAP. XXIX. Dicitur etiam cur sicut in baptismo, non dicuntur cæli aperti in confessione. Et quod quamvis mystice intelligatur cælos aperiri, tamen corporales oculi corporaliter dissolutos conspexerunt, et quid sit videre cælos apertos. Quid et item sit quod Dominus ascendens de aqua, vidit cælos apertos, et prius Spiritum sanctum descendentem.

CAP. XXX. Additur, post fractum baptismi pac-

tum, confessionem secundum esse refugium. Et quod sicut ore, ita peccatum debet evomi corde. Et qualiter, ostenditur. Et quid erit de confitente et non poenitenti, vel etiam de peccato gaudente. Et quis vere gemat. Et quis gemitus ante Deum sordeat. Et quod vere poenitens, nullum post se debet retinere peccatum.

CAP. XXXI. Dicitur etiam cum Deus condonat, non partim, sed penitus peccata remittere. Et quod cui timor poenitentiam generat, malus est: vir enim bonus plus horret culpam quam gehennam. Et quod qui dat timorem unde poenitentia, dabit etiam amorem ut sit dignus venia. Et quod absque charitate et poenitentia nihil est, et opera. Et quod dum iniquitas diligitur, præmium non habetur. Et qualiter debeat attendi, quæ sint bona, et quæ mala.

CAP. XXXII. Ostenditur etiam quod licet quandoque videantur bona nocere et mala prodesse, nunquam tamen sic esse. Et quod sola charitas virum in bonitate creat, cæteris virtutibus natura virtutem accumulantiis. Et quibus vitiis interim carere non possit. Et quid contra ea remediat.

CAP. XXXIII. Subditur autem deinceps de concupiscentia post baptismum derelicta. Et venialibus et eorum reatu. Et venia. Et eorum ortu. Et invincibilium. Et quomodo increpant. Et erga mentem et corpus se habent. Et quod in singulis peccatis quiddam est invincibile, quiddam veniale. Et habitu mentis in primo motu. Et de deliberatione. Et qualis quislibet sit, dum dubius deliberat. Et quod non semper præbetur assensus. Nam bonus affectus tolerat invitus. Et quod qui pravo motui favet, licet dissentiat actioni, malus est. Quem si statim repressisset, victor exstitisset, tantum confusionis habiturus, quam mollius se habet. Et quid erit ab amore vitii, et voluntate peccandi, se abstinenti. Et quid sit consensus?

CAP. XXXIV. Dicitur etiam de bonis mortuis, et malis mortuis, et efficacia bonæ arboris et malæ. Et quod neutra alterius usurpat fructus.

CAP. XXXV. Quæritur autem hic, quæ bona hic et quæ in futuro valeant. Et quæ non sunt bona. Et quando sit malum opus. Et quando nec bonum nec malum dicitur. Et utrum prosint vere mortua bona.

CAP. XXXVI. Dicitur etiam quæ bona remunerationis, et quæ sint munera. Et quem locum tenent merita. Et quod meritum est Dei donum. Et quandoque præmium.

CAP. XXXVII. Adnectitur justum cadere. Et unde sit quis justus. Et quomodo charitatem habens cadat. Et quomodo charitas tunc sit fons, cui non communicat alienus. Et **17** quomodo charitas nunquam excidat.

CAP. XXXVIII. Quem etiam providentia judicat alienum, iudicium quanoque probare, subditur. Et quomodo sit intelligendum, *Charitas nunquam excidit*. Et qualis sit terrena charitas, qualis maturitatem nacta. Et qualem gradum perfecta videatur hic mereri.

CAP. XXXIX. Perfecta etiam charitas inter quos A reperiatur, ostenditur, nisi et ipsa cadat, non tamen excidat. Et quod cum fugit, radicem relinquit, unde peccator redeat. Et quod non est alienus. Licet enim titubet, non corrui. Et utrum damnaretur, si interim moreretur. Et de ejus merito.

CAP. XL. Subditur de peccatis damnabilibus. Et quod quædam eorum sunt in mente tantum. Et quod consensus majoris est culpæ, quam negligentia. Et quæ negligentia redarguatur. Et cujus opus plus accusatur. Et quando sit mors in domo, in porta, in tumulo.

CAP. XLI. Quomodo etiam negligentia mors sit,

etiam cum actum non pariat, dicitur. Et quot mortuos Dominus suscitaverit, et ubi, et quomodo, et cur sic.

CAP. XLII. Cur quartum mortuum Dominus non suscitavit, dicitur postea. Et unde omnis culpa post baptismum damnatione digna judicatur. Et de eo qui habitum delinquendi omnino non habet, et ideo a malo tardatur. Et ideo qui totus hæret delicto, sola præpeditus necessitate. Et quod perfecta voluntas, pro facto reputatur. Et quod extrinsecus et bene et male agitur. Et unde nomen utrumque sortitur.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES SEXTÆ PARTIS.

CAP. I. In sexta parte scribitur, alteram esse B considerationem ante baptismum, alteram post: ante, ut in fomite peccati. Et quomodo post imputatur. Et quid efficiat virtus baptismi.

CAP. II. Bina se nobis bona vel mala inferre adjicitur. Et quomodo. Et cur ipsa dominatur unum et alterum. Et utrum sit culpabilius prava voluntas, an ejus effectus. Et de ignorantia quæ reatum non trahit. Et quod homines et bestię eadem plerumque committunt. His criminalia, illis naturalia. Et quomodo et de illis quos natura sensu privavit.

CAP. III. Quæritur etiam sicut hominibus, brutis nihil imputatur, utrum minus imputetur minus peritis. Et de ignorantia nostra, et ejus effectu. Et de simplici turba. Et de eo quod Dominus ait: *Omni cui multum est, multum ab eo quæretur.*

CAP. IV. Dicitur etiam Judæos non excusari, eo quod in Christum non credunt. Et utrum gentiles excusentur. Et an Deo displiceant.

CAP. V. Adjicitur etiam ignorantiam ex culpa defensione carere. Et quid ipsius et oblivionis sit causa. Et quid comitentur. Et quando veniant. Et quando abeant. Et utra ignorantia magis sit rea, an ex alieno, an ex proprio vitio procedens. Et de ignorantia gentium et Christianorum. Et utrum gentes ex nescienter gestis debeant accusari. Et de imperitia ex actuali culpa et originali et mole carnis procedente.

CAP. VI. Dicitur, postea, unde proveniat ignorantia. **18** Et unde aggravetur. Et quod differentia est inter hæreditarium et proprium, et etiam inter propria. Et de hæreditatis infirmitate et complexionis corruptione, et animi dissolutione.

CAP. VII. Deinde diversi casus interponuntur, ut ostendatur homo judicandus, non secundum operis eventum, sed secundum mentis propositum. Et primo de parentibus opere filii interfectis.

CAP. VIII. Secundo de servo, vocante domino cultro interfecto.

CAP. IX. Tertio de filio a matre nutrice commisso, et inopinato infortunio mortuo.

CAP. X. Quarto de marito ancilla ab uxore supposita nescienter fruenta

CAP. XI. Quinto de filio matri conjugato, utroque parentelam ignorante.

CAP. XII. Ostenditur etiam exemplo consanguineorum ignoranter conjugatorum, aliisque multis modis, dum animus non est deceptus, opus non esse malignum, et e converso, mens sordida opus vitiat. Quod sicut qualitatem, ita ex corde trahit quantitatem.

CAP. XIII. Quæritur etiam qua ratione ex supradictis eventibus et similibus prædicti, et hujusmodi debeant judicari nocivi, et quod non rationibus et exemplis evincitur. Et quod bona dimitti non debeant, licet inde mala proveniant.

CAP. XIV. Deinde ostenditur quomodo eventus se habeant erga illos unde originem trahunt. Et quod sine crimine illorum contingere possint, diligenter evincitur, per necessarios usus manducandi et dormiendi, et per ruricolam qui laborat necessario, ut victum quærat. Et quod neglecto quid infortunii possit contingere, quod usus audet et ratio, sic agendum quando etiam dimittendum.

CAP. XV. Dicitur etiam quando negligentia oboriatur. Et quando pœnalis ignorantia. Et quando infirmitas. Et quando ipsa sit rea. Et quando sit absoluta. Et unde hæc infirmitas et ignorantia eveniant. Et quod eis obviat gratia Christi. Et an post fidem maneat, et an noceant ut pœnæ vel culpæ. Et unde fiant. Et quomodo homo primus sit factus, et peccaverit, et sit punitus.

CAP. XVI. Adjicitur ignorantiam et infirmitatem pœnas esse, non culpas. Et quomodo in cas incidatur. Et quomodo homo gravatus ex origine, deprimatur dum peccat ex se. Et cur hominum data sit hebetudo, et ægritudo. Et de ignorantia proveniat culpa. Et quæ non sit execrabilis ignorantia. Et de ignorantia et infirmitate ante baptismum et post.

CAP. XVII. Deinde dicitur omne genus afflictionis esse a Deo, et quæ mala, et quod homo male sequitur et male comprehendit, Deus bene tribuit.

CAP. XVIII. Dehinc ostenditur quomodo his quæ male prosequimur, Deus viam parat acquirendi. Et quomodo possidemus. Et an faciat Deus in nobis ignorantiam, et infirmitatem. Et quomodo. Et an

imputetur quod his delinquimus. Et quales sint **A** quando a Deo, et quando non, sed naturaliter. Et de his quæ naturaliter nescimus vel nequimus.

CAP. XIX. Ostenditur etiam in bellis quid Deo, quid homini sit imputandum, exemplo Romanorum qui Judæos vastaverunt. Et quod eorum passio non Romanorum actio, ei placuit.

CAP. XX. Ponitur etiam malum non esse in civitate **19** quod Deus non fecerit. Et quod actio injusta malum est, nec tamen a Deo est. Quod non esse inconueniens diligenter monstratur et subtiliter.

CAP. XXI. Sequitur, cum Deus cedat, quorum ministerio utatur. Et quod operetur tam per bonos quam per malos ministros, et quomodo. Et quorum ministerio bonæ, quorum male transferantur animæ.

CAP. XXII. Subscribitur quomodo dæmones in **B** suos sæviant. Et quomodo ad bonos se habeant. Et cur Deus permittat, ut eos quandoque lædant.

CAP. XXIII. Annectitur etiam principes dæmonum satellites suos, et Deum eosdem mittere. Et quomodo. Et utrum possint mortem infligere, et cuiusmodi incommoda inferant. Et ne quantum volunt noceant, crebro interdicitur. Et quos torqueant mali angeli, et homines. Et quod boni angeli malos homines torqueant, reperitur. Et quod non semper a ministro torquetur homo.

CAP. XXIV. Supponitur quibus de causis flagellum Dei veniat. Et si quando euenit, bonum a bono hominem angelo cædi, qua ratione fiat. Et quomodo animabus præsent angeli, et regnis.

CAP. XXV. Subjicitur Michaellem qui fuerat **C** Judæorum custos, ad nos migrasse, cum illis quos ibi custodiebat. Et quod similiter singulis regnis singuli deputantur angeli. Et quomodo in mutuis certaminibus se habeant.

CAP. XXVI. Additur Raphaellem morbos curare, quod ostenditur per Tobiam et centurionem. Et quod archangelus ut cæteri duo, sub quo principe est copia medicorum.

CAP. XXVII. Et quibus præsit Gabriel cum suo exercitu.

CAP. XXVIII. Et quod Michaeli legatio expiationum commissa est.

CAP. XXIX. Et quod suum est animas sanctorum producere in paradisum. Et suorum preces Deo **D** perducere, sicut et alii singuli suorum perferunt.

CAP. XXX. Omnes etiam alios bonos angelos in negotiis hominum Deo servire monstratur.

CAP. XXXI. Quos quoque ordines cherubin ac seraphin dicitur ministrare. Et quod opinari potest ex nominum interpretatione, eorum immissione rubum arsisse, et civitates illas periisse.

CAP. XXXII. Quod de Ezechiele conjicitur cherubin officiis mancipari, apponitur. Et quid etiam ex verbis Dionysii datur intelligi. Et quid apud Ezechielem cherubin faciat. Et quod apud Isaiam seraphin delet iniquitatem.

CAP. XXXIII. Quæ etiam sint omnium communia nomina, dicitur. Et unde Spiritus et unde angeli

dicantur, et cur omnes dicantur angeli, et cur omnes credantur missi.

CAP. XXXIV. Quot angelorum ordines Deus distinxerit. Et quibus officiis eos addixerit, post hoc dicitur. Et quando officia et actus eorum cessabunt.

CAP. XXXV. Quot etiam sint angelorum officia, et quot eorum nomina, subjungitur. Et cur pluraliter exprimantur. Et quid cum plurale, quid cum singulare dicitur, intelligatur.

CAP. XXXVI. Qui etiam angeli mittantur ad annuntiandum, et qui ad agendum, dicitur. Et quomodo et unde dicantur angeli. Et qui sunt archangeli. Et quod plures, quam tres, dicantur archangeli.

20 CAP. XXXVII. Ordini quoque archangelorum subdi ordinem angelorum dicitur. Et quod quandoque propria habent officia. Et quomodo, et de cæteris quid agant.

CAP. XXXVIII. Quæ sint virtutes, et quod earum ministerium.

CAP. XXXIX. Postestates, et cur sint constitutæ, dicitur.

CAP. XL. Ostenditur et quare revocatur principatus.

CAP. XLI. Quæ sint dominationes, et quibus præsent, dicitur. Et quibus et principatus et dominationes.

CAP. XLII. Dicitur etiam qui sint throni, et quod eorum officium.

CAP. XLIII. Quomodo etiam cherubin et seraphin Deo astent, monstratur. Et quid secundum Dionysium, et quid secundum Danielem et Apostolum de eis sentiatur.

CAP. XLIV. De interpretatione etiam nominum cherubin et seraphin ponitur. Et quomodo juxta ~~novum~~ interpretationem, humanis invigilent commodis.

CAP. XLV. A novem etiam ordinibus dæmones corruisse, dicitur non esse absurdum credere. Et quod novem sunt spirituum diversitates.

CAP. XLVI. Ostenditur etiam postea malignos spiritus singulos suis in ordinibus principi dæmoniorum deservire, quosdam ut angelos, quosdam ut archangelos, alios ut virtutes, alios ut potestates, alios ut principatus et dominationes, alios ut thronos, quosdam ut cherubin, quosdam ut seraphin. Et dæmones tot modis nocere, ut vix, vel impossibile sit novem includi modis.

CAP. XLVII. Unde etiam novem ordines sumpserunt vocabula dicitur. Et quot modis homines adjuvantur, veldeludantur, totidem fere modis aut adjuvare aut deludere. Et cur fere apponitur. Et quod interdum quæ sine dæmone ab hominibus perverse fiunt, sine eo etiam contingunt. Et quod credi potest aternam liberalitatem per se corporalia nonnunquam conferre beneficia. Et quod aliquando per homines, aliquando aliis modis. Et quod a quocunque homo juvatur aut vexatur, minister Dei est.

CAP. XLVIII. Quæritur autem postea de qua A multitudo sit princeps dæmoniorum. Et tandem ostenditur. Et quod licet magnus esset, plus de se sensit, quam esset. Et cui cæteri obediant. Et unde quidam cunctis efficacius debacchantur. Et quantum sint debilitati, et juxta quosdam quando ceciderit.

CAP. XLIX. Et quod inimicus cum suis fœditate cogitationis, et postea actionis maculat, dicitur, et quomodo. Et quod malæ voluntati malum opus addens, nocentior fit. Et de eo qui in malo sibi undique placet, et illo qui male vivit, ratione tamen consulta inde dolet. Et quod Deus bona, quot et quæ, et quare largitur. Et quod omnium naturæ inest quodammodo malum odire, quod bonum est amare. Et qualis sit ista voluntas. Et de voluntate B quæ gratia Dei inspiratur. Et quomodo sit agendum in malo degenti.

CAP. L. Et quod voluntas, et sermo, et operatio bona a Deo sint, dicitur, inde in his nonnihil esse hominis. Et quod gratia Dei omnibus proposita, ab aliis repulsa, ab aliis est suscepta. Et quod gratia suscepta, quidam in bono perseverant, et quidam recedunt : et quæritur quid nobis a gratia, et quid a libero 21 arbitrio. Et quod aliquod sit meritum liberi arbitrii, et quare. Et quod omne bonum quod facimus, non solum nos, sed cum ipso facimus.

CAP. LI. Ostenditur postea qualis per gratiam Dei vitam corrigens quomodo pœnitens, et virtutibus pollens concivis sanctorum possit ascribi. Et quid de eo fiet si morte fuerit præventus. Et eo qui facinora non vult confiteri. Et eo qui ad confessa redit. Et utrum ante reditum fuerint indulta. Et quod ipsum confiteri, domum Dei est. Et penes quem est opus bene vel male fieri. Et de pœnitentia cordis et de confessione. Et quomodo sacerdos se habeat erga sibi confessos. Et de anathematizatione sine nomine. Et de illo anathemate quod fit nominatim. Et quando sit faciendum. Et de intentione sacerdotis in hoc opere. Et de illo genere excommunicandi quo injuria latenter illata, tacitis neminibus, feritur. Et quomodo via hominis Deo sit revelanda. Et quomodo sacerdoti offensa sit detegenda. Et de eo qui vitam non corrigit, et veniam sperat. Et quod confessionem sequenda est pœnitentia. Et de onere a presbytero imponendo. C

CAP. LII. Sequitur quomodo sacerdos pœnitenti debeat consulere. Et quod Deus aliqua anxia satisfactione est placandus. Et quomodo se habeat erga oves alienas. Et de his qui suam horrentes maculam, ignotos expetunt presbyteros. Et his qui ut melius consulantur hæc agunt. Et quid agendum pœnitenti, qualiscunque sit sacerdos. Et quod quidquid minus fit a presbytero, impletur a Deo. Et quid est quod

charitas operit multitudinem peccatorum, et elemosyna exstinguit peccatum

CAP. LIII. Adjicitur, aliter agendum cum ægro, aliter cum sano. Et inter sanos, aliter cum mundum, aliter cum Deum timente. Et quomodo. Et spreto convenienti sacerdotis consilio, reoque in perjurium lapso, quid agendum sit presbytero.

CAP. LIV. Dicitur etiam quomodo qui causa injuriæ sibi oblata reum usque ad perniciem persequitur, sit reus. Et de eo qui ut similis habeatur accusatio, in reum jurat. Et quomodo debeat pœnitere.

CAP. LV. Sequitur judicem vel ejus ministrum innocentium persecutoribus non debere consentire. Et ne sinant impium hominem vivere. Et quod cavendum est ne vel odio vel gratia, vel hujusmodi causa hoc fiat.

CAP. LVI. Monstratur etiam Ecclesia duobus egere gladiis. Et quibus ipsi deputentur. Et quomodo inter eos debeant dividi. Et ad quem debeant tendere finem. Et injurias sibi illatas considerare. Et quod justitia non est vendenda. Et quomodo utraque potestas se habeat adinvicem.

CAP. LVII. Adjungitur quomodo agendum sit cum ægro, qui peccatis territus Deum tantum timet. Et de presbytero qui securos facit illos, qui vel unum in se vel in alio, non cessant fovere peccatum. Et quid his sit consulendum. Et quæ peccata a presbytero, quæ sint curanda ab episcopo. Et cur ista publice, illa curentur occulte.

CAP. LVIII. Subnectitur onus viventibus debitum, morituris non esse imponendum. Et quomodo decessurus sit a presbytero alloquendus, quomodo etiamsi convalescit. Et quid maxime sit procurandum a sacerdote.

CAP. LIX. Postea dicitur quid sit opus confessione, quid denique fructus pœnitentiæ.

CAP. LX. Additur quomodo homines ligantur et quid sit pœna peccati, et quando 22 absolvuntur, et quandiu vinculo peccati constringuntur, et unde contrahat homo ut ad vitam per se moveri non possit, et unde a malo se subtrahat. Et qualis sit qui a morte peccati ad vitam redit, et quod justitiæ restitutus, ad viam veritatis sacerdotali confessione præparatur, et quare sit necessarium nullum ad confessionem esse pigrum.

CAP. LXI. Sequitur, unde veniat obligatio et absolutio, et quod sacramentum ligandi atque solvendi est penes sacerdotes. Et cum solius sit Dei peccata dimittere, quid sit homines peccata remittere, aut inde absolvere. Et quod sacerdos nihil agit, nisi liget ligandum, et solvat solvendum.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES SEPTIMÆ PARTIS.

CAP. I. In septima parte dicitur, quibus sit opus post confessionem et absolutionem, et quibus impetretur visio Dei. Et quomodo dupliciter culpa dimittatur. Quomodo etiam et quare cito vitia condonantur.

Et de remissione Dei apud sacerdotem se accusare proponenti. Et qui modo, qui in futuro a delicti pœna solvantur. Et quæ delicta post mortem veniam consequuntur. Et de trifaria participatione a peccatis.

CAP. II. Dimissionem etiam trinam mereri disciplinam cum oratione et eleemosyna, supponitur. Et quomodo, et quod ad salutem proficiunt.

CAP. III. Disciplina etiam opus esse monstratur. Et quod est disciplina exterior et interior, et unde homini proveniat. Et quod tanto agit præclarius, quanto eas fert gravius. Et quid sit disciplina interior. Et quando disciplinam exterius habemus. Et quod conveniens est contrariis vitiis, contraria apponi remedia virtutum. Et de satisfactione virgarum, et jejunii, et de modo jejunandi.

CAP. IV. Qualis etiam oratio prodire debeat dicitur, et quid sit, si interim mens vagatur, et quod ne vagetur certans, ipso certamine beatus est; et qualis debeat esse qui petit, et quod petit, et cur verbis utimur.

CAP. V. Cum etiam eleemosynam damus, dicitur, quid nobis providemus, et quod id unde opus non est, aut tantum ut modum excedat dari non debet, et quod magis insistendum est valere animæ quam corpori. Et quomodo debeamus proximo viventi prodesse, et pro quibus defunctis exorare, et cur in agendis mortuorum pro parvulis et pœnitentibus exoramus: et quid agendum his qui corporaliter proximis subvenire volunt et quomodo et unde subveniendum.

CAP. VI. Cur etiam decimam offerimus, et novem nobis retinemus, subditur, et de quibus persolvenda sit decima, et quibus et cur illis. Et cui eorum vita linquitur discutienda: et quod clerus, qualiscunque sit, semper est venerandus, nec a re debita spoliandus, et qualiter decimandum, et cui sit persolvendum, et quid ad laicos, quid vero ad episcopos pertineat, ordinandum.

CAP. VII. Cur etiam potestates a Deo sint constitutæ dicitur, et quod eos imponat modo tranquillæ, et quare? et quod obediendum est potestati, et quod una potestas providet corpori, altera menti? et quare? et cur gladio Petri gladius regis sit additus? et quid rex debeat Ecclesiæ? et quantum potestas episcopi sit præferenda regis? et quam sit necessaria regnis; **23** et de eminentia utriusque adinvicem?

CAP. VIII. Quomodo etiam rex terrenis potestatibus curam impendere debet, dicitur; et quales sunt qui ambitiose concedunt, et quando operis merces crescit, et quando opus ad Dominum mercedem habeat, et quales ministros rex debeat providere, et quomodo eas debeat instruere.

CAP. IX. Milites etiam quare sint sub rege dicitur: et quare ab hominibus tributa solvantur, et quid subditi dominis debeant, et e converso; et quomodo subditi dominis debeant esse fideles, et e converso.

CAP. X. Ad clerum transire cupientem, liberum esse oportere monstratur, et litteratum, et quod ei supersedendum est militia negotiatione et sæcula-

ribus judiciis, et quare; et quod tamen hujusmodi multi non statim admovendi sunt choro; et quod nemo per se ad Dei gradus accedere præsumat, et quod sub certo titulo debeat quisque ordinari, et quomodo ibidem ministrare.

CAP. XI. Citra subdiaconi gradum nuptias celebrari dicitur, et cur postea prohibetur, et cur hoc in veteri lege non observabatur: et quod quandoque, tamen tunc, continebant, et quare? et quod nullo modo sacerdotes gratiæ veteres debent imitari.

CAP. XII. Et vero qui in suo gradu bene conversari quærit; quid sit agendum, subditur; et quid mereatur qui gradum suum usurpat, et ei qui in Ecclesia ordinatur, vel beneficium accipit, vel in ea præficitur, quid sit cavendum, et quid considerandum acceptori et datori, et quid præsul debeat cogitare in distribuendis Ecclesiæ officiis, et quid qui promovetur, et qua intentione clericus mundi negotia agat.

CAP. XIII. Quare Simon Magus Petro pecuniam obtulit subditur, et quod spiritalis potestas non sit emenda vel vendenda, neque possessio quæ haberi non potest sine ministerio spiritali, et quid agendum ministro in ovile Christi male ingresso.

CAP. XIV. Quandiu etiam sacramentum semel impositum permaneat, dicitur; et de ordinatorum suspensione, et degradatione, et de his qui interdicto utuntur officio.

CAP. XV. Bonum vero introitum habenti quid sit agendum, dicitur; et quomodo se debeat habere curiæ capellanus, quomodo sacerdos parochianus.

CAP. XVI. Quare autem sacerdos doctrina et vita pollere debeat, subditur, et quid vel quo interdicitur; et qualis doctor debeat esse iudex, vel hic desinere.

CAP. XVII. In quibus etiam continetur doctrina sacerdotis, adjicitur; et quale debeat esse ejus studium, et de parvulis baptizandis, cum de eorum vita desperatur, qualiter eis debeat succurri, et cur cum antiquitus adulti, modo omnes parvuli baptizantur, et quod post baptismum oblatio debet fieri, nec tamen extorqueri.

CAP. XVIII. In doctrina vero morum quid antecedit, et quid sequatur postea monstratur, et de doctrina, et flagello, et quando opus sit sola exhortatione, et quod ratio disciplinam moderetur.

CAP. XIX. Tres esse partes Ecclesiæ, et prælatos, continentes, conjugatos, per Noe, Daniel, Job significatos, in agro, lecto, molendino ostenditur; et quomodo ii tres ordines per hos tres viros, et in his locis, significantur; et de officio castitate prælatorum.

24 CAP. XX. Quid etiam Danieli, id est continentibus sit agendum, subditur, et quod ipsi nec fornicatores, nec conjuges esse possunt, et quod illud consilium: *Si vis esse perfectus*, etc. non respicit conjugatos; et quomodo conjugatus erga familiam et Deum se debeat habere.

CAP. XXI. Sub prælatis autem continentes et conjugatos esse postea reperitur, et quid ab eis sortian-

tur, et quod praelatos subditi non reprehendant, et A 25 qualis debeat esse doctor, et cur talis, et quid inde mereatur.

CAP. XXII. Deinde vero reperitur ubi transitus esse possit inter molendinum, et lectum, et agrum; ubi non; et si praepropere fiat transitus ad continentiam, quid fiet? et quod molendinum inhabitantes, lectum subire possunt; et quod de neutro ad agrum est trans-eudum, nisi Ecclesia vocante, et qua necessitate sublimatus ad privatum transeat. Et de hoc quod dicitur: *Duo in agro, duo in lecto, duo in molendino, unus assumitur et unus relinquitur.* Et quomodo boni et mali omnes non nisi in his locis manent.

CAP. XXIII. Quas etiam vitas tres Ecclesiae ordines profitentur subditur, et qualis sit activa, qualis con- B tenplativa vita, et quid actio, quid contemplatio faciat; et quod Rachel et Lia, Maria et Martha has significant vitas, et quod historia harum mulierum his aptatur vitis.

CAP. XXIV. Quae autem sit pars Noe dicitur; et quod praelatum oportet utriusque vitae habere experimenta; et quod aliter nullatenus est idoneus, et quod ipse activus et contemplativus tantum praemi- neat, ut quasi uxorem regat plebem.

CAP. XXV. Quæritur autem postea de activa vita quæ, cui sit præferenda, et quod melior sit contem- C plativa, et quod dum labores Christi, et anxietates, et suorum attenduntur, activa præcellere videtur, et quod tamen quantum ad futura, contemplativa sit melior et quod hic sicut activa superatur; quando- que superat contemplativa, et quod praelatus utraque uti debeat.

CAP. XXVI. Dilectiones quoque duas esse sicut et vitas, subditur: et quomodo ad illas se habeant.

CAP. XXVII. Quod etiam non sit vita qua possit homo Deo placere, nisi in alterutra istarum, subdi- tur: et ideo qui solitudini se includit, nec statim reli- gionis studiis perfruitur; et de his qui solitariam vitam, usurpative autem intrant, aut ingressam servant, et de his qui negligenter omnia faciunt, et de his qui superbia vel invidia laborant, et de his qui peccatis specie decepti, excessus fratrum repre- hendere non audent, vel etiam fovent, et his qui præ- positis suis sunt inobedientes, et quid boni bene subditis erit; et qui sint boni subjecti; et quomodo D potestates debeant esse sollicitæ, pro subditis ratio- nem reddituræ; et quando sit bonus a sæcularium conversatione separatus, et quando perfici incipiat. Et de eo quem mundi circumagit mola, et quomodo quisque in suo officio se debeat exercere, et de ædifi- catione super fundamentum auri, et argenti et lapi- dis pretiosi, et de superædificatione ligni, fœni, stipulæ; et quomodo circa res mundi se habeat homo. Et quomodo sint amandæ; et de carum amissione quomodo dolendum, et de his qui ad inferos descen- derunt, et quod divinum examen quandoque consue- tudinem mutans insolita interserat, ubi de resurre- ctione mortuorum.

CAP. XXVIII. Deum autem primo viro, primam

uxorem condidisse et dedisse postea dicitur; et quomodo sunt duo in carne una, et quod si homines non peccassent, lex conjugii binos tantum copulasset; et quod mulier viro sit subdita. Et quod patriarchis plures concessæ fuerint uxores, et quare, et cur de cognatione non alienigenæ vel idololatræ essent du- cendæ. Et quod multis de causis dimittebantur, et quare: et quod prius concessæ in lege prohibitæ sunt concubinæ, nec tamen plures uxores.

CAP. XXIX. Apud gentes etiam pellices et conjuges fuisse ibidem reperitur. Et quod prædicatio Christi in copula inventos, non ab ea, sed in ea vocavit; et quod vitium non officium tollere venit: et de con- jugio inter fidelem et infidelem, et quid sit quod lex prohibet, infideles suscipi matrimonio vel teneri: B Apostolus vero monet idololatram tenere.

CAP. XXX. In quo etiam decreto Christi prima lex conjugii redit, monstratur. Et quare fiat divor- tium, et quid postea agendum, et quod vir provideat tam corpori quam animæ uxoris, et quod cur vir in aliis præsit, in reddendo debito uterque par est, et cum longe melius esset cessare, cur indulgetur nuptiæ, et quando coitus non imputatur. Et quod melius est hujusmodi coitus culpam incurrere, quam se ab uxore subtrahere; et de studentibus exsaturandæ libidini, et mutuo appetitu se contaminanti- bus.

CAP. XXXI. Quod etiam concubitus actus natura- lis sit, et quod non nisi ex adjunctis depravatur, subditur; et quod sicut quidam actus facile, quidam C difficulter sine culpa transigi possunt; sic concubi- tus nullatenus, et quod hujusmodi actus naturales in natura sunt boni, aliunde decolorantur. Et quod non crebro nisi ex adjunctis accusantur, et quod nihil culpæ important, si repellantur quæ importune comitantur.

CAP. XXXII. Conjuges vero semper posse conti- nere, subditur, et quomodo id agant, et quod mu- tari non debet. Et de hoc quod occulte vovetur, et hoc quod manifeste. Et hoc quod levitate et contra rationem, et quid generaliter de omni voto sit tenen- dum, et quid agendum conjugibus continere male- tibus.

CAP. XXXIII. Quando etiam separat homo quod Deus conjunxit, dicitur; et quod fornicantem tenere, et dimittere licet; et quomodo sit intelligendum *Qui tenet adulteram stultus et impius est.* Et quod uterque adulter neutrum accusare potest, et quod ex susceptione non divertatur; et quomodo dimittens, et dimissa vivant, et cur propter fornicationem car- nis, dissidium Deus permiserit, et non propter aliud.

CAP. XXXIV. Adjicitur etiam libere posse rumpi conjugium, aut pro cultu dæmonum, vel abominatio- ne morum, priusquam consentiatur, vel si talis non possit ferri conversatio, et quod tamen contineatur, et de disponentibus uxores dimittere, illo propter fornicationem carnis, isto propter fornicationem

mentis: et quid sit quod Dominus unam, hic vero A tur, quæ possunt simul esse, et etiam separari. Et de conjugio liberi et ancillæ, et invalentis debitum reddere.

CAP. XXXV. Quod etiam post conjugium multa contingunt ut ejus usus stare non possit, nec tamen ipsum desistat, subditur. Et quod multa in conjugio vel ante fiunt, quare ipsum non sit vel esse desistat, et quæ sint illa, et quod Dominus quædam docuit, cæteris docendis suæ Ecclesiæ relictis.

CAP. XXXVI. Quos etiam statuta Ecclesiæ a conjugio arceant, subditur; et de connexionæ baptizantis et baptizati, et cur talis sit modus baptismi: et de affinitate viri et feminae, 26 et quid fiet, si causæ illæ quæ præveniendæ conjugium impediunt, post factum accidunt.

CAP. XXXVII. Sequitur autem de eo quod quis fide interposita alicui conjugium promiserit, et interim aliam duxerit. Et quod pejerando potius est quam quid contra legem fiat, et quæ jurare, bonum; et quæ facinus sit, et quando juratum dimittere bonum sit. Et quod nemo delinquit ut alterius scandalum caveat, et de juramento quod fieri non potest sine peccato, neque dimitti sine scandalo. Et de sponsione conjugii, juramento autem fide fulta; et matrimonio aliunde interim contracto.

CAP. XXXVIII. Ostenso autem quæ personæ conjugii non possint, nec conjunctæ remanere. dici-

tur, quæ possunt simul esse, et etiam separari. Et de conjugio liberi et ancillæ, et invalentis debitum reddere.

CAP. XXXIX. Quo vero oculo nuptiæ sint subeundæ, et quid boni quidve mali secum ferant, dicitur. Et quæ causæ interdum occurrant in conjugio, quæ Deo pervalde displicent, et cujusmodi considerationem debeat habere nupturus, et quæ sint causæ præcipuæ matrimonii. Et quæ tria bona connubii, convenientes suscipiant, et quare, et quod absque fide et sacramento, conjugium esse non possit, sed absque prole esse potest, et quod conjuges nullatenus faciant, quin filios suscipiant, et quod fides quandoque est sine sacramento, et sacramentum absque fide. Et de his qui tali animo conveniunt, ut undique fornicentur; et quid fieret si conjungendi bona conjugii abdicarent; et quid, si in conjugio non nisi divitiæ vel voluptates, et hujusmodi quærantur; et de illo qui voluptate ad amplexus fertur, et de eo qui bonis conjugii, sua propter desideria, voluntate Dei prætermittit. Et de illo qui legem Dei attendit; sed nihilominus carnalem voluptatem affectat, et quod dum conjux vivit, omnia cum ea sint toleranda, et de libertate superstitis post mortem alterius.

INCIPIUNT PRÆNOTATIONES OCTAVÆ PARTIS.

CAP. I. In octava parte dicitur refectione corporis et sanguinis sui Christum Patri suo mundum reconciliare, et cur id hoc modo maluit facere, et de hoc pane quem significet, et qui eum manducant, et de Sacramento corporis et sanguinis Domini in veteri populo, et de figura et umbra et rei veritate.

CAP. II. Quis vero panis et quis liquor, et cur non alius ad mensam Domini admittatur, subditur, et cur conficitur corpus et sanguis, et cur ibi multa grana conveniunt, et quod hunc panem comedendo, Domino junguntur, et quod corpus carnem, sanguis animam recreat, et quare, et de efficacia corporalis cibi et spiritualis, et quod spiritualis, aliis in vitam, aliis in mortem sumitur, et quid in ultimis agendum sit sceleroso, et cujusmodi bonus possit communicare, et qualis sit dignis et indignis Eucharistia.

CAP. III. Cur etiam aqua immisceatur, dicitur, et quid significet, et quod participantes significatæ rei memores esse debemus, et quare: et qualiter presbyteri, qualiter laici participare debeant, et quare sic laici: et quod caro sine sanguine non est, vel e converso, et quod panis intinctus non est tribendus.

CAP. IV. Quale autem corpus suum Dominus tradiderit manducandum discipulis, adjicitur, 27 et quod nihil inde erat passurus, et quod in passione completum est, quod in Christi agebatur mortali corpore. Et quod modo in ejus mensa geritur, in

passione præcessit, et quod templum Christi sumus dum ipsum suscipimus, et quid mensa Domini designet, et quod hoc Sacramentum sit præcipuum.

CAP. V. Quomodo autem Dominus panem in corpus, vinumque in sanguinem suum vertat, subditur, et quibus verbis sit utendum de hac versione; et quod nemo aliud astruat, quam quod verba Domini indicant voluisse, et quod utrumque est in utroque, et neutrum est sine altero, et quod non potest sumi nisi totum, et de fractione dentium et de contritione, et quod substantia mutata, proprietates remanent, et quod nulla sit ibi sensuum delusio, et quid illæ species exhibent tractandum.

CAP. VI. A quibus etiam tantum, licet indignis, si tamen constitutio servetur, possit Eucharistia confici, dicitur, et quorum sit dare vel negare, et quibus et quando et quare, et quomodo sit reus aliter faciens, et quid indignis sit agendum, et de occulte flagitioso.

CAP. VII. Quoties vero statuta Patrum sanciant communicandum, subditur, et quod presbyteri crebrius debeant participare, et quod quisque caveat, ut obnixe accedat.

CAP. VIII. Quare autem Dominus nostros cibos non renuebat postea dicitur, et quod agebat id quos suos acturos decreverat, et quomodo vivant qui solitariam eligunt vitam, quomodo vero qui de loco ad locum migrant, et quod nullum hominum genus sancte se habenti noceat. Et quod exemplo Domini

etiam inter malos conversari debemus, ut eis prodesse possimus, et quod mutandus est locus ubi non potes mortem animæ effuge. e.

CAP. IX. Veterem etiam cœnam cum discipulis sumpsisse Dominum ibidem reperitur, et quare, et quod ipsa non sit reducenda, et quod extrema pars ipsius, id est participatio corporis et sanguinis, sæpius sit repetenda, et quod Dominus lavit pedes discipulorum, et hoc eis aliis facere præcepit, et quod figuras imminuit, et terminavit, et de responsione ejus facta Judæis discipulos de convulsione spicarum accusantibus, et quod vetera nullatenus sunt tenenda post novam Christi institutionem, et cur Apostolus quandoque ad illa redit, et quod cœna Domini nullatenus sit repræsentanda.

CAP. X. Quando etiam Dominus libertatem ciborum restituerit, subditur, et quod nihil debemus comedere cum offendiculo fratris, et de idolothyto et de quibusdam cibus quandoque non utendis, et de hoc, quod intrat in os non coinquinat hominem, etc. Et de hoc si licentiam ciborum a Domino restitutam Ecclesia prohibuisset, et de Judæis qui modo quædam quasi illicita excipiunt, et quædam nova quasi a sacra adjuncta, et quibusdam cibus quasi immundis abstinere præcipiunt, et non causa corporalis castigationis.

CAP. XI. Additur de alternatione Judæorum et Gentilium in fide, et quod quidam præclari ex gentibus Antichristo resistent, et quod nonnulli Judæorum obedient. Et de illis quos Antichristus sibi seduxerit, et quid sit, *Cum plenitudo gentium introierit tunc*, etc.

CAP. XII. Quando etiam Elias et Enoch in paradysum sunt assumpti, subditur, et quid ibi expectent, et quod melius creduntur habere quam nos, melius habituri, et quid triennio et amplius prædicantes, **23** credantur acturi, et quid de Judæis tunc temporis sit futurum, et quid interim et quid sit, *Et nos non cognoscet amplius*, et de interfectione Eliæ et Enoch, et cur sepeliri prohibebuntur, et de statu Antichristi post mortem illorum, et quot annis prædicabunt, et quotannis Antichristus tyrannidem suam exercebit, et quare, et de abbreviatione persecutionis ipsius, et ubi occidetur.

CAP. XIII. Quæ vero præcedent hujus nequissimi adventum, subditur, et quare Apostolus locutus sit timentibus ne dies Domini instaret, et quomodo intelligatur: *Qui tenet nunc teneat donec de medio fiat*. Et quod operatione Satanae sit ejus adventus, et secundum quam operationem.

CAP. XIV. Illo autem interfecto, quot dies electis ad pœnitentiam concedentur, antequam Christus veniat, subditur, et quod nulla seductio sit futura electis, et quod nulla venia ministris Antichristi speretur, et quomodo repentinus eis superveniat interitus, et quis: et quod putatur ignem judicis, judicem præcedere, et quomodo in conspectu ejus exardescet, postquam apparuerit, et de fluentis aquarum, et de nostro igni, et quod cœlum et terra

A in melius vertentur, et duo omnino non erunt ignis et aqua, et de avibus perituris, et quantum ignis ascendet, et de superioribus cœlis, et quare orbis sit mutabilis, et cujus mutationem ejus immutatio sequitur, et quantum.

CAP. XV. Ultimus etiam ignis quamdiu durabit, subditur, et quod in eo vivi morientur, et per quem mortui resurgent, et incorrupti, et de incorruptione et immutatione, et quales omnes resurgent, et quot singula membra ad sua redibunt nomina, et quod resurrectio Christi et certitudo, et causa et exemplum sit nostræ resurrectionis.

CAP. XVI. Unde etiam juxta communem omnium sententiam procreatio filiorum originem trahat, subditur. Et quod plerisque placet aliunde incrementa venire, et unde non natis, et unde natis, et de portione juxta hoc, a parentibus in homine, et unde remotiores secundum hoc sint facti, et quod alii dicunt semen parentum usque ad virilem adlescere quantitatem, et secundum istos fomenta interiora in humanam non vertuntur substantiam, et quid juxta hanc sententiam resurgat, et quid juxta aliam.

CAP. XVII. Quæritur autem postea si cum omnibus membris resurgemus, an costa ad Adam redibit, et de filiis, si semina redibunt ad parentes, aut si nihil habebunt filii in substantia sua, quod parentes habuerunt in sua et quod omnes in lumbis Adæ existerunt, et quod unum est principium, et quod filii de materia parentum constant tantum, et quod quædam sunt in homine ad remanendum, quædam vero ad recedendum, et quæ; et quod homo superflua in vita abjecta in resurrectione non resumet, et quod necessaria quæ humanus subtraxit status, tunc sint resumenda, et de hoc quod capillus non peribit, et quantæ staturæ quis sue erit in resurrectione.

CAP. XVIII. Cujusmodi vero qualitatem nanciscuntur homines post resurrectionem subditur; et quod in transfiguratione fuit exemplum futuræ claritatis, et quod in ea sancti veste carebunt, et quod ut Christus ab eis, sic sancti ab invicem distant claritate, et quod sic similiter et resurrectio mortuorum, et quod duplex est resurgentium claritas.

CAP. XIX. Quando etiam ignis sit venturus, et Dominus descensusurus, subditur, et quare tunc tandem, et quando tuba habeat **29** locum, et quare tunc, et qui prius resurgent, et qui postea, et quanta erit levitas resurgentium corporum, et quomodo descendet Dominus, et quare vox quæ audietur, dicitur tuba, et quæ mora erit in resurgendo, et de tuba, per quam resurgent, et quomodo in ictu oculi alii prius, alii posterius resurgent, et de quorundam assertionem quod reliqui vivi cum prioribus resuscitatis in raptu ad aera morientur, et sic resuscitabuntur. Quæritur etiam quomodo resurgent mortui et quali corpore vivent et de descensu Domini et resurrectione, et quod in igne erit, et quare.

CAP. XX. Postea vero agitur de tuba et adventu Domini, et si simul fient, et post ignem quomodo ju-

dicabit vivos et mortuos, et sæculum per ignem, et quod quibusdam placet, Dominum in tuba descendentem, ignem inducere, et in eo mortuos resuscitatos sublevare.

CAP. XXI. Quantum etiam ultimus ignis durabit, dicitur, et quid oporteat esse, si animæ tunc ut nunc extra corpora sunt purgandæ, et quid hi in corporibus luent, quod in corporibus deliquerunt, et quid potius est tenendum, si emundatorum et mundandorum simul erit resurrectio, et quod Dominus in aere usque dum sui congregentur ad se, exspectabit, et si cuiquam id absurdum videtur, quid de iudicio dicet, quare et ponitur, et quod obesse videtur.

CAP. XXII. Quamvis etiam tempora incendii et iudicii lateant, subjicitur certum esse repentinum superventurum interitum, et quare, et quod sol et luna privabuntur lumine, et quare et de hoc quod dicitur, *erunt signa in sole et luna*, etc.

CAP. XXIII. De mora etiam post signa usque ad incendium subditur, et quod in eo fiet resurrectio, et de ascensu sanctorum, ea facta et quod nubes eos suscipiet, et cum facultas per se non deerit, cur Angeli ministrabunt et nubes, et quod tunc omnis caro videbit salutare Dei et post non. Et quid est quod Dominus revelabitur in flamma ignis.

CAP. XXIV. De verbis etiam Domini, quæ post signa solis et lunæ et stellarum sequuntur, subditur, his scilicet: *Et tunc parebit signum filii hominis in cælo*, etc.

CAP. XXV. Qui etiam prius boni an mali, suis in locis recipientur, dicitur; et quod utrique in domo Patris recipient diversas mansiones, juxta merita; et de statu justorum, et quare omnes ibi aderunt homines et Angeli, et quomodo Dominus ad iudicium veniet, et de regno ejus super Ecclesiam, et quod oculi carnis eum videbunt, et unde, et quo congregabuntur, et quid dicendum de indignis.

CAP. XXVI. Quod etiam ignoratur super quam mundi partem Dominus apparebit, adjicitur; et tamen quid arbitrandum, et quid sit factururus, et quo

merito. Et quod spiritaliter et corporaliter debemus proximis subvenire, et quod sit majus, et de utilitate pietatis.

CAP. XXVII. In die etiam iudicii bona et mala omnium esse manifestanda omnibus, subditur, et quare; et de peccatis per pœnitentiam tectis, et bonis et malis, abolitis.

CAP. XXVIII. Quomodo etiam tunc unius conscientia omnium capiet gesta, dicitur, et quatenus corda iniquorum dilatabuntur; et cujus virtute, et cum quod est singulorum sit trium, quomodo Pater omne iudicium dedit Filio.

CAP. XXIX. De malis et bonis quomodo Deum tunc videbunt, postea reperitur; et quid significet transfiguratio Christi cum Moyse et Elia, interseritur.

CAP. XXX. Ordinem quoque salvandorum et damnandorum duplicem esse futurum, adjicitur; et qualiter, et cum quidam sanctorum iudicabuntur, quomodo omnes iudicabunt, juxta illud. *Judicabunt sancti nationes*, et illud: *Dominabuntur eorum justi in matutino*.

CAP. XXXI. Queritur autem deinceps quid sit mundum iudicare, et quod Dominus more mortalium iudicariam proferet sententiam, et pœnam sive præmium per ministros inferet, et quod sancti sub Domino iudices erunt, et quomodo, et quod Dominus iudicaturus est bonos et malos, sancti vero tantum malos.

CAP. XXXII. Post iudicium autem, malos in supplicio permansuros, et bonos in voluptate, subditur; et quod sanctos non latebit malorum status, et quare; et quod miseri sanctorum gloriam scient, nec tamen cernent, et quare; et quod horum bona vel illorum mala nemo possit exponere, et quare. De miseria tamen gehennali subditur, et quod in neutro statu, tunc erunt opera, et quare; et de habitu mentis, et quod mali nullum habebunt remedium, vel boni casum.

ROBERTI PULLI

SENTENTIARUM

LIBER PRIMUS.

31 CAPUT PRIMUM.

Primo Deum esse ostenditur.

(6) Irrationabilium rationalis progressus, et indefessus in se recursus, dispositorem suæ præsidemachinæ indubitanter evincit. Qui vero suum re-

bus ordinem indidit, num ipse existendi initium habuit? Sed quæ esse incipiunt causam necessario subsistentiæ prosequuntur. Nam quis intelligit, de eo quod esse caret, quo modo ad esse veniret, nisi aliquid tale præcederet, unde exordium subsistendi ha-

(6) Magister sent., lib. 1, dist. 3.

beret? Quod autem alii causa est ut sit, quis eo excellentius esse negabit? Aut igitur Deus existendi principio carebit, aut excellentius se et antiquius aliquid habebit. Constat itaque Deum esse, et initium subsistendi non habere.

Quidquid autem est, vel substantia, si Aristotelem sequimur (7), vel accidens est, utrum horum est Deus? Si accidens est, per aliud est, qui cæteris esse confert; si substantia est, susceptibilis contrariorum est: qui invariabilis, et immutabilis est. Substantia enim dicta est, quia accidentibus subjecta est. An dicemus substantiam, non quia alii se subjiciat, sed quia per se et non per aliud existat? Si ita est, inter nobis notas non reperitur substantias, quas non aliter novimus nisi subjectas accidentibus. Si ita est, nullo designatur nomine; quia omne nomen significat substantiam cum qualitate, atque ideo dissyllabum hoc, Deus, pars orationis non est; quia de quo magis videtur nomen, non est. Aut si est, quæ est ejus substantia qualitati subjecta? Nomen enim, ut de genere et specie perhibet Aristoteles, circa substantiam qualitatem determinat.

CAPUT II.

Contra idololatriæ errorem unus tantum Deus est.

Idololatriæ cæcitas pluralitatem deorum profano ore conatur astruere. Sed quæ plura sunt, alia aliis aut præstantiora inveniuntur, aut æqualia. Deus autem nulli subesse potest. Ac per hoc, dii plures si sunt, pares utique sibi sunt. Nimirum Deus quoniam initio caret, nec finem habere valet. Quæcumque enim terminantur fine, exordium sortiuntur existentiae. Fieri quidem potest ut res esse incipiat, beneficioque ejus per quem cœpit, finem nesciat. Verum quæ ab esse ad non esse, nativo proferat defectu, a non esse quoque ad esse, munere venit auctoris, quoniam id proprio contingere nequibat conatu: nam si semper exstitisset, id utique obtineret virtutis, ut nunquam deficere posset. Quamobrem Deum, quoniam propagatur æternitate, nihil aliud decet, nisi ut intransgressibili, imo, inaccessibili decoretur bonitate, scientia, immensitate, potentia. Quare si dii duo sunt, aut plures, neque alius alio, salva Dei majestate, potest esse inferior, procul dubio quotquot sunt, indifferenti, ut dictum est, æqualitate reverendi sunt. Erubescat ergo idololatriæ vanitas, confingens deos alios juniores, alios seniores, alios quoque majores, alios autem minores.

Sed et illi confundantur, si qui diis pluribus æqualitatem ascribant. Namque sicut divinitatis ævo congruere videtur, ut nunquam cœperit, ejusque potenti artificio, ut res quasque materia formaque consummaverit, ita quoque rationi placet, cordique bene sedet, ut tanta excellentia, singularitate majestatis, admiranda habeatur. Quomodo enim Deus plus est quam unus, si Creator quoque non est nisi unus? Unus autem et solus Creator esse cognoscitur, quoniam una et sola mundi fabrica invenitur. Si enim

(7) Prædic., c. 2 et 4.

plures dii essent, sicut unus et præter quem non est alius, nativa bonitate opus bonum incepit, et quoniam perfectissimus est, consummavit: ita quoque alii alia eisdem de causis suum quique opus bonum incepissent, et consummassent. Nam sicut sancta et gloriosa Trinitas, quoniam unus est Deus, una voluntate eademque potentia, indivisa facit opera, ita pluralitatem deorum pluralitas prosecuta supradictarum conscientia rerum divisa produceret opera. Quisquis enim sibi sufficiens, ac per se subsistens, frustra alteri communicaret opus, quasi opis indigus alienæ. Quod enim alius alii cooperatur, aut naturæ est, unde in sancta Trinitate, nec voluntatum, nec scientiæ neque potentiæ, imo neque operationis, ulla omnino potest esse distantia: *Quæcumque enim Pater facit, hæc Filius similiter facit* (Psal. xvii, 4); aut beneficii est, unde cum sancto sanctus est Dominus; aut necessitatis ut cum ope egemus aliena.

Sed dices: *Alternam hic exigere charitatem, ut et cum opus non est, communicet operationem.* Sed inter hominem et hominem ita est: at inter Deum et Deum, ita esse non potest. Filius carnem suscepit, Pater amat Filium, et tamen quia opus non erat, Pater cum Filio incarnari recusavit. Et sicut Pater ac Filius cum Sancto Spiritu, propter unitatem divinitatis opera facit una; ita si multi Dii essent, multiplicitas deitatis, quoniam cooperatione opus non esset, multipliciter et divisionem produceret operationis. Et quoniam hujusmodi investigandis, noster minus viget sensus, ubi ratio deficit, fides auctoritate fulta, succurrit, affirmans unum esse Deum.

CAPUT III.

Tres personæ sunt.

(8) Sed si unus est Deus testante Moyse, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (Deut. vi, 34); quomodo est tres, juxta illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (Joan. i, 5, 7). Ergo unum id est. Deus, est hi tres. Horum autem trium singulus est Deus bonus, sapiens; quare non tres dii boni, sapientes, sed unus? Sicut horum trium Abrahamæ, Isaac et Jacob, quisque singulatim est homo bonus, sapiens. Similiter autem tres homines boni sapientes non unus. Unam in Deitate substantiam, docente Domino, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x), confitemur. Quomodo ergo tres personæ? aut si tres personæ, cur non totidem substantiæ, sed tantum una? In creaturis enim unitatem substantiæ comitatur identitas personæ, diversitatemque personarum, multipliciter sequitur substantiarum. Petrus ut una est substantia, ita et persona, Petrus Jacobus et Joannes, sicut sunt tres personæ, ita et substantiæ.

Dicet dialecticus: *Species est tota substantia individuorum, totaque species, eademque in singulis reperitur individuus. Itaque species una est substantia;*

(8) Magist., i. sent., dist. 2.

ejus vero individua, multæ personæ, et hæc multæ personæ sunt illa una substantia. Nam secundum Porphyrium, omnes homines participatione speciei sunt unus homo.

Dialectice, obscuro obscurum, incredibili creditum, solvere quæris; nihil proficis. Nam quod tantummodo unum est, tu vides qualiter tres est. Nonne domus una est? et tamen tectum, paries et fundamentum est? An similiter Deus unus est, et tamen Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus est? Nulla pars integralis suscipit nomen sui totius, sicut nec paries, nec tectum, domus. Pater autem est Deus, nec aliquid plus est Pater quam Filius: nec uterque, quam Spiritus sanctus. Simplicem igitur essentiam, Deum, nemo pervidit personis compositam.

Utrumne sicut genus quod in se est unum, assumptis differentiis transit in multa, et est illa, ita Deus, qui est una substantia, paternitate, filiatione, ab utroque processione formatus, est plures, non dii, sed personæ; quemadmodum et genus est plura, non genera, sed species?

Sed Deus si ex illis tribus est tres; ex intelligentia, immensitate, pulchritudine, omnipotentia, dulcedine et cæteris fit multo plures, fit inquam ex innumerabilibus innumerabiles.

Sed dices: *Sunt nonnullæ formæ generum, quæ ea nequaquam ducunt ad esse specierum. Sunt quoque proprietates pertinentes ad substantiam, sed non efficiunt personam.* Aut dices: *Hæc idem quod Deus sunt, ac per hoc diversitatem personæ non faciunt, illæ idem quod Deus non sunt, ac per hoc id possunt.* Sed quid intercessit ut istæ sint, illæ vero idem quod Deus, non sicut? Item si substantia quæ Deus unus est, atque ideo una est, quia tribus illis afficitur, tres personæ est, videtur ipsa personarum materia; videntur ipse ex ea et afficientibus compactæ: ac per hoc substantia major videtur, quia prior; personæ minores, quia posteriores. Et erit Pater, qui Deus est, minor Deo, quæ materia est, minor paternitate, quæ Deus est: similiter Filius et Spiritus sanctus. Item, si Deus et forma sunt conjuncta ut sit persona, quis conjunxit ea? Nonne quæcunque conjuncta, et disjungi possunt? Item, si sicut tres sunt personæ, ita et ex quibus conficiantur tres sunt formæ; nonne cum hæc, sicut et personæ, æternæ sint, et ut diversæ sint personæ, Deus non sint (idem enim se non posset diversificare, personæ autem Deus unus sunt, nonne, inquam, tres res Deo reperiuntur coæternæ, et sex sibi coævæ?

Creator ergo Deus in substantia unus, in personis trinus, nullis partibus tenditur, nullis formis variatur, ut ipse et in unitate propter trinitatem, sit admirabilis, et in trinitate propter unitatem inexplicabilis. Etiam in unitate personas cur tres non plures fatemur nisi quia auctoritati credimus? Nec enim *fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum* (9). Dicit enim in Moyse Deus: *Non vi-*

debit me homo et vivet (Exod. xxxiii, 20.) Et in Evangelio dicitur: *Deum nemo vidit unquam* (Joan. i, 18): ergo dum homo mortali statu vivit, Deum videre nequit; corporeis quidem oculis nunquam, spiritualibus poterit post hanc vitam; nam tantummodo menti promittitur visio Dei, dum dicitur: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Nota futurum quia nunc nec cordi patet Deus. Si Deum nemo novit, nec Patrem; nam si Patrem novisset, utique et Deum: Pater enim est Deus; si autem nec Patrem, nec Filium novit. Nunquid tamen utrumque Deum esse intelligit? Nunquid Unigenitum ab ingenito genitum scit, sicut duos quoslibet homines esse ex aspectu nosti, neutrum tamen apud se nosti? Ita quoque plerumque alter alterius ratione aliqua, Pater quodammodo cognoscitur, uterque tamen ignotus respondetur.

Sed contra primum Dominus dicit: *Hæc est vita æterna ut cognoscat te, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3), unum esse Deum. Quare si Patrem et Filium Deum esse callet, jam vitam æternam habet. Contra secundum propheta de Unigenito ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isai. liii, 8.) Si genitum a Patre callet, generationem ejus nobis enarret.

Sed dicet aliquis: *Quamque personam singulatim esse scio; omnes simul personas Deum unum esse nescio; sed credo.* Similiter: *Filium genitum esse non ignoro, attamen Deum esse credo.* Vere credis: ea enim credimus quæ fides nobis insinuat; ea videmus quæ species nobis manifestat: et est fides secundum Apostolum: *Argumentum non apparentium* (Hebr. xi, 1); species autem comprehensio cognitorum. Fidem autem describere intendit, qui dicit: *Fides autem catholica hæc est* (10), etc. interpositis quibusdam subjunxit: *Singulatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur.* Quid est quamque personam Deum confiteri, nisi quamque personam Deum esse fateri? Quomodo autem id fatendum sit? Fidene an specie, tractatus ipse indicat, qui fidem et exponendam in capite suscipit, et expositam in fine concludit? Ibidem et inferius sic habetur: *Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.* Astruente igitur fide credimus Dominum Jesum esse Deum, Dominum Jesum esse hominem. Nam, sicut discipuli quem fide Deum credebant, sensibus hominem sciebant, ita nos ex ascensione perpendimus utrumque fide, neutrum cognitione; fide tamen absentia, quam cognitione præsentia firmiter tenemus, eisque mentis assensu inconvulsi hæremus.

Forsan supradictum tuens errorem, supradictum oppugnare capitulum, iniqua conabitur explanatione, sic: *Dominus Jesus secundum humanitatem creditur Deus, secundum divinitatem scitur esse Deus.* Sed si vere creditur, secundum humanitatem est Deus. Si

(9) Gregor. hom. 26.

(10) Athanasius in Symbolo

autem Dominus est secundum humanitatem et Deus (cum qua Pater ipse sit alius) secundum humanitatem est Patri æqualis. Nam secundum quod est Deus, minorem quoque dicere inconueniens est; contra quod est illud: *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Male igitur secundum humanitatem creditur Deus, qui secundum humanitatem potius est Dei servus, sicut secundum divinitatem est servi Dominus. Cum ergo fides arguat Filium Dei esse Deum (nec enim Dominus Jesus in quantum filius hominis, imo quia Filius est Dei, est Deus), eundem esse a Patre natum, persuadet me fides, an indicabit nobis ipsa res? Sed si a Patre genitum esse scimus, ipsum esse Deum nescire non possumus. Nam, teste Augustino (11), omnis res gignit id quod ipsa est, equus equum, homo hominem; Deus ergo Deum. Sed quia Dominum Jesum ignorantes, esse credimus Deum, eum a Patre gigni ignorantes credamus, secundum illud: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et post pauca: Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum; et ex Patre natum ante omnia sæcula*. Credo ergo Dominum Jesum esse ex Patre natum, non scio. Nam *generationem ejus quis enarrabit? (Isai LIII, 8.)*

Similiter utique et processionem Spiritus ab utroque, nemo poterit declarare. Si igitur non solum unamquamque in se, sed et omnes simul personas unum Deum esse, et non solum Patrem genuisse, sed et Spiritum sanctum ab utroque processisse, firma tenemus fide; fides autem est *argumentum non apparentium (Hebr. XI, 1)*, compellimur credere quod in terra nulli nostrum licebit apparere.

Nemo nos arguat quasi ignorantes scientiam, revelationem, cognitionem, in eis quæ ad fidem pertinent, sapius replicari. Ut *scitote quoniam Dominus, (id est Jesus) ipse est Deus (Psalm. CXIX, 3)*. Item: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi (Matth. XVI, 17)*: Et **35** rursus: *Nunc cognosco ex Patre (I Cor. XIII, 12)*. Sed aliud est proprie uti dictionibus, aliud improprie, nusquam tamen reprehensa auctoritate. Si vero ita est ut personæ proprietatibus affectæ non sint, quomodo est illud ecclesiasticum: *Ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas*, et illud in Trinitate (12) authenticum: *Non solum nomina, sed et nominum proprietates confitemur*. Quæ sunt personarum proprietates, [quæ nominum? Pater ingenitus Filium genuit, Unigenitus a Patre est natus, Spiritui sancto ab utroque est processus (13)]. Hæc sunt proprietates, quas prædicamenta nesciunt, quæ sensum nostrum omnino excedunt. Nam cujus ingenium comprehendit, Pater Filium ex sua substantia genuit, cum nec illi uxorem, nec huic matrem ascribere fas sit? Cum Patris et Filii una et eadem substantia sit, ac per hoc ex Patris totali,

Filii particularis non separaretur substantia naturalibus incrementis informanda; cum Pater Filium sicut nec tempore, ita nec æternitate antecedit. Si enim Filio Pater coætaneus est, quomodo Pater est? Si autem ut sit Pater, Filio prior est, Filius, quia incœpit, Deus non est? patet quod Filius Deo Deus est coæqualis, æqualis autem non idem sibi, sed alius alii dici solet. Ergone duo dii? Nam non quia est Deus, sed quia est Filius creditur æqualis. Nam quia est Deus idem est cum Patre; quia est Filius, alius est a Patre similiter Deo; alius nisi æqualis non potest. Si enim inæqualis foret, alterutrum horum contingeret, aut ut major Patrem haberet non Deum, aut ut minor, Filius esset non Deus: nam nec quisquam major poterit esse Deo, nec poterit Deus minor esse aliquo. Non igitur dii duo, sed Pater et Filius duo. Sic credimus: *Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo*. Natus est ergo de Deo Deus, sed non nisi quia est Filius. Quod si de Deo natus est Deus, cum inæqualis nasci nequiverit, indubitanter de Deo Deus natus est æqualis; sicut ergo de Deo Deus natus est, ita Deo Deus æqualis est.

Habet igitur quæque persona quod sic sibi est proprium, sicut nobis est incognitum. Habent nomina proprietates, singulatim significationes. Pater est Deus; Deus autem est Filius: quidquid enim Deus est, et Filius est: Pater igitur est Filius. Absit! Quia nequaquam si Petrus est homo, homo autem est Paulus, Petrus est Paulus. Sed potius sic: Pater est Deus, quicumque autem (non quodcumque) est Deus, est Filius; Pater igitur est Filius. Consequentia est vera, assumptio falsa.

CAPUT IV.

Invariabilis Deus qualitatibus et accidentibus non est subjectus.

(14) Deum cum magnum seu pulchrum enuntiamus, ipsi (quippe nullum habet accidens) non attribuimus. Sed magnum dicimus et pulchrum sine ratione, si potest intelligi, et quantitate. Non enim ad modum hominis, intelligitur Deus qualis. Nam secundum Isidorum (15), sicut in Deo idem est quod Deus magnitudo et pulchritudo, ita in homine aliud est quam homo. Nam sicut omnis creatura, ita et homo sibi insufficientis, externo indigens, quod magnus, quod pulcher, quod qualiscunque est, formis obnoxius debet, formæque impressori. Deus autem, quia summum bonum est, non aliunde imo ex se est, quantus quantus, qualis qualis est? An sicut Deum sine quantitate magnum, sine qualitate bonum; ita hominem omnemque rem vere informem discretionem cogitatum, non varietate formarum distinguimus? Hæc enim est vis mentis, ut concipiat diversis modis rem, licet formis non diversam. Quod dico, difficile est videre, difficilius explanare. Nam

(11) De verbis Dom. in Evang. Joan., ser. 51, homil. 45, inter. 50, lib. II, cont. Max., cap. 6.

(12) In explanatione Symboli ad Damas. inter opera Hieronym.

(13) Magist., I, dist. 25, § M.

(14) Magist. I, dist. 8, paragr. 3 et seqq.

(15) Isidorus, lib. I, Sent. cap. 4.

concoloribus differunt, si accidentia non sunt? An, ut quidam aiunt, conveniunt et differunt, sed in nullo, ut albi simulantur **36** sibi, sed in quo? An in participata specie? sed ratio evincit universalialia non esse. An in dividua albedine? sed singuli cernuntur suam, non alterius habere. Verumtamen sibi similes esse liquet, quia licet diversas, habent tamen albedines. Sed si formas tollimus, unde similes? Si sic dico, in consuetudine loquor, auctores tam divinos quam mundanos videor habere ad-versos.

Si tamen ita fateri decet, per formas non variatur Deus, nec Dei aliquod opus, ergone factura a factore varietatis non dissidebit dissimilitudine? Creatura crescit, decrescitque, gaudet et dolet, sperat et timet, modo calet, modo friget, et omnino alterationi subjacet; et si quæ sui Conditoris beneficio solidior est, eo privata dissolubilis est. Patetne igitur Conditoris conditæque rei firmitas infirmitasque?

Si corpus, quia caluit, modo autem tepet, mutatur; cur Deus idem est mundum prius creans, post a creatione cessans, Judæis primum ut hostes vincerent gratiam largiens, postmodum ut vincerentur eandem tollens? Qui ab æterno erat solum Dei Filius, ex tempore factus est et hominis filius, scilicet non incarnatus prius, post est incarnatus, si quod sine informatione est, incarnatus non mutatur. Cur homo alteratur de nigro albus, et de ægro sanus sine forma factus? An factoris factique ea distantia est, quod opifex etsi ut opus actibus distinguitur, non tamen ut opus in essentia mutatur? Actus enim divinitati vicissim accidentes, eunt, veniunt, ipsa in se immutata; quia non talia penes eam meant ut alterari inde debeat, ut dolor lætum, ægrotudo sanum, melius minus bonum valde permutat.

Si igitur Deus actuum ac per hoc accidentium est susceptivus, ut in Deo modo adsint, modo absint; quemadmodum substantiæ corruptioni subjectæ, incipit in se habere quo prius caruit, carere quod prius habuit. In substantiis hoc omnibus certum, in sibi accidentibus, multis est dubium; si, inquam, actus Deo accidentes quod sunt, permaneant; cum ante mundum sapuisset, justitiam amasset, contrarium odisset, et aliis modis se habuisset, constat quia non solus, imo actuum familia stipatus, Creator creaturam antecessit.

Si vero ita est, sapientia, bonitas, pulchritudo, immensitas in Deo non aliud est quam ipsa divinitas? sic enim clamat auctoritas (16); quæ, inquam, causa est, ut sapere in Deo aliud sit, sapientia idem quod Deus sit? Quamobrem sicut nec substantia, quæ una eademque trium est personarum; ita nec personæ quæ, cum sint tres, unius tamen sunt sub-

stantiæ, quippiam habent in natura diversum ab habente, a quibus nec agitur, nec habetur, unde vel modicum mutabilitatis suscipiatur: creatura autem sive informis sit, quod minus; sive formata, quod videtur amplius, eo modo se habet, vel habere valet ut mutetur.

CAPUT V.

Licet varia Deo attribuantur, unus et idem permanet.

(17) Hujusmodi ergo quasi formas Dei, sane mentis nemo aliud arbitretur quam ipsum, juxta incomprehensibilem majestatis amplitudinem, aliter atque aliter attendendum: nimirum quoties Deum omnipotentem, justum, sapientem dicimus, divinam solum essentiam designamus, quam tamen juxta suos se habendi modos, modis diversis meditatur: meditatio autem hujusmodi, variis vocum expressionibus demonstratur; expressiones autem hujusmodi non solum ea complectuntur, quæ circa divinæ amplitudinis unitatem intelligimus: verum et illa quæ Trinitatem in personis distinguunt. Quæ cum multa sint, variisque se modis mentibus infundant humanis, nihil tamen, ut dictum est, aliud potest esse bonitas Dei, quam Deus bonus; neque cætera (quæ tanquam formæ divinitatis simplicitati videntur coherere) **37** aliud possunt esse quam Deus, aliis et aliis dignitatibus insignitus; nihilominus tamen simplex et unus.

Proprietates quoque quibus personarum admiramur distinctionem, quid commode dicemus, nisi personas naturaliter ab invicem distinctas? distinctas utique ut a se alias, non tamen separatas: *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti* (18). Nihilominus tamen et semper et ubique simul sunt. Est quoque Filius in Patre, et Pater in Filio, Spiritusque sanctus in utroque, et uterque in ipso: *Nam qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus* (19). Atque ideo singuli in singulis, tanquam simillimi in simillimis, conspiciuntur; unde: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (Joan. xiv, 9)

Quas formas, ut supra dictum est, ideo idem aut cum unitate divinitatis, aut cum qualibet personarum dicimus, ne si nostro more, singulæ aliud sint ab eo in quo sunt, plurima sit rerum copia veneranda, æternitas magnitudinis infinitæ. Quod alii, et non Deo soli, ascribere nefas est; hujusmodi autem rerum copiam copia, ut dixi, designat vocabulorum; alia enim ornamenta unitatis, alia comprehendunt insignia Trinitatis. Trinitas autem sicut in Deitate unum est, omnibusque ejus ornamentis; ita quoque in personis est trina, omnibusque earum insignibus. Pater namque et Filius cum sancto Spiritu sicut in Deitate sunt unum; ita quoque in sapientia, immensitate et cum cæteris in bonitate sunt unum; unde: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 50). Eadem autem tres, tametsi plurimis distinguantur

(16) Patrum auctoritates indigitat, quas vide in notis.

(17) Magist., 1. dist, 8.

(18) Symbolum Athanas.

(19) Ibidem

modis, non tamen amplius quam tres conficiuntur proprietates. Quotquot enim sunt, tres tantum personas distinguere intendunt. Proprietates autem personarum vocabula quædam designant discrete, alia confuse: Discrete singulas, confuse autem binas vel ternas. Eæ (20) sunt *hydriæ copientes singulæ metretas binas vel ternas* (*Joan.* 11, 6). Pater et Filius, et Spiritus sanctus tria hæc vocabula, tres quoque distincte suas notant proprietates; persona vero, easdem tres indiscrete notat. Non enim aliquid commune, sicut Omnipotens, bonus, et cætera, tribus attribuit personis, verum unamquamque a reliquis insinuat distinctam; idque indistincte facit, quia nullam discretionis certitudinem ponit. Simili modo de Deo dicitur: *Qui appendit molem terræ tribus digitis* (*Isa.* XL, 12): una enim divinitas tribus in personis operatur. Sic cum unaquæque res ab aliis sit alia, diversa et differens, cumque differre communiter conveniat unicuique, nihil ex differentia, qua differunt, communitatis sortiuntur aut convenientiæ.

CAPUT VI.

Duæ processiones et principia.

(21) Sunt quoque duæ processiones. Una est Filii ex Patre, juxta illud: *Ego enim a Patre processi*. Altera Spiritus sancti ex utroque. Neque enim una et eadem potest esse processio ea quæ est ab uno solo, et ea quæ est ab uno et altera. Nam si una processio communis inesset duabus, sicut una v. g. omnibus tribus communis inest omnipotentia personis; procul dubio quemadmodum indifferenter tribus convenit omnipotentia, ut in ea sint unum; ita quoque processio conveniret duabus. Nunc autem quoniam aliter et aliter habetur, alia et alia convincitur. In omnipotentia, qualis Filius, talis et Spiritus sanctus. In processione autem non qualis Filius talis et Spiritus sanctus. Quid namque processio Filii, nisi generatio ejus? Quid item Spiritus sancti processio, nisi suâ a cæteris distinctio? Quamobrem quoties personis aliquid attribuitur, aut similiter et absque ulla differentia inest, et erit commune in omnibus, aut differenter, ut persona tribus; processio sive principium, duabus; et erit quoddam commune solum nomine, non etiam re: tamen si ad creaturam spectantes, prærogativa principii Creatorem veneramus, utique toti commune est principium Trinitati. Ipsa enim principium **38** est omnis creaturæ, a qua tanquam creatrice, propriæ munus subsistentiæ, creaturarum sortitur universitas.

Verum si sanctam apud se contemplamur Trinitatem, sicut Filius, atque Spiritus sanctus, uterque est procedens, Filius tantum ex Patre, Spiritus sanctus ab utroque; ita Pater et Filius uterque principium est; Filius solius Spiritus sancti, Pater autem et ipsius et Filii. Pater namque, ut tradunt, origo est in Trinitate. Non enim quod secundum locum, sed quod secundum substantiam alicunde est,

(20) Hæc habet ex August., tract 9, in *Joan.*, circa medium.

A id unde est principium habet sui; unde Filius de Patre, principium est de principio, nisi forte quis dicat non sui sed creaturarum. Sed eadem ratione Spiritus sanctus principium est de principio. Quod si ratio habet, usu caret.

Quemadmodum ergo quisque trium persona est, verum quoniam aliter et aliter non omnes simul una, sed tres; ita quoque duorum uterque procedit, uterque principium est, verum quoniam aliter et aliter, duo simul nequaquam sunt unus procedens, principiumve unum, verum duo et procedentes et principia. Pater principium est tantum, Spiritus item sanctus procedit tantum; Filius autem et procedit et principium est. Qui alterum solummodo habet, respectu duorum habet. Qui autem utroque participat, in uno ad unum, in altero refertur ad alterum. Pater, auctoritate teste, principium est sine principio, quoniam et est qui ab ipso procedat, et non est unde ipse proveniat, atque ideo principium est alii, et non habet principium sibi. Filius autem principium est de principio, quoniam et principium est alii, et principium habet sibi (22). Nos autem hoc unitati dare possumus. Spiritum sanctum ab alio procedere, neminem vero a se; Filium autem et ab alio procedere, et a se procedentem habere: sed a se procedentem habere, et ab alio procedere, hoc est principium de principio esse; ab alio autem procedere, neminem vero a se, hoc est de principio esse, principium autem non esse. Principium autem sine principio esse, est a se procedentem habere, et a nullo procedere. Unde patet quod principium et procedens referuntur ad se; principium namque procedentis ex se principium est, procedens vero a suo principio procedit. Atque ideo quoniam simul natura sunt, similia in utroque tenenda sunt.

Pater, sicut Filius et Spiritus sanctus, alia quædam habet quoniam est Deus, alia item quoniam est persona: ex unitate enim divinitatis, ut dictum est, omnia habet eadem Pater cum Filio, et Spiritu sancto; persona autem distinctionem exigit. Unde Pater, quoniam Deus est, omnipotentiam habet, bonitatem habet, aliaque quam plurima; Filius autem, atque Spiritus sanctus, quoniam et ipsi Deus, et non alius, sed omnino idem, habent omnipotentiam, habent bonitatem, et non aliam atque aliam, sed omnino eandem: ita quoque quoniam est persona distincta, quædam et alia habet quam Filius atque Spiritus sanctus: Pater enim ex personæ distinctione, Filium habet, ingenitus est, principium est, principio caret. Quod Pater est, exigit Filium habere. Quod ingenitus est, exigit Patrem non habere. Spiritus sanctus tamen Patre caret, et ingenitus non est, quoniam id solius Patris nomen est. Cum autem principium dico, neque quod Filium habeat, neque quod Patre careat designo; verum quod sit qui ab eo procedat. Constat autem quod Patri minime convenit principium, ideo quod Deus est, quia

(21) Magist. I, dist. 10-14, 29.

(22) Richard. a S. Vict. I, v, de Trinit., c. 25.

Spiritus sanctus quoque ipse est Deus, principium-que non est. Quare quod principium est, ex aliqua distinctione personæ est : ut autem distinctio fiat (siquidem ex ea communio nulla est) aliter Pater, aliter Filius principium est. Pater namque, et Filii, et Spiritus sancti principium est, Filius vero solius Spiritus sancti : sed aliter Filii, aliter Spiritus sancti principium est Pater : Filii, ut a se nati, Spiritus sancti, ut a se procedentis. Pater autem et Filius uno eodemque modo, uterque Spiritus sancti principium esse videtur, quemadmodum 39 Spiritus ipse indifferenter ab utroque procedere videtur. Num ergo quoniam sicut Pater et Filius, uno eodemque modo uterque omnipotens est, imo non duo omnipotentes sed unus est ; ita quoque quoniam uterque Spiritus sancti uno eodemque modo principium est, ideo non duo principia sunt Spiritus sancti, sed unum? Sed unam et eandem constat esse omnipotentiam, sicut et divinitatem duorum ; atque ideo recte dico Unus est omnipotens, sicut æternus Deus.

Relatio autem tametsi similis, non una fortasse est ea quæ inter Patrem et Spiritum, et illa quæ inter Patrem ac Filium, et eundem Spiritum sanctum ; aut si est, non jam fortasse duo, Pater et Filius Spiritus sancti principia sunt, sed unum, ut jam dici possit, quod sicut sunt quædam communia tribus, ita quoque alia sunt vere communia duobus : quorum pars differenter inest, ut processio Filio atque Spiritui sancto ; aut principium quoque modo habitum, Filio atque Patri. Pars autem (more tribus communium) uno et indifferenti modo habetur, ut principium in Patre et Filio respectu Spiritus sancti ; atque ideo, sicut tres sunt unus Deus, et unus omnipotens, ita duo sunt unum principium. Et item duo, procedens unus est ; quod non adeo credibile videtur. Convenit enim ut personæ sint unum in omni eo quod ex natura divinitatis suscipiunt, et non sint unum in eo quod ex natura distinctionis assumunt. Nam divinitas exigit singularitatem ; distinctio autem desiderat pluralitatem. Personæ ex divinitate habent multa, et tamen ex multis multæ non sunt : sunt quidem tres ; verum aliunde. Nam ex multis illis non sunt nisi unus Deus. Si enim distinctiones personarum non es-

A que Filius et Spiritus sanctus procedentes duo sint, non unus? Utique sicut Pater, ita Filius principium est ; sed cum Pater sit duorum principium, Filius est unius principium. Item Pater est principium Filii ut Filii ; Filius autem Spiritus sancti, non utique ut Filii, atque ideo fortasse aliter hic quam ille principium est, idcirco principia duo.

Sed licet uterque eodem modo Spiritus sancti principium esse videatur, nihilominus tamen duo principia Spiritus sancti esse possunt ; sic gemelli (magna parvis conferre si qua ratione licet) sororis suæ fratres eodem sunt modo, et tamen ejus duo sunt fratres. Filius est ex Patre, Spiritus sanctus ex utroque : et cum sit alius Filius, et alius Spiritus sanctus, num aliter est hic ex Patre, aliter ille ex utroque? Video gemellos uno eodemque modo ex Patre suo esse, nihilominus tamen a se distare. Quod si, quemadmodum Spiritus sanctus uno eodemque modo videtur esse ex Patre et Filio ; ita quoque et Filius, non alio, sed eo ipso modo est ex Patre (si tamen unus modus potest esse ejus, qui generando, et illius qui aliter est ex principio suo) nihilominus tamen Filius atque Spiritus sanctus vere duo sunt, duo quoque procedentes esse possunt ; sicut apud nos plura sæpe ex uno, aut pluribus principiis similiter procedunt, et tamen non unum, sed plura procedentia sunt, et a se certa ratione distincta.

C Sin autem aliter et aliter (ut credibilius fortasse videtur) Filius est ex Patre, Spiritus ex utroque ; jam inter duos manifestior apparet distinctio, et sua utriusque distinctius cernenda 40 videtur processio. Sic quoque Pater atque Filius, si uterque uno solum modo principium esse concedatur ; in persona tamen a se differre nullatenus negentur, duoque principia sic quoque esse posse dicantur, sicut apud nos sunt quædam a se diversa, et principia separata, quamvis a se diversa non diverse producant.

D Sin autem Pater et aliter quam Filius, quod verius putatur, in natura principii se habet ; quanto magis aliud hic, aliud ille, si ita est ut videtur, principium esse debet? Si enim (quod esse non potest) divinitatis unitas abscederet, personarumque Trinitas remaneret, personæ quoniam jam non essent unus Deus, utique nec unus omnipotens, nec essent unus omnisciens, nec in cæteris convenirent unitate, quam substantiæ singularitas dissipata secum absque dubio dissiparet : nihilominus tamen personæ id totum tunc essent quidquid modo sunt ex natura pluralitatis. Unde patet quod Pater et Filius duo tunc principia ; itemque Filius atque Spiritus sanctus duo procedentes forent, quoniam tunc nihil esse unum possent. Nunc autem salva divinitatis singularitate, salva item personarum pluralitate, cur non uterque jus suum servet integrum, ut personæ sicut sunt ex natura singularitatis quid unum, v. g. unus Deus, unus Omnipotens ; ita sint quoque ex distinctione pluralitatis

plures, ut personæ tres, principia duo, procedentes et duo, nisi forte arbitretur quis principium atque processum propria professione singularitati dicata. Quod plane falsum patet; nam, si in divinitate una, una quoque foret persona, utique principio atque processui, quorum utriusque natura duorum ad minus pluralitatem exposcit, nullus ibi posset esse locus.

CAPUT VII.

De missione Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

(23) Mittit autem Pater, mittit et Filius; sed Pater Filium atque Spiritum sanctum; Filius autem solummodo Spiritum sanctum. Econtra autem missus est Filius, missus quoque Spiritus sanctus; sed Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque. Unde liquet Patrem mittere, Spiritumque sanctum mitti, Filium autem solum, utrumque suscipere. Quemadmodum ergo se habent ii tres circa principium atque processum æternaliter, ita quoque se habent in missione temporaliter.

Sed quid est Filium atque Spiritum missos esse, nisi invisibilem naturam visibili effectu apparere? Quid est item quod Pater utrumque misit, Filius vero alterum; nisi quod nutu Patris itemque Filii missio celebrata est? Sed sic tota Trinitas Filium misit ac Spiritum, quia nutu totius Trinitatis missio facta est. Quod nonnullis placet, sed locutio variatur, ut personæ distinguantur. Quia igitur Filium sive Spiritum sanctam a se, aut Filium a Spiritu mitti, minus convenienter dictum videtur, dici poterit, utique nec absurde intelligi, alter mitti ab altero, procedens a principio suo. Is ergo solus mittitur, qui suæ præsentia qualibet manifestatione apparens ab alio est, cujus nutu hominibus monstratur. Dicit autem Dominus Jesus in Isaia: *Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus ejus* (Isa. XLVIII, 16). Quid est Pater misit, nisi incarnari constituit? et quid est a Spiritu missus, nisi de Spiritu sancto conceptus? humanitas suscepta, merito dicetur a Spiritu quoque missa, sicut doctor bonus a Deo confirmatur missus.

CAPUT VIII.

Alius est Pater quam Filius, non alius, et similia.

Pater non est is qui Filius. *Alia est enim persona Patris, alia Filii* (24). Verum id est Pater quod Filius; quoniam ambo unus Deus: Pater enim est Deus, Pater omnipotens, sapiens, bonus, hæc atque plura alia: omnia eadem est Filius; unde Dominus in Evangelio: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt* (Joan. XVI, 15), quod ut expositio illius loci exigit, de his 41 dicit, quæ ad ipsam pertinent divinitatem Patris, in quibus ille æqualis est, omnia quæ habet habendo. Quidquid ergo est Pater, est et Filius, unde ait: *Ego et Pater unum sumus* (25). Sed Pater est genitor; et hoc aliud, ingenitus; et hoc tertium principium sine principio, nihil horum

A est Filius, quomodo ergo quidquid est Pater, est Filius? Sed ex divinitate sua quidquid est Pater, est quoque Filius; in persona vero sua, aliquid est Pater, quod non est Filius. Pater enim sicut plura est communiter cum Filio, ita quoque plura est per se absque Filio. In illis, quidquid est Pater et Filius; in istis non quidquid est Pater est Filius; unde patet locutionem hanc: *Quidquid est Pater est Filius*, falsam esse sub sensus sui amplitudine; posse autem veram esse ex restrictione.

Nisi quis acutius asserat hujusmodi locutiones recipiendas esse: *Pater est aliquis qui non est Filius; non autem, est aliquid quod non est Filius. Pater est alius quam Filius, non autem aliud. Pater item non est is aut ille qui Filius, et est id aut illud* B quod Filius. Pater demum fortasse talis qui dicendus est, qui non est Filius, et non tale quid quod non est Filius; ut masculinum genus insinuet distinctionem personæ, neutrum vero unitatem substantiæ.

Non tamen ita est ubique; unde: *Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, etc.* Pater est principium sine principio, illud non est Filius, sed aliud. Quod? *Principium de principio*: quid inde consequitur? num quod Pater sit aliud, et aliud Filius? num quod Pater sit tale quid vel aliquid, aut illud quod non est Filius? Non. Pater enim et Filius sunt unum et idem. Quid ergo? quid aliud est Pater quam Filius? quod Pater non est ille qui Filius: quod item Pater est aliquis, aut si ita dici potest, talis C quis qui non est Filius: Pater juxta naturam personæ suæ plura est quæ Filius non est. Num ideo aliquid est quod Filius non est? Non. Imo propterea alius est quam Filius, sicut Pater juxta naturam divinitatis suæ plurima est, quæ eadem et Filius est. Num ideo is ipse est qui Filius? Non. Imo propterea idem est quod Filius. Pater est aliquis, sive quidam, Pater est quiddam sive aliquid: aliquid quia Deus; aliquis, quia Persona. Aliud dicitur de Patre quam de Filio; quod si est, non quidquid dicitur de Patre, dicitur de Filio. Unde consequi videtur quod Pater dicatur aliud quam Filius, et non quidquid dicitur Pater, dicatur et Filius. Verum quocumque modo se habeant hæc, nunquam Pater ob hoc aliud; est imo alius quam Filius, et semper quidquid est D Pater, non qui est Pater, est Filius.

Nonne autem unaquæque res id est, quod ea vero dicitur, ergone si Pater vere aliud dicitur quam Filius, nonne idem est quod dicitur, ac per hoc aliud est quam Filius? Pater dicitur genitor Filii; Filius autem genitus a Patre; et utrumque vere. Aliud est plane esse genitorem, itemque genitum; unde videtur Pater aliud dici quam Filius. Nisi acutius sit intelligendum, quia aliud dicitur de Patre quam de Filio, aut quia aliud est esse genitorem, quod Pater dicitur, quam esse genitum, quod Filius intelligitur. Sicut e contra cum et de interiori homine aliud dica-

(23) Magister, I, dist. 16, 17.

(24) Mag. I, d. 24, § 9 et seqq.

(25) Glossa ordinaria, ibid.

tur quam de exteriori, non tamen ideo alius dicitur quam exterior, sed aliud. Nam *anima rationalis et caro unus est homo*, tamen aliud est hæc quam illa. Quoquo autem modo quis quid dicatur, aut quid de quo, nunquam tamen Pater est aliud propterea quam Filius, sed alius nonnunquam. Illud autem aliud quod de Patre enuntiatur et non de Filio, utique Pater est, et dicitur; Filius vero non est, nec dicitur: non tamen ideo aliud est, aut dicitur Pater, quam Filius. Aliud est omnipotentem esse, aliud omniscientem, atque ideo aliud et aliud de Deo dicitur, cum omnipotens aut omnisciens enuntiatur, Nulla tamen ratione aliud est aut dicitur Deus omnipotens, quam omnisciens.

Item aliud est districtio, aliud misericordia: et cum proprie hæc conveniat Salvatori, illa iudici; B iudex tamen et is, et id est, et dicitur, qui et quod Salvator est, et dicitur, et non alius aut aliud.

42 *Sancta Trinitas ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1, 26); recte ergo dicitur quod ii tres hominem, imo totum mundum fecerint. Unde consequi videtur, eosdem tres eundem mundum aliquando fuisse facientes, quem si quando facientes fuerunt, quot tunc facientes exstiterunt? Num juxta pluralem numeri naturam plures? et quot nisi tres? sed si tres creantes aut facientes orbem, quomodo Unus factor aut Creator orbis? Quare dum illi tres mundum fecerant, unus faciens mundum ex una operatione exstiterit? sic idem tres utique existunt, regnant, quod bonum est volunt; et tamen propter unam existentiae essentiam, unus est existens, unus indiviso imperio regnans, unus in una voluntatis immutabilitate volens. Si qua tamen ratione, si qua auctoritate tres regnantes, tres creantes, ob personarum pluralitatem dicere cogimur, nullatenus tamen tres reges, tres creatores, quod unitas substantiae prohibet, mentiamur.*

CAPUT IX.

Deus ubique est essentialiter.

Ubi est Dominus? an secundum litteram: *In cælo sedes ejus? (Psal. x, 4.) An secundum sententiam: Spiritus Domini replevit orbem terrarum? (Sap. 1, 7.) Quia Replebitur majestate ejus omnis terra D (Psal. lxxi, 19). Dicente Propheta ad ipsum: Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades (Psal. cxxxviii, 8) (26). Ut non sit locus ubi non sit Deus, non solum potentialiter, sed et essentialiter; non per partes divisus, sed ubique totus; non in puro puritatem, non in sordido sordem contrahens.*

Sed nonne *Spiritus effugiet fictum? (Sap. 1, 5.)* In ficto quidem est per substantiam, at non est per inhabitantem gratiam. Nam si Deum ponam alicubi, ut non sit alibi, videbitur inclusus loco, et circumscriptus, et contra Prophetam: *Magnitudinis ejus non est finis (Psal. cxliv, 5).* Cum de eo dicat *Isi-*
(26) *Magister Sent. 1, d. 57, § 1.*

A dorus (27): *In mundo est, sed non inclusus, extra mundum, sed non exclusus.* Si igitur quia partibus caræ essentiae, amplitudinem ignorantes, mundum replere negamus, simplicem locum, simplicem quippe Dominum obtinere asseramus.

Sed brevi habitaculo magnum habitatorem coarctabimus; quia licet partes non habeat, *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (Psal. cxliv, 5).* Nec eget loco postquam factus est, quo non eguit antequam fieret.

CAPUT X.

In corpore anima ubique est tota.

Sicut imago Dei, anima, in minori mundo corpore suo, ubique est tota. Aut enim simplex est anima, aut composita; si composita, aut pluribus quam corpus, aut paucioribus, aut totidem partibus: sed ad quid pluribus? ad quid paucioribus? potius totidem partibus videtur constare. Quare? ut singulas partes corporis singula obtineant spiritus; alioquin unde perspicacitas sentiendi? unde assiduitas crescendi? unde tandem integritas perseverandi? quæ nec nisi cum ea esse possunt, nec ipse nisi cum eis est in membris, nisi violentia turbaverit accidentaliter: unde quia ut decedentem prosequuntur, se ejus pedissequas non diffitentur.

Sed si ita est, dum crescit corpus, crescit et spiritus, dum mutilatur corpus, curtatur et spiritus; corpus in frustra secatur, et jam non est corpus; cum corpore secatur anima, nec jam est anima, sed particula: quod ita esse convincitur, dum animalis partes a se per sectionem discretæ dissilire cernuntur. Nam corpus exanime jacet immobile, perit igitur anima, remanet ejus particula. Quamobrem Scriptura veritatis, rea arguitur falsitatis, dum reipsa mortalem spiritum, prædicat immortalem. Item, si singula partes animæ singulas comitentur in corpore, ita ut et pars parti, et totum toti adæquetur (ut enim quantitas corporis animetur, quantitas animæ requiritur) constat, quod qualis in corpore partium conjunctio 43 præcedit, talis et in Spiritu succedit: habet ergo suum Spiritus caput, suaque reliqua membra: nonne ergo in singulis bina sunt capita, ut sint bicipites; quatuor pedes, ut sint quadrupedes; quæque membra duplicia, ut sint multiplices? Sed cur non sicut in integro videtur, nec in conscisso reperitur? Cur, inquam, Spiritus est invisibilis, cur incorporeus? nam qualiter incorporeus spiritus incorporeis partibus distendatur, nondum videmus: simplicem ergo interim asseremus, id enim et rationi est congruum, et auctoritati amicum.

Si vero simplex est, dum in corpore est, aut ita est in ipso, ut vinum in dolio, scilicet ut in nulla ejus parte sit, aut ita, ut omnibus seu pluribus, sive soli insit parti: et illa erit aut dividua, aut individua; sed si dividuæ parti hinc inde hæret, cur non et dividuo toti undique adhæreret? Quod enim res
(27) *Lib. 1 Sent. cap. 2, sent. 5.*

simplex et indivisibilis, rem multiplicem et secabilem, sive magnam, sive parvam inhabitet totam, non habet ratio cur neget in majori, si non negat in minori. Si autem anima humanæ machinæ regina, regiæ excellentiæ decreta subditis mandatura, suæ non immemor simplicitatis simplex sibi solium elegit; quomodo, si ipsa non est in reliquis regni partibus, quæ fiunt, sentire potest? Quomodo eisdem clementum, et in clemento statum subministrare valet? Ubi enim vita neci cedit, et hanc abesse nemo nescit. Quare? Quia illa totius vegetabilitatis administratrix desit: quod si illud insigne regium aliqua (ut fit) violentia concussum corrue-rit, suo regnatrix solio humi dejecto, utrumne exsulabit? alteram enim in regno sedem non habuit: vel si habuit, habuerit et tertiam, eadem ratione et quartam. Aut igitur sicut homo per humum, ita anima per hominem de loco in locum movetur, aut si tantummodo unam et illam individuum habuerit mansionem, si contingat ut homo careat illa, carebit simul et anima: nam homo desinet esse homo.

Sed, sicut hominis omnia, ætatum successione usque ad virum accrescunt; ita viro vergente ad senium, decrescunt, et ita crebris in ægotando exhalationibus homo et extra et intra ubique attenuatur, ut dum convalescit accumulatur.

An dicetur aliquam in toto particulam habere anima immobilem? Sed quis hoc novit? Quam ergo stabilem in homine anima habebit sedem; si vero in homine anima non unam, sed plures inhabitat partes, cur non et omnes? cum sicut his eam per sensum inesse convincimus, sic illam per clementum sive integritatem eandem adfore probare debearus. Contingit et ut ubi anima prius fuerat ad sentiendum, non sit postea, sed solum ad permanendum, ut in illis quorum unum membrum, adhuc viventibus cæteris, præmoritur. Inde enim omnino abit, et si non mox patentem, attamen corruptionem post se derelinquit: nam quasi præsagium faciunt futuræ dissolutionis membra jam exsanguia, ac per hoc quodammodo marcentia.

Quod autem anima sit in homine ut liquor in vase, quomodo intelligetur, nisi aliqua ejus in vacuitate cogitetur? Sed si ventri inclusa tenetur, vir potius prægnans quam animatus videbitur; si in ore est, verendum ne cum sputo excutiat, et ubicunque taliter fuerit, violentiam exclusionis sperare debet, hujusmodi enim deliramenta jucundius est, quasi sub cachinno deridere, quam acumine rationis inventum directo confodere. Tum sicut prædictum est, unde aberit, ibi vires exercebit; forsitan ut sagittarius procul agens instrumentis.

Dicet aliquis: *Spiritus ita est in corpore, ut sensibilitas et rationalitas in homine, quæ, ut aiunt, ita sunt in toto, ut nequaquam reperiantur in parte.* Sed utcumque sit de accidenti, qualiter substantia erit

A alicubi ut ipsa nusquam sit ibi? qualiiter, inquam, frigus in capite, calorem sentiat in pede, nisi sit in utroque? Sed et alia jam dicta huic loco adversantur. Nullus ergo in carne erit locus, ubi non sit carnis spiritus, et quia ipse est individuus, ubicunque est, est totus.

Sed quomodo una indivisibilis substantia, ~~44~~ tota a se distincta occupabit loca? An sicut ipse, cujus imago est, Deus? Utrumque miror. Truncatur manus, nonne cum in ea sit totus, cum ea recedit et spiritus? Non. Quis enim recedit, nisi locum loco mutaverit? Nam qui omnino locum deserit, nec alterum resumit, potius perit quam recedit. Sic contrarium altero superveniente, deficit potius quam fugit. Spiritus quidem rescissa manu exit, sed nusquam abit, quia nova sede (28) non ingressa cæteris omnibus in membris, ut prius inest. Ita igitur decrescente homine ab eo quod tollitur, egreditur, nec aliquo ingreditur; sicut dum crescit, id quod adjungitur ingreditur, nec alicunde egreditur.

Sed cum vivens per partes dissipatur, partes ipsæ saltitare cernuntur. Si anima deest, motus unde adest? an quia anima recenter inde abiit, ipsum post se derelinquit? Sed si, dum adfuit, quietem dedit, cum defuit, quomodo commovit? Nonne potius cum anima est agile, sine ea jacet animal immobile? utrumne post animæ expulsionem paulisper remanet vita, propter violentiam turbata, et turbans membra?

C Sed si ita est, nonne in cadavere propter motum est vita, propter animæ discessum est mors, ut simul idem duo contraria informent. Sæpe enim videmus post a pecore direpta tergora, hinc inde particulas dissilire; est ergo anima in ipsis ut vivant; vivunt autem, aliunde enim non est impulsus ut se moveant. Cædatur animal ut anguilla in multas partes; angelica agilitate (ut Habacuc in Babylonem) deportetur per orbis climata, tanto intervallo disjunctæ, haud secus ac conjunctæ, dissultu animæ præsentiam evincent. Erit igitur anima non per partes, quibus caret, divisa, sed eodem tempore tota in oriente et occidente, ab aquilone et mari. Quod ergo non habet ex se, totum mundum occupat ex carne; totumne mundum, an solum corpus suum?

D Corpus comitatur sive coaretatum sive dilatatum: cum igitur subita molis ruina homo, ut fit, obruendo comminuitur, aut in ictu oculi a singulis minutiis anima separatur, quia in ictu oculi corpus ipsum frustatim dissipatur; aut mirabimur inapetum abeuntis, cum morientium membris astricta vix eluctando absolvatur: et mirabimur, ut diximus, unde conceissis motus, aut singulis infusa prosequetur et disjuncta, invehens admirationem, quod a se tot tantisque intervallis divisa, indivisa simul occupet anima, nec tamen media complens spatia.

Videmus homunciones et mediocres, videmus et gigantes: quid si adhuc distendatur corpus secun-

(28) *Melius sic; quia novam sedem non ingressus, etc*

dum quod dilatatur mundus (qui enim minus, poterit facere et majus) nunquid sicut Creator, ita creatus spiritus a Deo Creatori assimilatus, mundanam fabricam suo ambitu continebit? An potius sicut examiner Deus humanæ clementi metas indidit naturæ, citra quas resistere non liceat, ita terminos fixit, quos excedere nefas sit?

CAPUT XI.

De dilectione Dei, et odio.

(29) Deus nihil horum odit quæ fecit: si enim odisset, quis omnipotentis odium sustineret? aut quid ejus voluntati resistere valeret? (*Sap. x, 25.*) plane ergo periret, si quid odisset: quem enim alium digne haberet effectum Cunctipotentis odium? Si ergo nihil odit quæ fecit, nunquid nec diligit? At iudicium diligentis, vel perseverantia est existentis. Ergo quod fecit, non solum non odit, sed et diligit?

Conversum itaque et subversum tam hominem quam angeium diligit. Sed aut pariliter aut dispariliter: si dispariliter, magis bonum, minus malum: nam e converso dicere nimium disconvenit. Amat ergo Deus magis et minus; sed quia magis et minus in Deo est, inæqualitas ibi et diversitas est: ac per hoc Deus non est, qui sibi inæqualis et diversus est. Pariliter igitur diligit, quos, ne non sit Deus, dispariliter diligere nequit: unde patet Deum amare Judam, quantum Petrum, inimicum quantum amicum, Filii traditorem, quantum **45** ipsius confessorem; Filii vili pro pretio venditorem, quantum confessionis gratia pretiosæ animæ effusorem. Patet, inquam, quod Deus amat Satanam sui contemptorem, servorum oppressorem, non minus quam Michaelem divinitatis cultorem, Ecclesiæ adiutorem. Si vero Satanam, constat quia et Filium suum amat unigenitum: amaretne adversarium, et non consubstantialem Filium? amat igitur Filium, sed non plus quam adversarium; non plus, inquam, Deum quam diabolum, ne si plus diligeret, Deus non esset.

Aut igitur coactus incompetenter amat, coactione nefaria a dominatione, ac per hoc divinitate destitutus; aut spontaneus amorem male ordinat in se, quem bene ordinat in homine, qui ait: *Ordinavit in me charitatem (Cant. II, 4)*; quia prudens ipse imprudenter agit, dum diabolum sanctumque hominem, imo Dominum et dæmonem æqualiter diligit. Si vero sic est, imprudens et injustus est; sed talis Deus esse non potest.

Nonne sciens plus, suos docet minus? An, ne plus minusve sit penes eum, mentiemur, non plus scire quam docere? An, ut plus sciat quam doceat, mentiemur per plus et minus in æqualem sibi et a se diversum esse? Fatebimur ergo plus scire, cum suos minus doceat, plus reddere, cum suis minus debeat. Itaque plus hunc diligere, cum illum minus diligit. Nec quia hic plus minusve agit, major minorve erit, non ob hoc mutatus, sed potius justus: nam sicut melior est quam alius, ita amantior hu-

A jus quam illius, id est, sicut magis est bonus, ita magis diligit. Quis enim negaret factorem factura meliorem? quid enim si explicare nequimus, et expedire quæ sentimus, num ideo fidei nostræ, inconcinna, nova, inusitata præcipitabimus? cum ex parte nunc cognoscamus, cum per speculum in ænigmate videamus (*I Cor. XIII, 12*), cum melius sit pie ignorare, quam stulte definire, cum, inquam, *Fides non habeat meritum, cui humana ratio præbet experimentum (30)*. Fides enim juxta Apostolum, est *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (Hebr. XI, 1)*.

B An non possunt apud Deum secretiora esse, quam noster intuitus valeat penetrare? homo nondum novit terrena, et jam comprehendet cœlestia? anima nondum novit se, et eum cujus ad imaginem facta est, agnoscit?

C Si homo unum plus habet cordi quam alterum, quæ mutatio est? non quia hunc habet chariorem, ideo in se suscipit alterationem. Quid si semper chariorem habuit, nonne semper in intensa charitate quievit? quid vero hoc ad alterationem pertinet, quæ non est nisi cum ab affectione in affectum movetur? manet igitur homo, dum hunc et illum et minus diligit; at Deus non manebit? At si quemquam prius minus charum, quis postea chariorem habet, procul dubio movetur, quoniam in charitate augmentatur. Nunquid similiter et Deus? accedunt sani, accedunt saucii oculi ad intuendum solem; delectatur sanus, offenditur saucius oculus, diversitas hæc solis est, an potius oculorum? sol enim æqualiter utrisque coruscat, æqualiter calet; sed ex æqualiter calente non æqualiter irradiata calefiunt. Quare? quia hæc quam illa calefieri habilior materia.

D Sic Deus in se unus, immutatus varietati meritorum se accommodat, ut amet pium plus minusve, oderit impium prout qualitas est vitæ: amorem maxime contrahens ex suo; odium autem tantum ex alieno. Memorat enim Scriptura quod nihil eorum odit quæ fecit (*Sap. XI, 35*); non tacens quod pravos odit, sic ad ipsum dirigens sermonem: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem (Psal. V, 6)*. Estque hæc sententia in Scripturis creberrima, prior vero rara.

Ne ergo sacræ Scripturæ sacris scriptoribus a Spiritu sancto inspiratæ, cum injuria Dei sibi relinquuntur contrariæ, alterius alteri contemperare decet rigorem, non illius quæ sæpissima repetitione nitet, quæ repetitionum varietate quid velit sine ambiguitate docet: *Nihil ergo eorum odit quæ fecit*. Sed potius diligit justum quem fecit, et hominem et angelum. Odit autem **46** injustum quem fert errans homo et angelus. Injustitia est nihil: ergo implicans se injustitiæ juxta auctoritatem efficitur et ipse nihil: et Evangelium de Deo ait: *Sine ipso factum est nihil (Joan. I, 3)*. Aut ergo sic exponemus: *Nihil eorum odit quæ fecit perstantium in or-*

(29) Magist., lib. III, dist. 52.

(30) Gregor., hom. 26, in Ezech.

dine assignato. Aut sic : id quod est, nihil odit eorum quæ fecit, id est, inter ea quæ fecit. Quippe cum inter ea quæ fecit existentia nihil offendit, illud solum tanquam alienum ab amore suo excludit: nisi si quando libeat quod ad non esse desipiendo erravit, ad esse revocare, ut amet ad se conversum, oderit autem omnino aversum. Argumentum odii pœna est miseri; quia qui odit Deus est æternus, qui punitur miser est perpetuus: quem enim æternaliter odit, quia ille sine fine iniquitatem diligit: (non enim emendationis gratia ad inferos descendit) sine fine et punit. Nam hic in spe veniæ conversionisque, quodammodo diligunt conversorem; ibi pœnarum finem mitigationemque desperantes, necesse est juxta naturam affectuum oderint irrogantem: nam si sunt hic qui oderunt, unde illud: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper* (Psal. LXXIII, 15), quanto magis ibi: *Et si qui minor est in regno cælorum, major [est] Joanne* (Luc. VII, 28). Nonne e contra apud inferos, in malitia minores excedunt et flagitiosos apud nos morantes? utique, aut est verum aut verisimillimum.

Si vero, sic Deus diligit justum, ut oderit injustum, injustus autem nisi ex Deo non fiat justus; quomodo justificabit quem non diligit? aut quomodo diligit quem odibilem novit? Diligit profecto malum: *Quoniam ipse prior dilexit nos* (I Joan. IV, 10). Alioquin non faceret bonum. Diligit, non quia est malus ille, sed quia ipse est bonus; diligit autem malum ut faciat bonum; diligit profecto, non solummodo, sed ab æterno. Quæ enim ratio ut iniquum amet modo, non prius; aut cur modo et prius, non autem ulterius? Nonne Dominus Jesus eos qui nondum erant, vel si erant, nondum credebant, credituros tamen amabat, cum orabat non solum pro his qui tunc credebant, sed et pro his qui credituri erant? (Joan. XVII, 20.)

Sicut vero æternaliter, ita æqualiter, prius reum, post sanctum diligere videtur: amat enim reum ut convertat, conversum ut sanctificet, sanctificatum ut salvet: hoc vult inimico, quid amplius volet amico? Sic *Jacob dilexit, Esau autem odio habuit* (Rom. IX, 15). Utrumque totius massæ macula inquinatum æqualiter; unum per misericordiam elegit, alterum per justitiam reprobavit, et quod utrique debuit, alteri per misericordiam non exsolvit.

Quid vero si quem amat adhuc reum, ante reconciliationem morte præveniretur, non quidem erit, sed quod potest fieri, si eveniret, quid contingeret? alterutrumne necesse foret, aut ut ex amore impium coronaret, aut ut ex impietate, sibi charum damnaret? præmortuum utique perderet; nam non ita amat ut in reatu, sed a reatu absolutum sanctificet.

Si tamen sic contingeret, quem nunc amat ut salvet, non salvaret, quia tunc non amaret, quippe quem ab æterno damnationi adjudicasset. Constat enim certissime divinam nunquam falli prænotio-

nem, nunquam frustrari voluntatem. Num si diligit malum, sed futurum bonum; similiter odit bonum, sed futurum malum, et in malo perduraturum? An dicetur talis nunquam fuisse bonus juxta illud: *A nobis exierunt; sed de nobis numquam fuerunt?* (I Joan. II, 19.) De numero sanctorum nunquam fuerunt prædestinatione, fuerunt necne similitudine? Sed et quem odit Deus Esau, ab illa, quam solam habebat, originali macula iam circumcissione, et omnis improbus in infantia regeneratione purgatur. Si vero omnino mundatur, quomodo est malus, quem odit Deus? aut si est bonus, quomodo cum odit Judex justus? præsertim cum sit infra annos discretionis, id est, dum adhuc est bonus, obiret; et si eum nunc odit, tunc charum salvaret Deus, quia est justus. Damnandum igitur, non solum dum innocentia nitet, sed et antequam fieret, Dominus **47** odit; quia semper animum damnandi habuit. Quare? ob culpam quam prænovit. Non enim personam accipit, sed merita præscit, et secundum ea damnare disponit. Sic antequam fieret Esau, odio habuit. Annon odio habuit quem æternis pœnis deputavit, quem scilicet damnare voluit? Nisi enim prius voluisset, non post puniret.

Annon ipse punit? certe *malos male perdet* (Matth. XXI, 41); quia ipse dicit: *Reddam ultionem hostibus meis* (Deut. XXXII, 41): nam *et sanguinem servorum suorum ulciscetur; et vindictam retribuet in hostes eorum* (Deut. XXXII, 43). Utique sicut præscit, ita prævult quæ facturus est: quia *Quod factum est in ipso vita erat* (Joan. I, 4). Qui sic fecit, quæ futura sunt.

An quod de iniquo antequam fieret, de bono dum in bonitate staret, nequaquam voluit; malis post meritis provocatus velle cœpit, quod postmodum fecit? Nec enim quidquam nolens, imo volens facit. At modo velle, modo nolle divinæ non competit constantiæ: nam *Sapiens non pœnitabit*.

Sed sic refragari Scripturæ videbimur, quæ asserit Deum punire neminem ante reatum, neminem coronare ante meritum. Annon est Dei odium gravis pœna; ejus amor desiderabilis corona? Dicemusne igitur nec odisse quemquam ante meritum, nec dilexisse? Sed angit nos Dominus in judicio bonis dicturus: *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi* (Matth. V, 25). Quomodo ab origine non dilexit, cui ab origine regnum paravit, aut quomodo sine odio diabolo et membris ejus ignem æternum præparavit? Profecto sicut piis cœlum, et impiis infernum destinavit, ita e converso fecisset, nisi quia *cui vult miseretur, et quem vult indurat* (Rom. IX, 18). An prætaxatæ satisfaciemus quæstioni, pœnam coronamque asserentes tantummodo existentis esse et permanentis, et vel de dolore gementis, vel de gaudio jucundantis.

Non absurde tamen dicetur Deus perdendum quoque diligere, dum manet is in bonitate. Annon amaret, cujus sancta vita sibi placet? Nonne et in

perdendo sanctam vitam amplectitur, quomodo in salvando malam persequitur? Verum quomodo vel sancte agentem amat, dum in animo volvit, ut post depravatum perdat? amat; quoniam se ita interim erga eum habet, quemadmodum erga virum bonum oportet, sed hic amor abit quoniam malitia subit. Non autem econtra, iniquum semper odit, cui mitius quam sint merita, plerumque retribuit.

CAPUT XII.

De ira, furore Dei, et voluntate.

Sicut auctoritas dilectionem Dei, odiumque commemorat, ita ejus iram et furorem manifestat. Ira autem et furor habentis est passio et conturbatio, minor et major juxta illud: *Turbatus est a furore oculus meus* (Psal. vi, 8). Et illud: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (Jac. ii, 20). Non minus autem odium amorque ab intuitu rectitudinis aciem mentis avertunt. Unde Sallustius (51) ab ira et odio, ab amicitia et misericordia iudices esse vacuos decere censet; si per iram, multo magis odio mens affligitur. Deus autem in tranquillitate iudicat; nullis enim affectuum perturbationibus, mutabilitati subjectus æstuat.

Solito igitur nobis more, nec odit, nec diligit, nec irascitur, nec miseretur. Miseretur tamen, sed cordis sine anxietate, cum misero subvenit. Irascitur, sed cordis sine timore, cum pœnam ingerit. Odit cui vult gehennam; diligit cui vult vitam, utrumque tam juste quam occulte volens absque æstu, voluntate non commota; quia non est subita, sed æterna; transeunt quidem tempora non transeunte ipsa: nam quod voluit ut esset modo, vult ut sit modo, volet ut fuerit modo.

Sed dices: *Multa voluit prius quæ non vult modo, sicut Dominum Jesum mori voluit olim, non autem modo, sed vivere.* Sed quem olim voluit mori tunc, et nunc vult mortuum fuisse tunc, non autem mori nunc: nam **48** nunquam voluit Dominum mori nunc, semper autem voluit eum mori tunc; sic semper vult Dominus quæ fiunt, fieri quando fiunt, nunquam vult fieri, quando non fiunt.

Sed nunquid ita vult fieri quæ fiunt, ut etiam velit quæ male fiunt: nam si eum ea nolle dixerimus, quomodo esse poterit quod is noluit, qui solo nutu quidvis facere sufficit? Nonne sicut omnia quæ voluit esse, fecit; ita omnia quæ noluit non esse, facit? Si igitur quid noluit Omnipotens, cur non impedit ne fiat quod displiceat, atque ideo unde doleat? Quomodo namque quidquam quis noluerit, nisi sibi displicuerit? quomodo vero displicebit, nisi si fiat piguerit, plus minusve, prout displicuerit? Nonne quicumque nolunt quid esse, volunt id non esse: quod autem volunt, nonne faciunt si queunt? nolentem itaque voluntas comitatur: nam non aliud æstimaverimus nolle, nisi ad quod pertinuerit et velle. Aut igitur nihil, aut parum differunt, nolle quid esse, et velle id non esse.

Non est autem idem nolle, et non velle: nam quod non velint quidquam inanimata, recte dicimus; quod autem nolint, non recte. Quæ ergo fiunt in mundo inique, patet Deum nequaquam nolle; nam si nollet, esse non sineret; si enim nollet fieri, vellet non fieri. Et quia voluntas ejus inefficax nunquam est, procul dubio non fierent. Quæ ergo Deum nolle non licet dicere, dicemus licenter ipsum ea velle? Et quidem ad eum quotidie sic oramus: *Et ne nos inducas in tentationem* (Matth. vi, 13). Nequaquam id rogaretur, nisi inducturus timeretur. Et in Propheta ad eum de servo dicitur: *Destruixisti eum ab emendatione* (Psal. lxxxviii, 45), id est, per flagella mundum fecisti. Et item de inimicis: *Pone illos ut rotam* (Psal. lxxxii, 14), id est, quantum retrosurgentes, tantum ante cadentes, in eis quæ ad mundum, quæ postponenda sunt, proficiunt; in eis quæ ad Dominum, quæ præferenda sunt, deficiunt: *Et sicut stipulam ante faciem venti* (ibid.), id est, redde eos tales qui non obsistant tentatori: non id peteretur a milite, si sciret, id regi suo displicere.

Si ita se habent supradicta, fieri Deus vult mala; quæ autem vult fieri, profecto placent sibi: placeant ergo Deo qui inique agunt, quippe ejus voluntatem ita faciunt, ut in nullo dissentiant. An in hoc arguuntur Deo contrarii, quia Dei voluntatem facientes non proficiunt, dum non ipsi, sed sibi placere quærunt? Hoc autem quærere, plane est male agere; qui autem male agunt, Deo, secundum prædicta, ita volenti obediunt; quare qui dum male agunt voluntatem Dei faciunt, dum in malo actu gloriantur, voluntatem Dei perficiunt. An igitur qui iniquus esse non potest Deus, iniquus est, dum sibi ante placentes, punit male agentes, aut qui apud nos male agunt, apud eum bene faciunt, ac per hoc falso mali glorificantur ut boni?

Sed nos auctoritate et ratione ducti, pleraque certis sumus inique agi. Quæ autem inique aguntur, Deo placere non possunt, dicente Propheta ad eum: *Non Deus volens iniquitatem tu es* (Psal. v, 5); et alibi inducit Deum arguentem iniquum: *Existimasti inique, quod ero tui similis* (Psal. xlix, 21). In quo certe similis esset, si sibi ut iniquo iniquitas placeret: sermo igitur divinus quoties Deo videtur injuriosus, quoniam, ut putatur, Deo iniqua conciliat, sic circumspecta investigatione contemperandus est, ut et sibi nunquam dissonet, et honestati per omnia concordet. Quare intentator malorum Deus neminem inducit in tentationem, adjuvans in malo, sed non juvans in bono. Justum quippe est ut *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (Apoc. xxii, 11): (52) nulli impertit malitiam, sed retinet gratiam, sine qua nihil nisi ruina restat. Itaque Dominum nostrum scelera nostra velle, omnino, nolle autem, non omnino negabimus: nam tametsi non noluit sanctos peccare, quod fit ad humilitatis provectum; att-

(51) Sallustius De conjurat. Catilinæ, pag. 58 edit. Genevens., 1615.

(52) Aug., ep. 105, l. i ad Simpl., q. 2, etc.

men non vult eos in peccato perseverare : sicut enim, eo nolente, non contingeret peccare, ita, eo volente, a malo contingit enatare. Bona quippe summe bonum velle, voluntatemque ejus efficacem esse, nulli dubium puto, nisi qui nesciat *Omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17). Quicumque **49** igitur subversus corrui, ipsum erigi non ille voluit, cujus voluntas frustrari nequit.

Sed quoniam id nequaquam cum velle videmus, num nolle asseremus? Sed si peccatorem nolit converti, velit non converti? utrumque vero nequissimum, utrumque quis dubitet diabolicum? Sceleratum namque non converti tam est iniquum, quam converti æquum. Qui enim pio, quia converti elegit, ipse impio, quia non converti maluit, sortis suæ vicissitudinem æqua lance appendit.

Constat itaque Deum non velle omnia, quæ si fierent, bona apparerent; sed ea quæ vult nondum existentia, facit subsistere; vel jam subsistentia, non sinit perire. Similiter ea solum mala ipsum nolle novimus, unde suos providus ne accidant servat, vel si acciderint, misericors ipse liberat.

Non tamen ignoramus quæcunque probat ratio, quæcunque divinus præcipit sermo, Deo placita; cætera vero quæ vel rationi vel auctoritati adversantur, ingrata reputari, consuetudines judicio non improbando. Hæc nimirum Deo displicentia, quia prohibet et displicere facit mentibus sanctorum; illa dicuntur chara quia præcipit et sanctis facit esse amabilia.

Nonne Deo Jesum mori placuit, cujus in sanguine redimendum orbem instituit; aut quomodo Patri factus est obediens usque ad mortem (Philip. 11, 8), nisi quia paternæ memor voluntatis patienter omnia tulit usque ad crucem? Quod (33) si Patri Filium mori placuit, nonnisi a Judæis occidi voluit, ne aliud frustra voluerit, quia non aliud evenit (34). Dicemusne Patrem de Filio tantum ut moreretur voluisse, in voluntate autem qualiter id fieret non habuisse? At improvidæ fuit hoc voluntatis, non divinæ, præsertim cum non occidi, sed occidere sæpius vitio soleant deputare; ergo quem mori voluit, cum nulla culpa sit, voluerit et occidi. Si autem a Judæis Jesum occidi voluit, nonne ut Judæi Jesum occiderent velle oportuit? Nam quomodo id perfidi potuissent, nisi ipse voluisset, dicente Jesu Pilato: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper?* (Joan. 19, 11.) Patrandi ergo sceleris potestatem perfidis dat Deus; nec daret nisi vellet. Quare etiam dicitur Pater Filium tradidisse, nisi quia voluit ut traderetur? A persecutoribus quolibet modo occidi, nunquam est culpa; plerumque vero virtus digna cælo, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. cxv, 15). At occidere sanctos nemo nescit esse flagitium, qui crucia-

menta prævidet occidentium. Velit igitur Deus ut occidatur Christus, quia sanctissimum; nunquam autem velit Deus ut quis occidat Christum, quia est nequissimum. Sicut enim ille cujus sine voluntate nihil fit bene, omnia autem fiunt male, vult ut a malis occidantur boni, ut coronetur patientia; ita non vult ut bonos occidant mali, ut requiratur injustitia. Vult quidem hominem posse malum, quia posse malum non est vitium, sicut nec posse bonum virtus; potius malum posse bonum est illi, qui potuit transgredi et non est transgressus: nam qui quia non potuit non fecit, nec in bono est vituperandus, nec in malo laudandus. Similiter qui cum posset non fecit, aut de malo jucunde est bonus, aut de bono iniique malus. Sic ergo mali placeat, nempe potentia bona, ut et mali displiceat voluntas et effectus.

CAPUT XIII.

Ubi invenit Deus, judicat, vel secundum merita remunerat.

Diximus baptismi sacramento lotum, ante discretionem a reatu liberum; dicemus et adultum, licet gehennæ præscitum, dum bene vivit, salute dignum. Quod vero is aliquando bene vivit, testatur Scriptura, asseverans quod *si justus suam deseruerit justitiam, in injustitia sua morietur* (Ezech. xviii, 24). Quod vero et quandoque sit bonus, et dum bonitas durat cælo dignus, aperte Dominus docet, dicens: *Ecce nomina vestra scripta sunt in cælo. Quorum plures post abierunt retrorsum* (Luc. x, 20).

50 Providentia exitus rerum complectitur, judicium præsentem vitam metitur (35): unde Dominus: *Ubi te invenero, ibi te judicabo*, quasi diceret: Nec qualis fueris, nec qualis futurus sis, imo maxime qualem te invenero attendam dum judicabo. Quem ergo præscientia inferis secundum futura addicit, judicium cælo secundum præsentia plerumque inscribit: nam si interim mori contingeret, debitum salutis indubitanter reciperet. Sicut quem jure prædestinavit, si in flagitiis nondum emendatum mors præriperet, patria indignus in inferno exsularet cum diabolo, a quo inemendate superbo, indeficiens ira Dei interminata exigit tormenta.

D Ergone Creator summe bonus, prudens creaturam suam, at summe malam, factoris sui totiusque boni perosam, paterna quasi motus pietate diligit, cum argumentum odii exhibitio sit facti? An dicam amare, quem non sinit perire; sed sic potius odit quem ad tormenta custodit? An in his patet dilectio, quia pœnam quam infert per justitiam, temperat per misericordiam, secundum illud: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas?* (Psal. xxiv, 11.) Sed si diligit, cui per lenitatem pœnam laxat, profecto magis odit, cui per rigorem æternam miseriam prorogat: tormenta enim magis districtus irrogat, quam mansuetus mitigat: *Judicium enim sine mis-*

(33) Magister, lib. 1 *Sent.* dist. 48, § 3.

(34) Vide Aug. in *psal.* xciii.

(35) Ambr. in cap. ix ad Rom

ricordia ei qui non fecit misericordiam (Jac. II, 13).

Si vero *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, id est, iudicium, quomodo hæc via, id est, impio pœna illata, est iudicium cum misericordia? Dicamne adesse misericordiam, sed quasi sopitam, quasi tepidam? Quia in impios divina vigilanter feruat severitas, ac per hoc iudicium sine misericordia, quia adeo est modica, ut sit quasi nulla. An potius Dominica hæc sententia plane est tenenda juxta litteram? unde in Propheta: *Cum exarserit in brevi ira ejus, etc. (Psal. II, 12) (36)*. Ira quippe Dei in reprobos, teste expositione hujus loci, dicitur in iudicio exarsura, quia nulla apud eum tunc patientia: Si autem in puniendo nihil habebit patientiæ, quis locus reliquus misericordiæ? Cui autem non miseretur, miserum quomodo diliget? Si autem perditum hominem non diligit, multo minus diabolum.

Illam autem prophetica Scripturam, qua dicitur: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*. Auctoritas super istum versum: *Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas (Psal. cxviii, 51)*, sic exponit (37): Erga omnes quos Deus liberat et damnat, omnes viæ misericordia et veritas, quia ubi non miseretur, vindictæ veritas merito datur; quia nullum immeritum damnat, sed multos immeritos liberat. Itaque *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*. Quia nulla sunt ejus opera, nisi ab harum alterutra, ut fiat hic iniquorum per misericordiam expectatio, conversorum emendatio, et in futuro per justitiam utrorumque æqua retributio; quia *reddet unicuique juxta opera sua (Psal. lxi, 13)*.

Si autem: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (Rom. viii, 18)*: quod enim non invenerunt opera, supplet misericordiæ: *Quoniam in æternum misericordia ejus (Psal. cxxxv, 1)*, quomodo juxta opera reddit Deus bona futura? Hæc bona nemo plus minusve acciperet, nisi prius differenter meruisset. Sic: *Regnum cælorum non est dantis, sed accipientis (Joan. xiv, 2)*; sic: *In domo Patris mansiones multæ sunt (ibid.)*; sed quia nullius sufficerent merita, utpote parva, utpote temporalia; misericors Deus perficit quod meritum incipit.

Si vero hujus sæculi bona vita, quia est et brevis et parva, nisi largitoris benignitate, non rependeretur æternitate, cur sæcularis culpa perpetua exigitur pœna (38)? An quod non meruit culpa, supplet justitia? Sed hoc non est justitiæ, quæ cuique quod suum est reddit, imo tyrannidis, quæ violenta dominatione premit. At sicut præsens bonum acquirit futurum, Deo miserante, et justo, licet latenter, iudice; ita scelus mundi finiendum infinita sibi vindicat cruciamenta justissimo iudicante, sed justitiam nobis celante, nisi testante Domino: *Qui minor est in regno cælorum, major est Joanne (Matth. xi, 11)*.

(36) Glossa ordinaria ibidem ex Cassiodoro.

(37) Glossa, ibid., ex Aug. in psal. cxviii.

(38) Greg., I. IV., Dialog. c. 44.

A Charitas post hanc vitam et sanctitas perficiatur, ut sit digna beatitudine, **51** et perfecta perseveret, ut sit digna æternitate juxta illud: *Qui in æternum diligit, in æternum meretur habere quod diligit*; quod super illam locum quære: *Justificationes tuas in æternum propter retributionem (Psal. cxviii, 112)*.

(39) Contra autem malitia hic inchoata, ibi accumulata, nec exinde diminuenda meretur flagellum, et hoc interminatum: sicut enim bonitas munere Dei, ita quoque malitia reatu sui meretur amplio-rem, et modo, et maxime in futuro pro meritorum quantitate librata recompensationem. Ad quæ quia ad malum proni sumus sufficit culpa; quia vero in bono infirmi sumus, non sufficiunt merita. Sufficit illa et non sufficiunt ista, quia his rependitur longe amplius quam debeatur, illi id solum quod promeretur. Si ita est, perditio et salvo constat merces; non solum pro eo quod gessit in corpore, sed et quod post corpus, alter in cælo, alter in inferno.

Sed huic contrarius videtur Apostolus asserens quod in iudicio *Unusquisque referet propria corporis prout gessit (II Cor. v, 10)*. *Propria*, quia non iudicabitur quis propter aliena; *corporis*, quia non propter ea quæ aguntur extra; *prout gessit*, quia ante acta discutit Deus, non futura.

In hac discussione voluntas maxime inquiritur, cujus juxta naturam quæcunque sunt, æstimantur. Sed mirum valde est, si voluntas hujus sæculi meretur rependi, non et futura, cum tunc longe et in bono melior, et in malo comprobetur pejor. Quippe si ut angeli ita homines nunquam mutati voluntate, nec unquam mutandi morte, ii miseriam, illi recipent felicitatem, et utramque continuam propter voluntatis continuationem, profecto omnes rite fieri dicerent in hominibus, quod rite factum non negant in angelis. Nunc quod mortem voluntas præcedit, et utrique ea de qua agimus voluntas æterna succedit, ideone carebit retributione? An potius temporalis æternæ voluntas vindicabit voluntati recompensationem? Transiens namque manentis causa est. voluntas voluntatis.

CAPUT XIV.

Quod hic meremur, in futuro recipiemus.

(40) Sciendum itaque nobis est hunc nostræ statum mortalitatis medium inter luctum et gaudium idoneum sibi locum obtinuisse hunc mundum, qui et ipse medius inter cælum et infernum est constitutus. Hic nec inferni mœrore cruciamur, nec jucunditate cœli exhilaramur; potius comparatione inferni quasi in cœlo regnamus, comparatione cœli quasi in inferno exsulamus; hinc nobis præsto est descendere et ascendere; per nos descendere, per Deum ascendere. Utramlibet harum extremitatum adeptus fueris, inibi permanebis, nec alterutram vitare poteris: hæc ergo vita est ad promerendum, futura ad accipiendum. In corpore agimus, ut post

(39) Glossa ordinaria ex August.

(40) Vide librum *Different.* Isidori Hispal.

corpus, et item recepto corpore, condigna recipiamus. Solum igitur illa hominum merita apostolica memorat sententia quæ aut requiem, aut ærumnam introducerent (licet introducti non cessent promereri perseverantiam ærumnæ aut requiei). Quæ enim in hac vita agimus digne merita, quæ vero in altera vita volumus, dignius meritorum præmia nuncupari solent. Præsentia quippe futurorum sunt causa. Huic vitæ actionem, alteri do voluntatem. Nam defunctis operum cessante opera, sola cogitatio erit reliqua.

In adultis ergo merito perseverat pœna, quia non recedit culpa. Verum parvulus qui solum ab origine, at nullam proprio maculam contraxit ab actu, cur sempiterno affligetur cruciatu? Num et hoc inter occulta filii? Si vero adeo conteritur qui peccatum non fecit, quid fiet ei qui tota die offendit? Apud districtum originalis culpa iudicem licet occulte, tamen juste regioni proscribit pereuntium. Pereuntibus autem perpetuitatem, ut dixi, pœnæ perpetuitas importat culpæ: quod forsitan (41) et in parvulos cadit. Parvulus 52 enim a carnis carcere eductus, jam sui compos, aut in liberam evadit rationem, aut velut in carne et adhuc arbitrii carebit libertate; igitur ne spiritus rationalis usum nunquam habebit rationis? sed corpus aggravat animam, et terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. ix, 15). Anima ergo corpore et anima in habitatione exuta, exuetur et aggravatione, quam caro importat et sensu post hominem expeditus intellecta cogitabit. Quod in parvulo ita esse salvando constat, constet quoque quia ita decet et in perdito. Aut ergo charitatem habebit, et cœlo dignus in merito, tenebitur inferno. Aut non habebit, et nemo jam dubitet quin jure careat gaudio.

Si ita se habent prædicta, procul dubio constat cum clementia in sanctos Dei justitia; sine clementia in reprobos sola justitia. Sed si ejus misericordia nunquam est sine justitia, quomodo ejus justitia reperitur sine misericordia? Sicut enim non miseretur injuste, ita indecens est ut crudeliter judicet.

Notandum tamen quod cum virum impium, nullus bonæ conversationis habentem respectum, Dominus sua bonitate convertit; cumque infantie innocentiam Deo regeneratione pacatam, sua salvare miseratione disponit, non videtur justitiæ sequi examen, verum misericordiæ dulcedinem. Si enim libram iudicii attenderet, neque aliud impio quam quod meritis suis dignum est, videlicet infernum, neque infantie quoniam nihil promereri valet, recompensaret cœlum. Nunc autem bonitatem suam utriusque cum inopia librans mavult miseratione uti quam iudicio; atque ideo fatendum est, quoniam ita vere est, quædam prout justitia postulat minime punire, quoniam mitius res tractatur per misericordiam; quale est quod impius justificatur: justum enim erat ut quoniam in sordibus est, sor-

A desceret adhuc; verum misericorditer a sorde purgatur. Sicut autem hujusmodi severitatem justitiæ blandimenta misericordiæ excludunt, ita quoque alia libram justitiæ admittunt, mansuetudinem non inveniunt, unde: *Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam* (Jac. ii, 13). Quædam vero ex misericordia pariter et justitia proveniunt, sicut quod pro meritis datur; verum quoniam non sufficiunt, gratia opitulatur, hac ratione justis vitam æternam consequuntur.

Præsumptionem fortasse putabis asserere Deum quid facere quod opus justitiæ non sit, præsumptionem ergo iudices affirmare Deum quid facere quod opus misericordiæ non sit; ipsum enim arbitrari aut inmitem aut injustum, utrumque nefas est. B Quod si facit illud ubi non utitur misericordia, sed tantum justitia, quid mirum si id agit ubi non utitur justitia, sed tantum misericordia? Habet (42) enim semper utramque, verum gerenda quædam producit ab una, quædam ab altera; alia autem, ut dictum est, ab utraque.

Quid ergo dicemus? nonne quidquid Deus facit, justum est; et quidquid facit, est pium? certum utique est, quia nihil agit injustum, nihil impium. Estne igitur id quoque certum quod quidquid facit justum est et pium, sicut illud videtur velle: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas?* (Psal. xxiv, 4.) Quod si ita est, quomodo dictum est aliud prodire a justitia solummodo, aliud a misericordia? Si, inquam, omne opus Dei justum est et pium, C quomodo alterum a iudicio alterum procreatur a pietate, et non potius utrumque ab utroque? Sed fortasse quidquid a Deo fit, ideo justum dicitur et pium, quoniam sanctum est et bonum, non autem ideo justum ut nihil fiat, nisi quod iudicium requirat, ne flagitiosus non convertatur, neque parvuli salventur. Item non ideo pium ut ubique utatur pietate, ne nusquam fiat iudicium sine misericordia, ei qui non fecit misericordiam, quod cum sit, sine crudelitate nullam impertit misericordiam, quoniam sceleratos torquet per justitiam: quæ enim duritia, meritis reddere condigna? aut si dedecet ut reus patiatur, iudex vero non misereatur, profecto quam meruerant illi sua iniquitate iram, lenit ipsa sua bonitate; lenit, inquam, quia est 53 benignus; punnit autem quoniam est justus; lenimine quidem minimo, quia misericordiam non fecerunt, pœna vero maxima quia sic meruerunt.

Utique parcere poterat vel pessimo, sed factu prius justo. Verum secundum æquitatem non fieret, nisi perseveranti iniquo pro merito recompensaret. Tamen qui præfert justitiam et huic parcere poterat per misericordiam, sed non vult ne iniquorum auctor æstimetur, unde ait: *Existimasti inique quod eris tui similis, arguam te*, etc. (Psal. xlix).

Sed quoquo modo misereatur, miseratio qualis erit, unde amor deerit? num sicut studiosis irasci-

(41) Vide notas sub finem cap. 6, hujus part.

(42) Mag., l. iv Sent., dist. 46, sub finem.

tur quos flagellat, et non odit; ita flagitiosis miseretur quibus aliquatenus parcit et non diligit? Hanc certe iram propheticus ille pœnitens expavescit, cum sic orat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, id est, in iudicio ne perdas, nec in ira tua corripias me* (Psal. vi, 1), post hanc vitam purgatorio igne rubiginem vitiorum ne excoquas, hic potius secura; futuram emendationem nequeo tolerare. Hæc ira medicinalis est curando, cujus salus expectatur, illa misericordia vel huic exhibetur ægroto, cujus de curatione desperatur; non quod impotens sit medicus, sed quia indignus refutatur ægrotus. Si enim vellet, sanaret; vellet autem si amaret; nam si amaret, amato bene vellet, alioquin quemodo diligeret cui vel non bene vel etiam male vellet? si vero bene ei vellet, bene etiam eidem esset, alioquin Omnipotentis voluntas inefficax foret, imbecillique calamitas torqueret, cum quid cuperet, at effectu deficeret. Sed *omnia quæcunque voluit fecit* (Psal. cxiii, 5). Voluntas autem ejus non est alia, et actio alia, ne imbecillitatis merito arguatur, si voluntas non sufficiat efficiendis, sine patrocinio operationis, at sufficit: *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (Psal. xxxii, 9). Constet ergo si summus iudex damnato bene vellet, damnato etiam bene esset.

Quomodo vero quis, cui semper male est, bene velit, si cum liberare possit nunquam velit? Nam si quem amat a miseria liberare non potest, quomodo sine dolore est? an in tantum bene velit, non ut omnino liberet, sed ut afflictionem minoret? Sed quæ reliqua est, adhuc tanta est, ut bene ei esse non possit, qui nihil boni sentit, nihil boni penes se unquam reperit, quem mors depascit. An dicam bene ei esse, sed ipsum nunquam sentire? At tale bonum quid prodest? Bene igitur sibi est et male; si bene, gaudeat; quia vero male, doleat, sed gaudium in gehenna non novit Scriptura, imo luctum: *Nam ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. vii, 12). (43) Quare fatendum æstimo non bene esse miseræ. Misere autem esse damnato præsertim nequissimo, minus tamen male quam exigunt merita nec pertinaciter negabo (44) nec præcipitanter affirmabo.

Verum si malo minus male sit, bonus Iudex ei minus male voluerit; non tamen bene, quia huic non est nisi male. Quæ tamen ratio cogit fateri Deum damnato minus male, vel velle vel facere, cum reddat unicuique juxta merita; nam si reddit citra, reddendo non pervenit usque ad merita; quomodo igitur secundum ea? Bonis reddit, secundum ea, quia quantum meruerunt, et addit ex gratia. Cui ergo minus male, ac per hoc male voluerit, il-

lum non amaverit. Sed sicut cui bene vult amavit, ita cui male vult oderit; patet male velle quem destinavit incendiis gehennæ.

Quem ergo odit Deus num diligit homo? equidem de diabolo evangelica dicit auctoritas: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, id est diabolum; et alterum diligit* (Matth. vi, 24), id est Deum; et hic ab auctoribus commendatur. *Aut uni adhærebit, scilicet dæmoni, et alterum contemnet, scilicet Dominum, et hic vituperatur.* Merito igitur oderit quisque humani generis adversarium quem odio non ignorat addixisse Deum. Constet itaque Dominum odisse quem non liceat servo diligere; namque illum si Dominus amaret, *servus voluntatem Domini et non faciens vapularet* (Luc. xii, 47). Ipse quoque Dominus servum male falleret, cui odium dilecti sibi persuaderet et invidie diligeret, quem cæteros odisse mallet. Quem ergo odit Dominus, odero ego servus; cui male vult Dominus, 54 male velim servus, cui vult ut male sit modo, pejus autem in futuro, velim similiter et ego; unde in Psalmographo: *Qui diligitis Dominum, odite malum* (Psal. xcvi, 10), scilicet diabolum. Nam quomodo diligam? optem conversum cælo revocari? Scienter divinæ resistam voluntati? Desiderem vel ex parte ejus leniri cruciamenta? Ia vanum; obdurata non sinit malitia. Malitiæne veniam flagitabo? Impœnitens est, non impetrabo; potius mihi justum exacerbo dum quantum in me est execrabili precum devotione, nefandaque devotionis oblatione, de jure ad injuriam inflecto. Potest utique, quod et sæpe ad tempus agit, ab indignorum cessare pœna, sed animo impœnitenti nulla ratione debetur venia. Quod de dæmonibus dicendum puto, et de hominibus; sed quos in inferno jam novimus esse receptos, flagitiis prægravatos, morte pessima præoccupatos.

(45) Nam fortasse queant viventium merita in aliquo perditorum laxare supplicia, si tamen ut quidam opinando perhibet, id anteacta vita meruerit. De in hac vita pravus, et pro pravitate post hanc vitam perdendis, quid dicam? Constet utique in eis Dei odium; constabitne et nostrum? Fratres nostri sunt; communem habemus in cælo patrem; ad quem communiter clamamus: *Pater noster qui es in cælis* (Matth. vi, 9), scilicet Deum: communem in terra, unde omnes nati sumus, hominem videlicet primum. Fratrem odero? at *qui odit fratrem homicida est* (I Joan. iii, 15). Non diligam? at *qui non diligit fratrem, manet in morte* (I Joan. iii, 14). Fratrem meum factum mihi inimicum abjiciam? at præcipit Dominus diligere inimicos (Matth. v, 44). Monet Apostolus in omnibus probare quæ sit voluntas Dei (Rom. xii, 2), hoc enim solum inter omnia de-

(43) Mag. iv, d. 46.

(44) Dubitat cum Aug. in psal. cv. *Quoniam in sæculum misericordia ejus*, et lib. xxi De civit. Dei c. 24: Rigorosa justitiæ libram agnoscunt, etiam in damnatis. Hieron. in fine libri ii, super Ezech. 7; auctor hom. de verbis David: *Quis sum ego*, inter opera Chrysost. nec parum faciunt plures script.

auctoritates. August. tamen, xxi De civit. c. 24, censet Deum punire citra condignum.

(45) Mag. iv, d. 45, § 2 et d. seq. Aug. in Enchirid. c. 110 ad 2. Dulcitii. quæst. Damas. oratione pro mortuis. Chrysost. hom. 3. in ep. ad Phil. Prudentius, etc., ut in notis.

bet servo placere, quod probaverit Dominum suum velle. Dominus autem vult malos male perdere (*Matth.* xxi, 41); nonne igitur placebit servo malorum perditio? quomodo autem fratres diliget si eos damnari volet? aut si id fratribus nolit, nonne Dominum contemnit ejus voluntati contradicit?

Dum in terra vivimus, in terra viventium, quantumvis nefariorum finem, qui Deo notus est, quia ignoramus, perditioni (46) non præjudicamus, quorum vitam in melius convertendam speramus. Secundum Apostolum dicentem: *Tu quis es, ut alienum servum judices? Domino suo stat aut cadit, stabit autem* (*Rom.* xiv, 4). Nam si eorum exitus non lateret, divino dissentire judicio non deceret; nec omnimode dissentimus; cum ipse velit ut sic dissentiamus: *Qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire* (*I Tim.* ii, 4) (47), non in se, quia quæcunque voluit fecit; sed in cunctis, quos ita facit velle, ut pius affectus pium moveat judicem, impium expiare, quemadmodum legimus beatum Stephanum in ipsa lapidantium trucidatione, orando persecutori Paulo veniam promeruisse.

Providit quidem Deus ab æterno mundare immundum, sed et penes se præparavit emendationis causam, intercessionem sanctorum.

Dum igitur latet voluntas Dei, id velimus quod fratrum consonet charitati: voluntas Dei patefacta omnium ad se trahat corda: unde in cælo erit perfecta beatitudo ubi non aliud Dominus et aliud volet servus, juxta illud: *Placebo Domino in regione vivorum* (*Psal.* cxiv, 9). Quasi diceret: *Hic in regione morientium non placeo, ubi cum ignorantia, tum infirmitate, aliud quam ipse volo; sed ibi placebo, quia in voluntate sua, non displicebo in mea*: unde Pater Abraham pacatus in quiete, turbatis in igne dicit: *Magnum chaos firmatum est inter vos et nos* (*Luc.* xvi, 26). Non quia (48) ibi boni malos non videant, sed quia ad eos per compassionem non transeant; quoniam pater vel mater in cælo, filio vel filiæ, in inferno non condolebit; quia justissima Dei vindicta justissimis non displicebit; alioquin quomodo *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (*Apoc.* vii, 17), si nec inde decribit miseria? dolor enim miseria est, quæ lacrymæ dici solet causa: verum ibi neque dolor neque luctus.

Qui non credit jam judicatus est (*Joan.* iii, 18). Unde constat tam Judæos quam gentiles sine fide hinc migrantes, sine spe tormentis deputandos; teste etiam Domino: *Multi vocati, pauci electi* (*Matth.* xx, 16). Quia inter Christianos multiplicati sunt super numerum; nonne multos illos odimus quos Dominum reprobasse novimus?

55 Sed jam supradicta non stabit sententia quod Dominus sanctis inspiret ut velint: *Omnes homines salvos fieri, et neminem perire* (*I Tim.* ii, 4),

(46) Aug. xxi. De civit., c. 24.

(47) August. lib. de corrept. et gr., c. 15; xxii, De civ. cap. 4, etc.

(48) Ita Aug. xx de civ., c. 22. Greg. xxxiii.

et egebit littera expositione alia. An dicemus in Ecclesia ab inchoata quidem usque ad completam, multos vocatos, paucos electos, simul autem viventes utrum prædestinati sint universi ad vitam necne, nobis incertum fore; ac per hoc liceat, imo oporteat eorum exoptare salutem, et sic supradicta littera expositione non egeat alia? Quod si, ut magis videtur, omni tempore Ecclesiæ multi sint vocati, pauci electi, ita exponemus: *Deus vult omnes salvos fieri*, id est, neminem perire; non utique in se, sed, ut dictum est, in suis: quippe nemo est quem velint perire, quia nullus est cui salutem non velint. Sed cum Ecclesia (licet quando, ignoretur) continere tamen plurimos non dubitetur, tandem evomendos, si eorum aliquos, ut fortasse contingit, multos nos eveniat nobis amare contemporaneos, nonne quam odimus cum Domino reproborum multitudinem nescientes odimus, quos scientes diligimus? Sic eminens exercitum prospiciens notos inter ignotos video, sed quos indiscrete cerno, cernere me ignoro. Sic floribus prata vernare, segetes aura undare cernentes miramur, et cum flores hic, spicas illic videre non ambigamus, hanc tamen vel illam vidisse dubitamus. Sic pleraque scimus, quæ nos scire nescimus, et possumus, quæ nos posse ignoramus; quod experimento utrumque probaverimus; piis impiorum corporis ad tumulum, animæ ad infernum prophético spiritu sæpius patefacta est ruina.

Sed an noluerunt quod Dominum velle senserunt? Certe voluerunt, quos perdendis crebro legimus imprecatos, non animi veneno, sed consentientes Deo. Nec enim peccantem puto diligere, nisi cum nescitur Deus odisse; vult quippe virum bonum omnes diligere, præter quos noverit Deum odisse.

Vult itaque omnes homines salvos fieri, et neminem perire sæculi. Id est, sanctos suos facit velle, omnes quidem, nisi si cui quempiam ad populum sinistre innotuit pertinere. Quid si quis morti a Deo præscitos, homini autem dum vivunt fere incognitos sic diligit, non ut cælo donentur, sed ut charitatis merito tolerabilius crucientur, forsitan rarus erit qui apprehendat. Attamen perexilis amor est qui nec bonum tribuit, nec malum tollit, sed tantum inminuit: nam vis amoris reservanda est prædestinatis. Sed sic accidit eosdem scienter diligere et odisse. Ego autem difficile crediderim quemquam amare, cui beatitudinem nolit, velit autem sine fine miseriam; facile autem acquieverim condolere. Nam quemadmodum irasci amicis, contingit nonnunquam misereri inimicis; unde Dominus: *Videns civitatem flevit super eam* (*Luc.* xix, 41), duplici contritione cõterendam.

CAPUT XV.

De Dei omnipotentia.

(49) Omnipotens est Deus. Et tamen, ut ratio ha-

Moral., c. 19; et xxxiv, c. 16. D. Th. in iv, dist. 50, q. 2 et 4.

(43) Magister i, dist. 42-44.

bet, cum innumera sint, ut mentiri, se negare, et hujusmodi quæ nequit, ideo omnipotens est, quia hæc nequit. Ita igitur omnipotens est, ut omnino nihil possit quod irrationabiliter et male fiat. Omnino nihil nequeat, quod ab ipso decenter administrari queat : prærogativa potestatis conspicuus, ut quidquid decet, queat, ne qua imbecillis notetur; quidquid dedecet, nequeat, ne qua boni valentiam mali potentia obfuscet, et tanto decreseat quanto pravitati accedat. Unde quantalibet creatura, collatione Dei est infirma.

Verum ne omnipotentia nusquam proruat in illicita, decet Omnipotentem omnia non solum scire, sed et præscire : nam *Sapientiæ ejus non est numerus* (Psal. CLXVI, 5). Hæc autem sapientia sicut augmenti, ita nescia est principii : nam si quando cresceret, vel inciperet, in scientia processisset; quæ autem ratio ut quidpiam post, non autem prius sciret? dicente evangelista : *Quod factum est, in ipso vita erat* (Joan. I, 4) (50). Quasi diceret : *Quidquid fit in tempore, 56 ante tempus vivebat in ipsius cognitione*. Oportet ergo ut quidquid absque principio providentia Dei simul complectitur, hoc suis quoque temporibus veritas ejus exsequendo prosequatur; quoniam si quod providendo futurum promisit, inexpletum negligeret, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis* (Psal. CXLIV, 13), mendax fieret. Et quia omne Dei institutum merito suæ constantiæ nuncupatur juramentum, si quid mutaret, et mendax et perjurus, ac per hoc Deus non foret. Quocirca quidquid divinæ providentiæ sinceritatem præcipitanter actum evacuaret, illud malum et irrationabile videretur; quidquid autem irrationabiliter fieret, illud Deum non posse supra dicebatur.

Si ergo quidquid aliter se haberet, quam Deus ordinavit, irrationabile esset, nullum autem irrationabile potest, liquet ipsum nihil posse nisi quod veritas habet providentiæ; sed nihil providit nisi quod contingit : nihil igitur potest nisi quod fit. Imo nihil potest, nisi quod vult et facit. Id enim solum facere disposuit, quod per voluntatem effectum reddit. Hæc ergo quatuor tali sibi vinculo connectuntur, ut nec se deserant, nec excedant, quippe et providentiæ divini actus æqualis est potestas, et potestati adæquatnr cum actione voluntas, unde aiunt voluntate Dei potestatem non esse majorem.

Quod si dixerim quæ Deus, ut modo sunt, providet, aliter providisse potuit, ut juxta illam providentiam aliud quam nunc velit et agat, libere potuerit; quod quidem secundum id quod tunc providentia sic haberet, bonum et rationabile esset : verum secundum id quod nunc est, malum et irrationabile est.

Respondes : *Alteri providentiæ apud Deum locus præcessisse non potuit, quia sine hac quam nunc habet, nunquam exstitit; nec ambas simul (secum quippe*

decertantes) habuisse convenit. Si ergo dispositio Dei res aliter ac fiunt, nec prius ordinare, nec post ordinatas immutare valet, quomodo sanctorum studium, et pro studio salus; impiorum perversitas, et pro ea infernus rite deputatur, inde gratiæ, hinc divinæ justitiæ? Quæ enim gratia, quæve justitia, dum vel disponit, vel dispositum efficit, cum neutra ex parte quidquam mutare possit? Gratiam et justitiam agnosceremus, si cum hoc mallet, non minus alterum posset. Nunquid aliud videam nisi necessitatis violentiam, cum nec unquam Petro negare, nec Judæ conferre potuerit perseverantem gratiam? Et quidem utrumque in sordibus reperit, sed utrumque liberare non potuit. Judam infixum in limo vidit, sed extrahendo nihil prodesse potuit. B Petrum ad se traxit, quia eum in luto relinquere nequivit. Nihil eorum quæ feci vel facturus sum, unde cessavi vel cessaturus sum, bona malave sint, aut juvare ut sint, aut impedire ne sint penes illum ulla potestas est.

Quomodo ergo omnipotens est cui ea virtus non est, ut cuiquam ita adsit, ut adjutus bonum faciat, quod erat dimissurus, aut malum omittat quod erat facturus? Unde fit, aut ut omnino ingratus, aut ut minus exstiterim gratus auctori meo, dum id mihi tribuit quod negare nequit.

Sed dices : *Agendum tibi gratias est, quia licet aliud non possit: at quod potest non invitus facit.* Sed sic, non tam de facto, quippe quod vitare non potest, quam de voluntate gratias ago : sed nec de ea obnixè, quia nec ipsam valet cavere. Illi siquidem gratias agere consuevimus qui ita nobis præstat beneficium, ut si libeat queat retrahere manum. Nam qui coactus dedit, nec rem retinuit, nec gratiam promeruit.

Dices forsitan : *Et Deus, si velit, aliter agat ac facit; sed, etiamsi velit, voluntati effectum habere non licuerit, alioquin ratio providentiæ in anima ruitura vacillet, et Deus nota falsitatis turpatus, non amplius queat esse Deus.* Sed nec velle quid tale decebit quod futurum providentia abdicavit; abdicavit autem quidquid non fit; nihil ergo velit nisi quod evenerit, de quo constat, *quod omnia quæcunque vult fecit* (Psal. CXIII, 5) (51), humana autem natura ita condita est, ut cum nullo ad vitium provocetur incitamento, tamen mali per se compos exstiterit : verum nec malum vitare, nec bonum velle, nec cum voluerit 57 perficere queat, nisi opitulante Domino; nam quia malum per se vitare non sufficit, solus in Domino confidens ait : *Viam iniquitatis amove a me* (Psal. CVIII, 29). Quod vero affectus boni a Domino Deo est, addit : *Inclina cor meum in testimonia tua* (ibid.), bona voluntate jam præventus, sed adhuc bono opere consummandus fusa ad Deum prece inquit : *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo* (ibid.) Eloquium quippe

(50) August., tract. in psal. XLIV, et alibi.

(51) Aug., l. XIV, De civit., c. 19; IV, contra Julian; c. 14; lib. De corrept. et gra. c. 11; De bono

persev. c. 7; Enchirid., c. 107; v contra Julian., ca. 16. Item De corrept. et gr. c. 12, et ad art. 5. sibi falso impositum.

per Dominum statuitur, dum per ipsum eloquii A sensus in opere complctur; cum vero timorem sui Dominus incussit, quasi stimulum contra acediam adhibuit. Primus ergo homo abutens arbitrii libertate prævaricatus est; sed num Deus illum ne transgrederetur defendere potuit? non potuit, quippe nihil potest nisi quod contingit. Cum igitur homo, nisi cooperetur Deus, a natura non habeat, ut culpam caveat (vitatio siquidem culpæ grandis virtus est, præsertim malæ volantatis) omnis autem virtus a Domino Deo est, *descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17), dicente Domino discipulis: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5), nihil utique boni, sed quod est malum; cur Adam reatum contraxit, dum prohibitum admisit, quando ex se efficaciam vitandi noxia nunquam habuit; nisi defendente Deo: B defendendi autem quia aliter prænoverat, posse Deus non habuit. Aut igitur hominum nulla culpa est, aut si qua est, in Conditorem refundenda est.

Sed fortasse dices: *Licet divinæ non fuerit facultatis peccantem ne peccaret præmunire; attamen gratiam contulit qua usus persistere quiret illusus*. Mira res! beneficium potens est Deus inchoare, inchoatum impotens consummare; et quod monstri instar reputo, parvulus jam regnaturus, adulta vero ætate delicturus, ac per hoc tandem damnandus, modo tamen gratiam percepit, qua sancte vivendi compos exstiterit, ac per sanctitatem cum Deo reguandi. Vide mirum, cum Deus nec velit nec possit sanctum servare, servatum beare, ne, ut sæpius dictum est, fallatur præscientia: potest ergo parvulus ille, C et in innocentia perseverare, et vitam æternam obtinere, velit nolit Deus. Similiter licet procedere de eo qui a Deo angelus, a se diabolus factus est. Fons totius boni Deus summe beatus, cujus omnipotentia constat nihil obstare, sic humanæ naturæ ruinam per justitiam pertulit, ut et reparationem per misericordiam providerit, reparationem, per Verbi incarnationem, quam dum sola gratia prædestinaverat, misericordem se exhibuit; misericordiozem, dum penes se prævisa consolando promisit; misericordissimam dum redimendo promissa implevit. Si autem, ut dictum est, nec præscientia nec præscita valent alio deflecti, Deus nec aliter quam incarnatione hominem a jugo Satanae quivit absolvere; neque hominem quem assumpserat, vel a contumelia irridendum, vel a sævitia crucifigentium potuit defendere; cum tamen homini ipsi effigisse hæc præsto fuerit. Quocirca grati simus servo quam Domino. Servus potuit, Dominus non potuit nobis salutem negare: qui potuit quia voluit, beneficium tulit; qui noluit nec potuit quasi necessitati morem gessit; nam, sicut esse, ita mundum redimere necesse erat Deum; volebat quidem et esse et redimere, sed nec hoc nec illud poterat vitare.

Mira miseria, si passionem adeo probrosam,

(52) August. 1. xxviii, contra Faustum; De agone Christi cap. 10, et seqq. lib. xiii. De Trinitate. c. 18.

(53) Athan. orat. 3, cont. Arian. Leo, ser. 2. De

mortem denique turpissimam, qui Deus erat, evadere nequibat. Mira impotentia, si nisi moriendo hominem perditum restaurare non potuit. Sed potuit, quoniam juxta (52) auctoritatem, erat et alius modus Deo possibilis, sed nullus nostræ fragilitati convenientior; potuit namque justissima utens potestate diabolum tyrannica privans prælatione, suos servos quos ille lusoria pollicitatione fugitivos abduxerat, solo jussu revocare (53); nisi quia maluit affectantibus potentiam, humilitatem obtendere, servituris affectum suum intimare, factus homo tanquam viator strenuus sequacibus ducatum præbens, verbo eos et exemplo præstruens. Deus ergo qui hunc modum prætulit, et alios in promptu quamplures habuit, Dominus Jesus monstrans duodecim B 58 apostolis sibi opus non esse sui ad defensionem, testatur se posse Patrem suum rogare, exhibiturum sibi pro duodecim apostolis duodecim legiones angelorum (Matth. xxvi, 53), pro se contra sævitiam Judæorum decertaturas. Frustra hoc Filius dicit, si Pater suus id non possit. Si vero id potest (ut vere potest) tale quid potest, quod nec unquam vult nec facit.

Quocirca auctoritate evangelica fulti, de particulari ad particularia similitudine ducti procedentes, asseveremus Deum innumera posse et non velle; sed quia nobis in hac vita aut difficile aut omnino impossibile est, ratiocinando expedire, qualiter Deus quidquam possit, quod non velit, magnus (54) aliquis de futura non quidem de ista vita ait: *Tunc videbimus quam multa possit Deus, et non velit*. Constat namque divinæ providentiæ, constat et nobis, C Scriptura docente, quod Antichristum Christus est perditurus. Quocirca si Antichristum salvaret, procul dubio secundum quod res modo se habent, providentiam suam falsaret: unde videtur, quod si Antichristum potest salvare, providentiam potest falsare. *Antichristum quippe salvare, providentiam esset falsare; atqui Antichristum potest salvare; siquidem constat ipsum omnia posse: num igitur potest se ipsum fallere?* Absit! Hujus quippe collectionis propositio et verisimillima et dolo est plena. Antecedens enim verum consequens infert falsum.

Ita respondendum puto: Quoties dicitur: *Si Deus potest aliter facere quam providit, tunc potest falli, quod videtur sequi, quia aliter facere esset falli; potest utique aliter facere, quoniam potest et aliter providisse: nam si alia providentia esse non posset, nec aliter fieri posset; alioquin si poterat quid fieri quod non poterat ante provideri, poterat certe a Deo quid improvide, ac impræmeditate factum esse: sed opus Dei omne incipit, operis autem præmeditatio ipsius inceptionem antecedit, quoniam quod factum est in ipso vita erat, (Joan. 1, 4). Potest ergo aliter facere aliam sequens providentiam quæ semper fuerit; non tamen hanc quæ est falsare, quæ tunc nunquam exstiterit. Non*

nativit. Bernardus, ep. 190, etc.

(54) Aug., c. 95 Enchiridii.

ergo ita facere aliter potest ut ista fuerit, et incompleta relicta sit, quod impossibile est. Verum ita ut absque hac alia exstiterit, et non eo quod est, sed quod esse potest completa sit, quod impossibile non est.

Quocirca huiusmodi districtione utendum puto, quod nihil eorum dignum est Deum posse, quæ in se noscuntur indecora, quales sunt superbia, invidia, gula, luxuria. Verum ea tantum quæ honeste fierent, etsi horum quamplurimis divini circumscriptio consilii supersedendum censeat; quod genus est, Judæ perseveratricem gratiam contulisse, Petro negasse; quod utrumque et bene fieri potuit, et bene infectum cessavit. Huiusmodi potest Deus et velle et facere, sed nunquam volet aut faciet, quia male vellet et faceret, propter hoc solum quod constanter penes se proposuit, quod nihil horum vellet aut faceret. Potest itaque talia, quia quantum in se honeste fierent; sed non vult, quia contra propositum essent. Potest utique talia et bene et honeste facere, quia ab æterno potuit, et bene et honeste facienda providere. *Verum si potest velle et facere contra propositum: contra propositum autem facere et velle plane est male velle et male facere, nonne igitur potest male velle et male facere?* et hoc absit! Argumentatio subdola verisimilitudine palliata, interius rimanti turpitudinem suam denudat, dum per vera concessa falsum concedi intendit.

Miraris forsitan si quid potest Deus velle vel facere contra propositum: velle autem vel facere contra propositum, quid est nisi idem quod velle vel facere aliud quam propositum sit. Quod constat Deum posse; quod si agere contra propositum, est cassare propositum, non id utique decet Deum.

Audacius dixerim et hodie Deum posse diabolo compunctionem infundere, et penitenti veniam dare, satisficientique salutem indulgere. Audacissime adjecerim, in una persona quæ est Christus divinitatem humanitate posse se disjungere, et 59 disjunctæ gratiam suam retrahere, ut jam purus homo sine Deo ruat in vitium, de vitio in infernum, quod ne unquam fiat beneficium quidem contulit, sed beneficio potentiam suam non inclusit. Salva enim justitia revocare potest beneficium quod non ex merito accipientis, sed affectu largitoris commendatum: multum quidem meruit homo ille, sed virtute Dei non sui, ut si reddat Deus quod homo promeruerit ex se, retineat autem quod ipse fecit in homine, nec homo ille habeat unde gaudeat. Si salutem quam adversario misericorditer contulisse potuit, æquissima negavit severitate et negabit. Nonne gloriam quam filio hominis Filius Dei unicus contulit, adhuc gratiam dicis? quomodo autem gratia est, si resumere non potest? sed potest; nam Propheta humanitatem ad sibi unitam divinitatem inducit sic loquentem: *Deus meus, ne sileas a me, et assimilabor*

A *descendentibus in lacum* (Psal. xxvii, 1). Ne sileas, ne a me divinitatem separe, quam dum mecum habeo ipsa docente nihil ignoro. Etenim si silueris, dum personaliter unito mihi te disjunxeris, *assimilabor descendentibus in lacum*, descendentibus in iniquitatis et inferni profundum, ut non disconveniam in pœna, quibus convenerim in culpa. Omnia sciens homo Jesus nequaquam id peteret, si divinitati impossibile foret; sed quia fieri potuit, ne fieret obediendo impetravit, nunquam timens lapsum fastigii sui sine dubio prænovit constantiam, quam se promeritorum sanctissimo militiæ suæ obsequio nullo modo dubitavit.

Plura ergo Dei complectitur potestas quam voluntas; licet ad plenum id minime liqueat, quia, si quid potest Deus quod non velit, neque providit, videtur, ut dictum est, posse sibi contrarius esse; non tamen potestas major est quam voluntas: etenim potestas et voluntas eadem est; quia utraque idem quod Deus est, sic Deus cum plura sciat quam doceat, in ipso tamen doctrina non exceditur a scientia; utraque enim est Deus.

CAPUT XVI.

De Dei providentia.

(55) Providisse quoque aliud potuit quem et aliud liquet potuisse, ac egerit. Nam, quemadmodum potestas libere pro arbitrio operatur, ita providentiæ libertas sponte elegit hoc aut illud, ut sicut potentia sola voluntate, ad hunc quem novimus præducitur effectum, sic præscientia nulla necessitate coacta, hunc quem videbimus ordinem maluerit eventum. Unde Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (Joan. xv, 16). Quid est enim electio, nisi quædam de diversis pro libito facta portio assumptio?

Hæc prænotionis voluntaria dispositio, ut supra diximus, initio caruit et fine carebit; prænotio quidem, et dispositio ex quo id quod præscitum est evenit et transierit, desinunt utique sic vocari, sed non desinunt esse quod sunt; nam quid est prænotio, quid vero dispositio, nisi præscientia futuris suum rebus ordinem assignans? præscientia autem omnino est scientia; scientiam autem Domini vel in minimo deficere, et ad metam deduci existentie, nefas est etiam cogitare; quippe dum res variantur, instabilia stabiliter ipsa comprehendit:

Boetius stabilisque manens dat cuncta moveri.

Ipsa nempe futura præveniens, præsentia comitatur, transactas quoque res prosecutura omnia simul perspicaci investigatione complectens. Universam quippe multipliciter eorum quæ fuerunt et erunt præsentario intuitu, divinus perlustrat oculus, ut omnia Deo juxta auctoritatem (56) sint præsentia, non actu existendi, verum perspicacitate noscendi: nam quæ diversis temporibus fiunt, simul esse nec apud Deum queunt; simul enim stare nequeas et

(55) Mag. i, d. 55.

(56) Aug., plurib. in loc., sed insigniter lib. ad Oros., c. 8.

jacere, vigilare et dormire, sanus et æger, puer et senex, vivus denique et mortuus uno tempore existere. Non ergo fallitur Deus ubi homo est certus, ut quæ simul esse non possunt, simul esse credat aut cernat. Nam ubi aut quando tam discordia permisceri **60** videat? Tu autem Adam jamdudum extra paradysum corpore cineratus, spiritu cælo contentus. Quomodo mortalis, apud Deum in paradiso adhuc vetito vesceris fructu? Quomodo, inquit, te ignorante, et nunc in inferno es sine dolore, sicut et prius in cælo eras nescius absque voluptate? Ergo omnia omnium temporum præsentia sunt apud Deum, non ita ut existant, sed ut non magis quam præsentia Deum lateant: sic dicitur fecisse quæ futura sunt, non quidem existente natura; verum præeunte scientia, quæ, quia existentiae necessitatem non infert præteritis aut præsentibus, nec est illatura futuris. Sic prophetæ, revelante Deo, norunt futura: num talis notio ad esse cogit? Sic et nos, anno jugiter redeunte, rerum innovatione edocti, pleraque prævidemus; prævidentes autem sponte futuris nullam subsistendi causam administramus. Providentia igitur Dei omnia etiam futura comprehendit, mala tantum videt, non etiam agenti favet: quia *sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 2), verum fieri sinit propter bonum quod inde fit. Unde impius vivit pio, quemadmodum *superbit impius, incenditur pauper* (Psal. ix, 25), charitate videlicet inflammatur.

Bona autem Deus non solum scit, sed et cum faciente facit: unde ad Deum per Prophetam dicitur: *Cum sancto sanctus eris* (Psal. xvii, 26), id est sanctitatem operaberis.

Sed quem in bono vult juvare, non vult cogere, ne hominis nullum sit meritum, pereatque liberum arbitrium: flagella et varias naturæ vices ita præcogitat, ut præcogitata et sine nobis compleat, quoniam *ipse percutiet et sanabit* (Ose. vi, 2). *Ipse sicut lac mulsit me, et sicut caseum me coagulavit* (Job x, 10). Et quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat* (I Cor. iii, 7), ipse incrementum dat. Futura itaque Deus ita scit, aut ut sine eo fiant, qualis est culpa; aut cum eo fiant, qualia sunt rationis consilia, aut per ipsum fiant, qualia sunt naturæ opera.

Hæc futura si Deus ita provideret, ut provisionem, quandoque inchoaret, inchoationem deliberatio antecederet; quid inter multa, electione dignissimum judicaret? Verum quia ipsum sua providentia antiquiorem esse ratio non sinit, difficile est apud Deum, alii providentiæ locum invenire. Et quidem aliam providentiam nunquam habuit, sed quod habuisse potuerit ratio evincit. Nam quæ necessitas omnipotentem cogeret, ut hanc viam, non aliam disponendo teneret? quod si angelus ex quo est, aliud facit, et aliud potest; cur non Deus quoque, qui interminabilis est, ex quo est aliud providet, nihilominus tamen aliud providere potest?

Quod si potest providere quod nunquam providit, ac per hoc scire quod nunquam scivit (quod cum no-

bis, multo potius ipsi est notum, non enim nostris more quidquam ignorat, ex omnibus quæ potest facere aut scire), num potest incipere ut quidquam provideat aut sciat? Sed, sicut potentia ejus nequit incipere, ita nec scientia: quidquid namque potest providere, quod nunquam providit, aut scire quod nondum scit, ita potest, non ut incæperit, sed ut ab æterno providerit, scierit, voluerit.

Quod si rationis fautores et auctoritatis (eadem enim auctoritas quæ cogit, et plura Deum posse, et pauciora fecisse, requirit ut quidquid potest facere, potuerit providisse: nam, quia facere potest quod non facit, consequens est providere posse quod non providet; plane enim desiperet qui diceret Deum quid posse ad actum ducere, quod nequiverit ante actum prænosse), si, inquam, tali ratione persuasi Deum ita dicamus ea quæ sunt præscisse, ut quæ nunquam sunt, nihilominus providendo potuerit ordinasse; hanc potentiam adjudicandi subsistentiæ quæ nunquam subsistunt: profecto semper habet, cum immutabilium discretione eventuum. Sicut dum Antichristum adjudicat perditioni, posse etiam habet adjudicare saluti: nam quia illum indesinenter damnationi addicit, aut nunquam ejus potest providere salutem, aut interim dum providet damnationem, ecce simul cum providentia contrariæ providentiæ continet potentiam: sicut tu in somno potentiam **61** retines vigilandi, sed nullam habes potentiam, ut, dum dormis, vigiles. Num nec Deus habet posse, ut, dum cujuscumque providet damnationem, ejusdem provideat salutem? Tu non habes posse ut, dum dormis, vigiles, id est, ut utrumque simul agas; posse tamen habes ut tunc vigiles quando dormiturus es, te enim somno trahit sola voluntas, nulla necessitas. Nec Deus ergo posse habeat, ut utrumque simul provideat: id enim nulla ratione fieret honeste, habeat tamen potentiam ut tunc provideat alterum, quando provisurus est alterum: libertas quippe arbitrii qua ductus, hac taliter hora providet, duxisse etiam potuit ut eadem hac hora non sic, sed aliter provideret. Idem de præterita, idem dixerim secure de futura hora. Sed: *Qui prius posse habuit aliter nunc providere quam providet, num et nunc idem posse retinet aliter nunc providendi quam providet?* Sed cum nunc unam habeat providentiam si cum ea et oppositam habere potest, potest duas simul habere adversas. Quod igitur prius potuit, modo non potest; ita quidem ante potuit privatum me, regem constituere nunc; non potest autem modo. Nam quomodo id queat effici, ut idem eodem tempore sit et non sit, utpote me in instante hoc, regem et esse et non esse? Similiter paulo ante Deo possibile erat meam nunc vitam finire; verum et modo et postmodo impossibile est ut inteream modo.

Fateor quidem Deum illius efficaciam, ut ante præsens, possibile sibi sit in ipso præsentem quidquid libuerit efficere: verum ubi præsens, ipsum ordinante Deo, jam est, vel præterit, Deum nego hoc

in præsentem ad actum perducere posse quidquam A eorum quæ ad idem præsens non pertinuerint (57). Dum hoc dico divinæ potestati non derogo, verum ordinatissimam demonstro : confusione enim simile foret, quasi chaos rite videretur, si cum ordinatione sua quid esset vel non esset, contrarium statum inducere posset; nec igitur quod fit non fieri possit, nec quod est factum non esse factum. Unde juxta Hieronymum (58) : *Cum omnia possit Deus, non potest virginem suscitare post lapsum : potest quidem liberare a culpa, sed non potest facere quin fuerit corrupta.* Quare? quia, ut dictum est, quod factum est non potest non fieri.

Dei tamen de potentia timide disputandum puto, nec quid ipse valeat penes se, verum quid de eo senserimus asserendum. Nam cujusmodi sit apud se B propter quod fide capitur, quasi in caligine opinamur : quid enim a sensu nostro remotius, quam corpus Christi integrum in cælo perseverare, et tamen quotidie non particulatim, at integerrimum super multa altaria, a fidelibus in terra sumi? Quid hac re humano sensui incredibilius? attamen fidei nihil est verius.

Sicut scientia Dei et voluntas, ita etiam potentia,

(57) Aug., l. xxvi, contra Faust., c. 5.

(58) In ep. ad Eustoch. De servanda virg. Aliter legitur in excusis. Consule notas.

nec initium habet et sine caret : quare quidquid potest semper utique potest; sicut enim antequam res existat, habet potentiam ut eam ad esse perducatur; ita postquam exstiterit, eandem potentiam retinet ut rem eandem ad esse perduxerit. Sicut enim antequam contigerit quid, possibile est ei impedire eventum; ita postquam evenerit, nihilominus possibilis habet ante impedisse ne fuerit.

Sed dices : *Postquam res evenit, non potest facere quin evenerit.* Respondeo : potentiam nunquam habuit voluntatem suam cassare, aut provisa inexplata relinquere : hanc potentiam nunquam habet, et hac alia nunquam caret, ut voluntate æterna et scientia interminata, non hoc quod fit simul, verum aliud solum velit, provideat, agat. Sic quoque nunquam ei possibile est quod semel contingit, postea efficere ut id factum non sit; semper autem potentiam habet quod quovis tempore fit, vel factum jam est, id antequam fiat, impedire ne eveniat. Sic quod factum est non fieri potest, vel non potest. Divinæ providentiæ divina voluntas, quomodo, ut supra assertum est, causa est, si neutram neutra existendo antecedit? Sicut vita in corpore effectus est animæ, non præsentis ab efficiente.

LIBER SECUNDUS.

62 CAPUT PRIMUM.

Quare, et qualiter Deus mundum creaverit.

(59) Deus ergo quando voluit mundum condidit, potens et hunc prius condidisse, et huic alios quotquot cogitaveris adjecisse. Nam summæ facultatis artifex unde prius vocationi astringeretur, aut si unum mundum ex nihilo creare potuit, unde factura multorum arceretur? Unus ergo unum, bonus bonum, æternus sempiternum componere maluit, quanto antiquior, tanto et immensior, eo et melior, in nullo egens mundo : ante quem sicut nusquam erat, ita beatus, ut beatior esse non posset, existebat. Liqueat itaque Deum, non ut sibi bene esset, sed ut bono suo alii participarent, operatum fuisse, secundum Moysen, sex diebus quidquid cæli ambitu D continetur, secundum alteram Scripturam : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul (Eccli. xviii, 1).* Mora tamen temporali opus erat, ut terra inanis et vacua, vaporali aquarum raritate obducta, ut appareret arida, detegeretur, et virore vestita animalibus ornaretur. Nec jure de limo perhiberetur factus homo, nisi limus præcesserit unde homo prodierit. Prius ergo informem creaverat terram sub aquis, quam detectam; postmodum multiplicibus

C depinxit formis (60). Omnia ergo simul condidit, quia post quietem nil dissimile aut de nova materia adjecit. Nam quæ diversarum specierum permissione generantur, ut mulus; vel quæ de corruptione erumpunt, ut vermium quoddam genus; vel quæ naturæ repugnantia de occultis Dei ideo prod-eunt, ut mirabilem Deum rememorent, quales sunt enormes partus, succedunt quidem quantum ad formam, inter prima tamen opera fuerunt quantum ad materiam. Vetus igitur materia recente induitur forma, cum quid de insolito in mundum nascitur. Verum naturalia se primis operibus profitentur cognata, inde substantiæ originem, inde sortita qualitatem. Omnia igitur corpora ex prima materia; animæ vero omnes primis illis similes. *Quiavit itaque Deus die septima (Gen. ii, 4) : non ab opere, quia Pater usque modo operatur (Joan. v, 17), sed ab operum novitate : quæ enim prius condidit, et ante fecit, aut materia præjacente, aut similitudinis expressione : vel certe omnia simul creavit, quia informem corporum materiam, et (61) Adæ animam, omnemque in cælo angelicam naturam in creatione conjunxit : quæ ideo omnia dicuntur, quia quæcunque ea prosequuntur (de substantiis loquor), inde*

(59) Magister ii, dist. 12.

(60) Mag. l. ii, dist. 2, § 7.

(61) Aug., vii De Genes. ad litt. c. 24 et seq. Magister hic.

contrahunt **63** aut originem, aut similitudinem : **A** omnia corpora originem, omnes animæ similitudinem ; originem ab informi materia, similitudinem a prima anima.

CAPUT II.

Terra hominum, cælum spirituum est habitatio.

(62) Terram igitur hominibus, cælum verò spiritibus, demum et hominibus habitationem instituit. Angelum mox cum cælo, et in cælo condidit, quia *In principio creavit Deus cælum ; et : Angelus principium est viarum.* Quæ Deus simul fecit, homo dicere non potuit ; unde Moyses post aliqua separatim adjunxit, qualiter inter aquas cælum firmavit, unde et firmamentum dici promeruit.

Sed si cælum volubile est, nūm cum ipso circum- **B** eunt habitatores ? Quod philosophorum potius est quam Christianorum. Quomodo autem inerunt volubili nisi simul voluti ? non plane liquet. Stat ergo firmamentum (63), non tamen stantibus stelliis, ut sit habitatio idonea sanctis. Quod fieri posse non negat ratio ; vel certe si cælum moveri verius est, aliud stabile ulterius inquiratur, quo Dominus ascendens juxta Apostolum super omnes cælos, migraverit ad se omnes sanctos tracturus (*Ephes. iv, 10*) ; nam *ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth. xxiv, 28*). Dicente Domino : *Si quis mihi ministrat me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan. xii, 26*).

(64) Nam secundum Bedam cælum, quod in princi- **C** pio fiebat, mox supernis civibus repletum, ab omni volubili statim separatum est.

Hanc autem patriam spirituam, spiritualemne decet esse an corporealem ? Spiritualis autem natura ad quid corporeo egeat loco ; aut corpora eorum qui sunt sancti quomodo habitent in regione spiritali ? nec enim divisam patitur ratio mansionem angelis futuram et sanctis : nam sanctos, ruinam suppleturos angelicam, ab angelis dissociari minime decet ; ipsos enim nemo inglorios rite negaret, si in quo Salvator esset cum sanctis penetrabile, angelos non includeret. Verum cælum esse spiritum quis dicere ? quis tantam novitatem, imo errorem inducere audeat ? Nemo equidem nescit angelos tam bonos quam malos similiter et animas post **D** Deum, spirituum nomine nuncupandos, præter hos autem nec meminit usus nec Scriptura, tali quidquam reverentia honorandum. Restat ergo cælum esse corpus, nam accidens æstimare deliranti relinquatur. Quod si glorificata caro gloriosa animæ est mansio ? non querantur spiritus aula cælesti contenti, cum artifex Deus admiranda depingens varietate conspicuam fabricavit, aut si videri non contingit, credi tamen fas non est tantos inhabitatores, habitaculo declarari minus apto. Si ergo cælum tali ratione fatemur corporeum, econtra

(62) Mag., l. ii. dist. 2, § 6.

(63) Legatur August., ii De Gen. ad litt. c. 10.

(64) Initio Hexameron.

infernum æquali ratione corporealem non diffiteamur locum ; alioquin tormenta caloris quomodo contineret et frigoris ? Carcerem ergo intelligimus deorsum quomodo regiam sursum ; unde in Symbolo apostolorum sic habetur : *Descendit ad inferna, ascendit in cælos.*

CAPUT III.

Quidam angelorum aliis præceliunt.

(65) Angeli omnes boni conditi sunt et sapientes : alii tamen aliis in utroque præstantiores. Unde quos dignitate creationis præter cæteros nobilitaverat, officii majestate reverendos, minoribus præfecit, hominibus promovendis, in legionibus suis duci suo deservituros, usquequo sancti angelis æquandi de castris in palatium, de exilio in regnum, mirandi venustate provehantur : jam tunc, juxta Scripturas, prælationis cessabit omnis potestas (*I Cor. xv, 24*). Et quia hominibus consummatis prælatio evacuatur, patet quod causa consummationis instituta est infirmis. Unde Apostolus de angelis : *Nonne, ait, omnes sunt administratorii* **64** *spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis* (*Hebr. ii, 14*).

CAPUT IV.

Angelis major quam hominibus data est libertas.

(66) Angelis sicut hominibus arbitrii indulta est libertas ; homini quidem valde potens ; angelo autem longe potentior ; libertas autem arbitrii ut sit, opus est discretionem, voluntate, potestate. Discretionem, ut quid bonum, quidve sit malum calleas, inter bona autem quid potius, inter mala vero quid deterius tuo modo distinguas. Voluntate, ut alterutri discretorum prohibitu animum admittas. Potestate, ut quæ elegeris, si libeat, sine impedimento percipias. Unde et liberum de voluntate judicium dicunt : judicium quippe quo singula pensantur, tum demum de voluntate est liberum, cum quod voluntas amplectitur, nulla ab actu difficultate tardatur. Liberum ergo arbitrium nec est sine discretionem, nec cum discretionem sine voluntate, nec cum utraque sine efficiendi facultate : tanto absolutius, quanto absolutiora tria hæc invenerit. Quo carent pueri, carent sicut bruta insensati. Et non est homo qui non alicubi careat eo, nunc deficiens arbitrii excussione, nunc discussæ rei appetitu, aliquando rei appetitæ obtentu.

Et cunctis quidem natura adest ; naturæ autem exercitium nonnullis deest. Primus homo hac vi floruit, dijudicans singula vere, pronus velle bona, et quæ voluerit nullo obnitente relinquens infecta. Talis homo est ex creationis natura, ita tamen ut nihil queat absque cooperante gratia. Sed qui in his nascendo floruit, prævaricando male defloruit, ut flebili alteratus vicissitudine, arbitrii sentiret

(65) Mag., l. ii. dist. 9.

(66) Mag., ii, d. 5, 7 et 25.

partes in contrarium immutatas. In iudicio præceps, illicita affectans, piger et invalidus ad utilia, impetuosus ad inhonesta; liberum ergo arbitrium illiberabiliter est depressum, non tamen extinctum. Nam quemadmodum scintilla multo cinere pressa, quibusdam fomentis excitata, similis elutanti, erumpit demum in flammam; ita mens nostra onere corruptæ carnis gravatur quidem: attamen intenta sibi, nihil virium sibi restitisse residuum, in investigatione rerum demonstrat. Verum eam divina juvatur opitulatione, licet difficulter, operatur tamen potenter. Nam pœnæ peccati debetur, ut qui facile bonis studiis hæsisse poterat, quia sponte recessit, cum molestia redeat, cum labore bene agat, miserante tamen Deo, multa magnaque ad unguem perducatur. Vigor igitur naturæ per hominem depravatur, per Deum emendatur, maximeque tempore gratiæ, expectans consummari in resurrectione, ubi corpus mirifice emendatum animam non aggravabit.

Quippe terrena inhabitatio facta cœlestis: non jam oneri, sed erit animæ honori; adeo ut humana tunc natura angelicæ parificetur excellentiæ. Homo igitur primus ut in terra bonus est conditus, in cœlo tandem consummandus. Magnus igitur homo in terra satus, major angelus in cœlo creatus. Magnus quidem homo, sed terrestris, utpote terrenis indigens alimentis; major autem angelus, quia totus spiritualis, ac per hoc liber ab exteriorum adminiculis. Unde homo errans redimendo meruit revocari. Angelus non meruit: siquidem et nemo reus suavitatis, et ipse longe robustior existit; habuit nimirum in natura posse delinquere: qui enim postmodum deliquit, constat quia et ante, ex quo scilicet creatus est, delinquendi potentiam obtinuit, quam bonam esse compertum est, et in Deo qui eam indidit, et in angelo qui perseveravit. Qui enim potuit transgredi, nec voluit, confirmari promeruit. Præmio quippe non satis dignus diceretur, si quia prævaricari nequiret, culpa cessaret. Reverentia utique propter dignitatem sui honorandus, mercede autem aut parva aut potius nulla pro bono suo donandus. Bonum igitur fuit quod delinquere potuit, malum **65** autem quod deliquit: habuit enim quod deliquit ex se, quod potuit ex Conditoribus: ipse igitur sibi causa existit mali, Conditor autem boni. Unde ergo miraris, si quod potuit Spiritus ille fecit. Potuit malum, fecit malum. Quod malum? Auctori ingratus excellenti de natura intumuit, intantum ut Domino æquari voluerit. Bonus ipse propter bonum naturæ sponte se extulit: jam non bonus; quia per elationem est malus, qui ante erat bonus (67). Et ita gratiam quæ utrique proposita imminebat,

A ipse securus est aspernatus, alter gratanter amplexus. Alter divinum contemnens auxilium merito cecidit, alter eo veneranter arrepto in veritate stetit: sine quo uterque corruisset, cum quo uterque perstitisse posset. Qui autem perstitit, quia exemplum recusavit aversi, auctori suo obnoxius meruit converti, et propter (68) ruinam alterius ipse est in veritate confirmatus.

CAPUT V.

Bonos confirmavit visio Dei, qua caruerunt mali.

(69) Quæ est autem hæc confirmatio, quæ vero conversio? An angelum Deus faciendo beavit sui cognitione? videtur quidem quia de diabolo dicitur: *In veritate non stetit* (Joan. viii, 44). Quæ? in qua fuit, sed non perduravit. Veritas autem hoc loco maxime intelligenda videtur cognitio veritatis illius, quæ de se dixit: *Ego sum via, veritas et vita* (Joan. xiv, 6). Nam, sicut hæc pars mundi inferior credentibus cognoscitur deputata, ita illa superior quam vocant cœlum, videntibus potius videtur ascribenda.

Duo sunt quæ maxime aciem mentis retundunt, testei corporis moles, unde dicitur: *Corpus aggravat animam* (Sap. ix, 15). Et iniquitas, juxta illud: *Fregit ad numerum dentes meos* (Thren. iii, 16). Quippe juxta numerum culparum imminuit Deus vires intelligentiæ. Spiritus ergo rationalis, et ab onere carnis liber, et a sorde sceleris, utpote bene conditus, et ad intuendum Conditorem destinatus, ut quid, ex quo existit, cernere Deum non debuit? Aut si **C** mox novit, nonne (70) et inferiora novisse oportuit, ut juxta aliquem auctorem, eum qui Creatorem noscat in creaturis nil lateat.

Quod si est, qui Deum vidit et casum præviderit, damnationem autem sui prænosse qui potuit, nisi aut cum stultitia sine dolore, aut sine stultitia cum mœrore? Ergo ex quo fuit et Deum vidit, aut stultus aut miser existit. Sed quomodo stultus intuendo Deum, aut cur miserante meritum? (71) Notitia fortasse Creatoris non patitur secum ignorantiam de creatis? Sed non ideo de cunctis certum facit (72). Nam Spiritus Trinitatis inspectores, dies ille iudicii latet, sicut et Christus cœlos etiam conscendens quosdam eorum latuit quærentes: *Quis est iste rex gloriæ?* (Psal. viii, 10.) En egregium totius creaturæ Christum, aliqui nondum comprehendebant angelorum (73): potuit ergo diabolus, dum adhuc erat angelus, et ruinam sui non prænosse, et nihilominus Deum nosse.

Sed si novit, cum nosse Deum sit vita æterna, alterutrum esse oportet, aut ut quam acceperat vitam æternam peccando amiserit (sed quomodo tunc æternam ac non potius horariam vitam accepit, nisi forte quia quam meruit horariam obediendo

(67) Mag., l. ii, d. 5, § 4, 5 et seq.

(68) Isid., l. i Sent., c. 12, sent. 12.

(69) Magister, l. ii, d. 4.

(70) Greg., l. ii. Dialog., c. 33

(71) Dionys., l. vii cœlest. Hierarch. Mag., l. ii,

dist. 11, § 5.

(72) Hieronym. in c. 3 ad romanos.

(73) Aug., xi de Genes. ad litt. c. 17 et seqq. De corrept. et gr. cap. 10, post med. Anselm., De casu diab., cap. 2.

retineret æternam; et quia licet sibi transeat, alteri A perdurat. Quod si, testante lectione Evangelii, vita æterna est visio Dei (*Joan.* xvii, 3), qui vitam æternam perdidit, visionem Dei non retinuit: *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8), aut si admittendo culpam vitam minime amisit æternam, quid nocuit illi casus qui non destitit esse beatus? nullatenus enim congruit quemquam Deum videre, simulque miserum ex impietate esse. Unde dicitur: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isai.* xxvi, 10); nam necesse est gloriam Dei videntem, simul gloriosum fieri per hanc visionem. Deus enim adeo est gloriosus, ut eum intuens nequeat esse inglorius: unde Dominus Jesus, dum custodiebat vias duras ex passione, tamen ex visione nihilominus fruebatur beatitudine. B Verum si visio Dei **66** est vita æterna, vita autem æterna nihil aliud quam beatitudo est; harum autem utraque summi boni indeficiens perfructio est, profecto Deum nunquam inspexerunt dæmones, quos etiam miseros et miseriore constat esse futuros. Nam ut reliquas taceam pœnas, satis superque iratorquentur et invidia. Nam quos apud inferna (74) simul cum impiis calore credimus simul et frigore, juxta illud: *Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* viii, 12); fletus de calore, stridor de frigore, peracto judicio, mox licet incorporeos, corporeis tamen pœnis plectendos (75): inde jubemur conjicere diversis jam aeris qualitatibus graviter cruciandos, reservari longe gravius postmodum cruciandos: et tanto gravius quanto ab aere distat infernus. Hoc quippe aere quasi ergastulo religantur tandem (76) inferis tradendi, inibi quasi damnatorum loco tormenta reatu condigna, longam licet post dilationem excepturi (77). Quos ergo liquet captivos, liquet et miseros, ac per hoc contuendo Deo imparatos. Unde apostolica dicit auctoritas: *Dæmones credunt et contremiscunt* (*Jac.* ii, 19) (78). Credere enim longe est a visione, atque ideo fidem dæmonum fidei hominum otiosæ comparavit, dicens: *Tu credis quoniam unus est Deus; bene facis* (*ibid.*). Quasi diceret: Fidem tuam, o homo, non improbo; sed quod otiosa est arguo; quia tali fide similis diabolo. Unde subditur: *Et dæmones credunt*. Si ergo ita se habent prædicta, procul dubio D fidem in creatione sua spiritus recipiunt, ut jam credentes mereantur et esse videntes. Nam nimis a vero dissonat eos in creatione non nosse Deum, videlicet fide, quos dubium non est etiam dæmones factos credidisse. Si ergo conditi crediderunt, credentes, ut dictum est, visionem Dei debuerunt promereri. Nam qui vel semel gloriam Dei intuendo

gustaverit, videtur ab appetitu malo, gustu ipso, in postmodum solidari [*al.* subtrahi].

(79) Ergo si in fide sunt conditi, merito persistentiæ mutaverunt fidem visione. Quia vero, elatis cæteris, factori suo subjici maluerunt, beata in subjectione solidari meruerunt. Atque ita et de fide ad videndum Deum sunt conversi, et in videndo cum confirmati. Quod si a natura viderunt, in casu aliorum ipsis Domino junctius astrictis, nequando in tale forsitan incommodum irruant, vinculo eharitatis auctori suo, arctius inhæsuri convertuntur, conversionisque merito, ne quid simile amplius vereantur, in bonitate confirmantur.

(80) Potest tamen acutius dici, ita spiritus a Deo factos, ut mox et semper boni esse queant, nisi aliunde corruptionem trahant; unde ab ipso ortu apparuerunt alter nequissimus aut saltem malus, diabolus scilicet et anima nostra; alter optimus aut saltem bonus, angelus itemque et anima, sed prima: ut illi non prius (81) sortiti sunt esse, quam male esse; esse ex auctore, male aliunde; alter ex proprio, alter ex habitaculo. Isti quam cito susceperunt existentiam, nacti sunt et pretiosam; alter adhuc consummandus, alter mox consummatus. Ergo in principio *tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* i, 2), in diabolo; et lux facta est in angelo.

CAPUT VI.

Bonus angelus, licet possit, non peccat.

(82) Refert Augustinus nec angelum post conversionem sive consummationem, nec hominem post resurrectionem, labe peccati posse contaminari: ut quemadmodum posse mori, soli indictum est in factura homini, in regeneratione tamen immortalitate mutandum; sic posse peccare, quod utique noscitur naturale, alteri jam constet sublatum, alteri adhuc exspectetur tollendum. Hieronymus dicit (83): *Solus Deus est in quo peccatum non cadit; cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem possunt flecti*; quod est, peccare Deum non posse, cætera quæ liberi arbitrii sunt posse. Nam quæ carent libero arbitrio, necesse est careant et peccato. Aut ergo **67** Hieronymo contrarius erit Augustinus, aut ideo cælestes peccare non posse astruxit, quia ipsos nolle peccare constat. Et quoniam longe longaque a peccandi distant voluntate, reputatur penes eos peccatum quasi impossibile. Loquentes enim communiter in morem duximus, ut quod nullatenus volumus, id non posse dicamus. Hunc usum in divina etiam pagina (84) non semel offendes. Liqueat itaque quia ante casum a voluntate prava naturaliter remoti sunt, post casum longe remotiores gratia solidationis effecti sunt.

(74) Aug., l. xiii et xxi, De civit., l. De natur. boni cont. Man., c. 33.

(75) Mag., l. ii, d. 6, § 5 et 6; et iv, d. 44, § 6.

(76) Aug., Enchirid. c. 28; iii De gen. ad litt., c. 10; viii De civit., c. 22, etc.

(77) Hieron., ad ca. 6 Ep. ad Ephes.

(78) Cassian., coll. viii, c. 12, etc.

(79) Mag., l. ii, dist. 5.

(80) Mag., l. ii, d. 3, § 4 et seqq.

(81) Consule notas.

(82) Mag., l. ii, d. 5, § 2, impeccabilitatem angelorum docet; Aug., l. xi De Gen., c. 7 et 13; l. xii, c. 9, De corrept. et grat., c. 10; Enchirid., c. 57 et 105; l. xi, De civit., c. 11 et 13, etc.

(83) Hieronym. Lucæ xv in tomo I, epist. 21, ad Damas. PP., in fine tract. De filio prodig.

(84) Marci vi, et x, 45; Gen. xxxiv, 4, etc. Vide Nazianz., orat. De theol.

Sic tamen solidati, natura adhuc retenta, peccare possunt, secundum illud: *Qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis reperit pravitatem* (*Job* iv, 18). Nam qui Deo serviunt angeli, stabiles non sunt, peccare quippe possunt, quod patet in his qui cadentes peccaverunt. Quod si angelos prævaricari posse fateamur, consecutive autem, ut decet, etiam posse dampnari non diffiteamur. Num dæmones converti, conversos autem posse salvari jure inficiemur? Nam si angeli non indecenter queant perire, scilicet ex suo, nunquam peritari? cur dæmones convenienter nequeant salvari, scilicet ex Deo, nunquam tamen salvandi? Quantum enim isti malo indurati, tantum illi bono sunt innixi.

Sed, si juxta Apostolum: *Omnis creatura Dei bona est* (*I Tim.* iv, 4), diabolus autem Dei creatura est juxta illud: *Aquilonem et mare tu creasti* (*Psal.* lxxxviii, 15), diabolum videlicet et malos homines, quomodo malus est? num bonus pariter et malus est; bonus quidem de creatione, malus autem de propria voluntate? Sed si vere est bonus, quomodo etiam malus? Diligas ergo bonum, quem odisti malum, sed super illum locum Evangelii: *Aut enim unum odio habebit et alterum diliget* (*Matth.* vi, 24). (85) Expositio dicit: *Nemo diligit diabolum*. Fortasse respondeas: *Illius substantiam omnino eximiam, voluntatem vero solam, cum actione pravam*. Illius autem substantia nihil aliud est quam ipse. Diabolus ergo omnino est bonus, ac per hoc Deo diligendus, et hominibus majestate sui venerandus. Mira res! Si qui semper male agit, et pejus cupit, malus non est. Justus ergo judex omnino bonum non damnet, imo nec ad horam cruciet: totam ergo suam effundat iram in id quod malum est, ipsius scilicet voluntatem et actionem. Sed quæ rationalis ira in irrationabilia? quali autem pœna lædi poterunt insensibilia?

Sed dices: *Puram quidem naturam puniri, sed propter impura adjuncta sibi*. Utique nunquam recte nocet mali vicinia, nisi cum sui lue inficit vicina. Si ergo diabolum, ut verius est, malum dicis, quomodo substantiam ejus aut naturam bonam asseris? num in ipso præter ipsum, altera substantia est, aut natura, quæ et jure bona, et Dei nuncupatur creatura? Sed quis consentiat penes ipsum duplicem esse substantiam, alteramque non Dei esse creaturam? Et quidem pro certo novi in ipso quiddam boni, ut scientiam remansisse: sed de substantia mihi sermo est. Diabolum ergo si primordia naturæ revolvam, non solum opus Dei bonum, sed et optimum invenias; si sequentia consideras, jam nec substantia ejus bona, nec Dei creatura. Sed proprium opus, ac per hoc diabolus. Quare? (86) qui a Deo optime erat creando formatus, a se pessime est peccando fœdatus. Quanquam Augustinus (87) velle videatur eum qui malus est, sem-

per in natura manere bonum, et duo contraria in eodem inveniri. Transeamus hoc pro cognito, quod si quam sonat Augustini littera sententiam præferri oporteat, quasi violenter exponendo distorquetur. quidquid adversari cernetur.

CAPUT VII.

Quare unus plasmatus, et quando anima infunditur.

(88) Protoplasto contra insolentiam consulitur, dum de limo formatur; dum autem formaliter nobilitatur, artificiosa figuli manus celebranda indicitur, addens operi quod deerat origini. Unus unum finxisse maluit, imprimens plasmati signaculum sui, ut sicut Deus rerum, ita homo hominum, amica imitatione unus omnium origo fieret. Sumpta enim de viro muliere tota pullulat successio: quippe dum de uno sumus omnes, et auctoritas unius principii commendatur, ut præceptori uni multi auditores obtemperemus, et per mutua cognationis vincula copulati, parentaliter nos amemus.

Viro jam formato anima inspiratur, ideo forsitan et discamus in capite quid rite teneatur in successione: nam quod ante consummationem palatii regnatura haud inducatur anima; intelligenti insinuatur, dum in lege dicitur, percussorem prægnantis, et de percussione abortientis, si abortivus plena forma excutitur (*Exod.* xxi, 22), daturum animam pro anima; si semiplenus, multandum pecunia. Quare? nisi quia non infunditur spiritus ante formatum corpus. Nam tum demum præsentia animæ prædicatur, cum natus jam sentit et movetur.

Sed quomodo liquidum semen in soliditatem quamdam coaguletur, in membrorum varietatem distingueretur, nisi dispensatione spiritus his argumentis absolveretur? Num paritura suam huic etiam machinationi commodat interim animam? sed si etiam parvulo personaliter jungitur, nonne duo homines eadem communi anima vegetantur, ut parvulus homo sit antequam propriam animam receperit? Sin autem pariendo non unita inest, quid formationi prodest? quomodo vero anima una binis, imo etiam pluribus non modo membris, verum etiam corporibus simul insit integris, si forte, ut fit, simplici prægnans ex concubitu, non simpliciter conceperit? Liqueat ergo non solum a substantia, sed ab anima utriusque parentis seminarium vi generationis separatum, ut jam per se subsistat exanime, quod prius ipsam continebat in corpore: nam, sicut quod per genituram a parte defluit, et a patris corpore, et a corporis mente, ambiguitate pulsa, disjungitur; ita similitudinis exemplo persuasi, quod a matre eadem genitura emulget, eodem modo dissociatum asserimus, ne spiritus matris portionem etiam patris advena incolat.

Quod si herbarum universitas et arborum parva ab origine naturalem ad usque altitudinem exsur-

Enchiridii cap. 14.

(88) Mag., II, d. 16 et 47.

(85) Glossa ordinaria.

(86) Consule notas.

(87) Aug. plurib. in locis, sed nominatim, I.

git, et in sibi debitam diffusionis amplitudinem distenditur, suoque statui accommodam coloratur in distinctionem, integram sui nacta absolutionem, animæ tamen dedignata accire adminiculum, cur non eadem vis naturæ et formam materno conceptui, et modum, et ante vitam dispenset? Nam si anima statim effuso semini fomentum præstatura infunditur, aut personaliter unitur ei qui homo non est, aut adhuc altera manens persona, nullum præstat vegetationi beneficium, quomodo mens nondum nati nihil facit mortuæ prægnanti. Quare? quia licet contineatur in illa, tamen personaliter est distincta. Sic aer capit animum, sic cælum, sic denique infernus, non tamen ab animo vegetabiliter moventur, quia animo personaliter non uniuntur: unde videtur anima incrementis nihil profutura, si locata in semine altera manet. Aut igitur inanis conjunctio ejus videtur, si personalis non est; aut absurda si personalis est. Nam quod anima et homo deputetur unus, et ratio habet et usus. Quod vero animus cum non homine sit unus, nec ratio habet, et abusus est. Quoquo autem modo anima in hoc liquido sese receptet habitaculo, si quo casu ante sui integritatem receptaculi violenter extrudatur (quales sæpe! semiplenos miramur partus), quale corpus habebit in generali universorum concilio? (89) Nam corpus habere opus erit, utrum quod sit homo? nam aliud non decebit, sed homo quomodo tunc erit: qui in hoc seculo homo non fuit? (90) qualis autem homo erit, nisi cum cæteris resurrexerit? nam juxta Apostolum: *Omnes quidem resurgemus* (I Cor. xv, 51): resurgere autem qui poterit nisi prius morte ceciderit? quomodo vero morte decedit qui nunquam vixit? ea enim mortua dicuntur quæ aliquando vixerunt. Fatemur fide Dominum vivos et mortuos judicaturum, id est 69 quos ille ignis mundi peremptorius repererit, vel adhuc vivos, vel jam mortuos. Ergone homo iste novus, et inconsuetus judicabitur, qui nec inter cæteros vivus, nec invenietur mortuus? Quod autem resurrectio non sit nisi ubi mors præcesserit, et in libro Machabæorum Judas indicat, dum eos qui ceciderant, resurrecturos sperat (II Mach. xii, 44); nec Apostolus ignorat, dum crebro resurrectionem mortuorum memorat, post cætera subjungens: *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis* (Philip. iii, 11). Idem non solum in veteri sed et in novo sæpissime suadet Testamento.

Corpus sibi infusam originaliter maculans animam indubitata debetur morti, tanquam primordialis causa peccati. Nam primi propria pœna peccati, mors est; unde Deus primo ait homini: *In quacunq; die comederis, morte morieris* (Gen. ii, 17). Cuicumque ab eo originaliter traducitur culpa, traducitur et culpæ pœna, ut sicut anima sordem trahit de corpore, ita pro sorde mortem ferat in corpore. Ipsa quidem non moritur, sed in moriente patitur. Quod

(89) Magist., iv, dist. 44, § 7.

(90) Aug., Enchirid., c. 85, l. xx De civit. c. 12

A autem ubi originalis anteit prævaricatio, mortis sit subsequenda punitio, et Apostolus testatur: *Stimulus, inquit, peccati, mors* (I Cor. xv, 59). Peccatum quasi veneno inficit, mors quasi dolore venenata depungit. Ubicunque ergo venenum peccati infunditur, punctio mortis expectetur. Unde si anima seminali in corpore constituta, seminali ex corpore contaminatur, jure videri queat corporis sui morte crucianda, ut sicut dictum est, unde trahit culpam, trahat et pœnam. Ut autem ipsum moriatur, ut dictum est, prius vivere necesse est; omne autem quod vivit, aut sensibiliter aut insensibiliter vivit. Insensibiliter autem vivere non oportet, nisi quod radicitus soliditati suæ hæret, quomodo enim congruit insensibilitati, quod anima vivet rationali? B aliudne vitam sumeret, nisi ab anima quam continet? Licet quis ponat partes insensibili vita degere, ipsi tamen toti propter animam sentientem sensus solet addici: quod autem sensibile est, animal esse necesse est; origo igitur illa humanitatis sine dubio animal est, si ita vivit ut insensibilis non sit.

Sed male animal videtur, dum sentire non creditur: nam quis seminario sensum tribuat? aliud enim animal quam homo esse non poterit; ne animal quod homo non est, homo fiat, omnisque homo ante sit animal quam homo. Sed nec adhuc homo est, quippe humanitas deest, unde et membra, et forma, et quantitas humanitati debita absunt. Si ergo nec sensibile est, quia nec homo; nec aliud animal est, nec insensibile, quia nec herba, nec arbor est; profecto liquet quia vitam non habet, ac per hoc mori non valet.

C Dicet fortasse aliquis: *Inductam fluidæ animam materiæ, ejus primo non temerari contagio, quia in se manens, personalem adhuc dedignatur unionem, Unde sordido quasi inclusa tugurio non sædatur, sædanda tandem consummato humanæ fabricæ palatio.* Si ergo antequam machina hæc ad summum educitur, violentiam ejectionis injuria, ut fit, oblata inferat inhabitanti; quæ rationalis et munda a Deo est creata nec postmodum cuiquam maculæ obnoxia (unicum quippe corporeæ contagionis evadens periculum) non modo tempore gratiæ, verum et ante, quomodo debeat inferno absque reatu, aut quomodo cælo absque Redemptoris adventu? ut quid egeat Redemptore, qui nulla victus teneatur captivitate?

Ad hæc itaque intendentes fateri monemur, tunc demum animam corpori tradendam, cum jam significatum digne debeat homo nuncupari, ut animationem primi parentis tota representet successio procreationis. Et quidem de anima quando ad corpus veniat, dictum est.

CAPUT VIII.

Non a traduce, sed ex Deo est anima.

(91) Nunc addendum puto unde veniat inquirere et 15.

(91) Mag. ii, d. 17.

utrum ex traduce, an solum ex Deo creante. 70 Et A quidem parentes carnis nostræ intelliguntur traduces, quia ex utroque parentum, dolabro generationis, origo nostri exterioris hominis recisa traducitur. Num similiter iidem parentes et interioris hominis nostri sunt traduces, ut sicut corpus ex corporibus, ita anima una descendat ex duabus? anima an ex duabus originem ducat, vestigo; quia alteram solummodo ortum præbere minime puto. Nam cur unam et non alteram traducem appellem? num genitum alteri gignentium lege parentelæ propinquiorem æstimem, ut longe magis sit obnoxius illi unde sortitur et mentem, quam unde et solam carnem. Nec dicere possum quod de uno corpus, de altero nascatur spiritus. Relatio enim evangelica de electis: *Qui non ex sanguinibus, inquit, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1, 13). Primam præmittit nativitatem, quæ est ex sanguinibus, secundum quam non electi, sed nascuntur dejecti. Secundam mox subdit, quæ est ex Deo, per quam renascuntur electi. Sed cur prima ex sanguinibus non ex sanguine pronuntiatur, nisi quia auctoritate (92) teste, utriusque sanguis carnali voluptate mutatus colorem, in unum coit procreandæ sobolis seminarium: unde videmus prolem ab utroque parentum indifferentem sortiri quantitatis, formæ, complexionis imitationem (93). Quare sicut absque dubio novimus carnem unam de duabus profluere, ita verisimilius puto utrumque animum, aut neutrum, procreare nasciturum. Unde duo animi præjacens esse videntur materia tertii, sicut antequam personaliter sit filius, materialiter [cognoscitur in parentibus. Omnis autem materia aut tota, aut diminuta in novam transfertur appellationem, ut massa ænea in statuam, ut truncus in trabem, ligna et lapides in domum (quanquam non illa domus forsitan fiant, potius ipsa fiat ex ipsis), anima vero cum parte careat, nihil ex se per partem creat. Duæ autem animæ quomodo totæ formando, fiant tertia, præsertim cum ipsa jam procreata adhuc præstant duæ quales et ante? Nam quod utraque tanquam pars conveniat, ut ex ambabus tertia consistat, quomodo fieri queat? juxta quorundam traditionem, sicut candela candulam sui sine detrimento accendit, ita anima animam illæsa parit, non tamen tradi D puto assertionem, sed opinionem.

Item, si animæ animam, duæ scilicet unam, ut dictum est, profundunt, profusio ista aut fiet inter generandum, aut post, aut ante. Nam moram hac in re fieri, incongruum forsitan videatur. Universorum Conditor mundo suo originales indidit causas, quibus confluentibus naturalium rerum progressio emicaret. Auctore Augustino (94) etiam quasdam penes se latentes reservavit causas, quibus non naturæ, sed potentiæ suæ effecta de improvviso eminent. Nunc autem non inquirimus potentia artificis quanta

(92) August., tract. 2 in Joan. ad hunc locum: *Qui non ex sang.*

(93) Beda, ibid.

sit, verum natura quid possit. Quæ ergo vis naturæ exigeret, ut aut post, aut ante generationem hominis illæ duæ animæ et non aliæ, tali tempore et non alio, tertiam ederent? credibilius forsitan reputetur, ut genitalium voluptuosa agitatione corporibus resolutis, animisque resolutione deliciosa captis, hinc præsens integritas, inde integritatis futuræ origo certa excudatur. Unde libidinis incentivo, et corpori corruptela, et spiritui concupiscentia, prout utrique competit suo de principio similiter infecto, propagetur. Et hoc est quod nullis vel paucis displiceat, quibus secundum materiam animæ ortus compliaceat. Integritas ergo integritatis initio aut mox immiscetur, contra quod jam tractatus processit, aut reservatur extra, donec scilicet consummato inducatur B tabernaculo. Neminem enim tam impudentem æstimo, qui vel animam incorporandam contradicat, vel alii quam quocum nata est, corpori addicat. Quod si extra reservatur, atque interea parens casu aliquo de medio tollatur (sicut præcul dubio fieri novimus, dum simul et parentes præmori, et semiplenos partus prænasci videmus) aut habitaculo diruto incorporanda perseverabit, et miraberis longe plures 71 animas esse quam homines, cum debeat potius anima rationalis et caro unus esse homo; aut aliorum soboli parentum copulabitur, ut eadem quatuor sit parentum: horum mente, illorum carne; imo ut unam sortiatur animam ex generatione, alteram aliunde. Quapropter nec in generatione, nec post, nec ante; longe autem minus, aut his duobus, aut omnibus tribus, anima descendere videtur ex traduce.

Quod tamen si est, fortasse cuiquam videatur animus animi filius tanquam ejus de substantia natus: nec quidquam coitus absentia officit, scienti quod virgo peperit (*Isa. vii, 13*), quod Deus sua de substantia unicum sibi Filium genuit. Si ergo animum animi, imo animorum constat esse genituram, qualiter unus erit duorum, nisi alterum quasi matrem, alterum reputemus quasi patrem? Nec immerito fortasse; nam quemadmodum ex ambobus parentibus genitalium hinc inde collato sædere per utriusque carnem caro nostra progreditur; ita quoque per utriusque Spiritum spiritus noster procreatur. Quapropter nostri non sine causa parentes. sicut corporeæ, ita et incorporeæ substantiæ in nobis videantur genitores. Sed Apostolus ad Hebræos ait: *Patres carnis nostræ habuimus eruditores, et verebamures. Num multo magis obtemperabimus Patri spirituum?* (*Hebr. xii, 9.*) Cur patres carnis nostræ distinguit nisi quia alterum spirituum nostrorum esse voluit? cur Deum Patrem dixit spirituum, nisi ne alterum cogitemus patrem animarum?

Carnem ergo suscipimus a parentibus; anima enim ex traduce non descendit, quæ naturalium concusui causarum obnoxia non est, potenti tamen Deo de-

(94) Lib. iv. De Genesi ad lit. e. 24; l. vi, c. 10, 17 et 18; xi De civit. c. 27, et insigniter l. viii, De Genesi, cap. 7.

fens quod existit. Quod enim anima filii animæ parentum mores persæpe representat, animam ex anima traduci non arguit, cum potius corpus a corpore derivatum, originis suæ servans naturam, suo modo sibi infusam afficiat animam. Et : *Judicia Dei abyssus multa* (Psal. xxxv, 7).

CAPUT IX.

Anima in corpore bona et munda creatur.

(95) Adhuc opportunam inquisitionem puto. Utrum intra corpus, an extra animæ sit intelligenda creatio. Quod si extra, ubi extra? an juxta corpus? quod autem ejus officium juxta corpus? an ut sibi habitaculum præparet antequam intret; quod aliis reservamus. Nam nos nihil tale præsumimus, quoniam auctor Job, a Deo sicut lac mulgemur, sicut caseus coagulatur, carne et pelle vestimur, ossibus et nervis compingimur. Quanquam hæc juxta decretum Dei opera sint naturæ, ut diximus, nullatenus animæ. Ad quid ergo corpori assistat? num ut tempus expectet sine difficultate quasi de prope introeat? at spiritualis agilitas mentis velocitatem mutuata, nihil locorum spatio retardatur. Num ergo spiritualis natura nondum onere carnis gravata, an [fort. ac] per hoc angelicæ æquanda, simul cum angelo locum habet in cælo? At tunc omnis anima de cælo descendit incorporanda, quod potius philosophorum est. Dominus enim Jesus de cælo solus descendit, non solus ascendit; quippe captivitate gloriosa laureatus: unde et dixit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis qui est in cælo* (Joan. iii, 13). Id est, nisi tanquam membrum capiti unitus illi qui descendit de cælo. Suum est de cælo descendere, nostrum est illuc ascendere. Suum propter nos, nostrum per illum. Utrique ergo quod suum est servemus, alterius jus non usurpemus.

Item, si anima extra corpus condita creditur, condita qualis eredetur? Et quidem omnia opera ejus intelligimus valde bona (Gen. 1, 31); rationalia autem, nisi sint terrea obductione depressa, non solum ratione utentia (quod et in corpore habent), sed in singulos discussione perpeticissima putamus; quod sensit qui dixit: *Corpus aggravat animam, et terrena inhabitatio* 72 *sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Hac ergo sublata aggravatione, si etiam cum ea multa cogitat, sine ea innumera penetranter investigat. Angelicam ergo nacta celsitudinem, quippe ad imaginem Dei facta et similitudinem, dum in suæ creationis manet dignitate: nullo, puto, obloquente, et optima reputabitur propter Dei similitudinem, et prudentissima propter Dei imaginem. Sancta Trinitas, post cætera inito consilio, ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26). Post cætera consilium iniit, quasi egregio intendens operi. Homini suam impressit similitudinem, quod non secundum carnem intelligendum est, sed mentem: nam penes ipsam membra quælibet, corporeumve quid, nefas est vel cogitare. Spiritus ergo creatus Creatori Spiritui assimilatur: hanc assimila-

(95) Mag., supra.

tionem unde corrumpat non habet, donec luteo habitaculo sordescat; corpori ergo infusus, et culpam contrahit, et oblivionem imbibit: sed hinc quid distant gentilium figmenta, de cratere Bacchi, lethæa potione animas ad oblivionem priorum inebriari? nihil ergo novi studio addiscimus, tantum præcognita recordamur.

Item, animæ suam ante incarnationem, aut Deum ignorant, sed tunc quomodo, cum expeditiores sunt quam in carne, ubi vel fide Deum comprehendunt? aut si cum noverunt, vel non diligunt; sed tunc auctori beneficiorum ingratae non in corpore sordescunt; imo et ante longe vilius sorduerunt; vel diligunt, sed tunc Deo suo obsecutæ nequaquam sunt otiosæ. Imo quanto novere quem diligunt, tanto ferventius in amore ejus inardescunt, ipsa notitia boni ingerente saporem. Cumulatori ergo flammescunt charitate adhuc incorporandæ, quam cum jam carnis sarcina tam ab amore quam a cognitione retardantur. Quippe minus diligunt, dum cur diligant minus norunt. Si ergo apud nostræ mortalitatis fragilitatem, charitas bene adulta et perfecta, quem semel arripit perire nunquam, aut vix sinit. *Hic enim est fons in quo alienus damnatus, aut potius iniquus* (96) *non communicat* (Prov. v). Quomodo animæ quæ, ut præfati sumus, longe præstantius charitate vigent nondum incarnatæ, post incarnationem non solum a tanta charitate decidunt, sed et pro casu pereunt. *Charitas enim nunquam excidit* (I Cor. xiii, 9), utique quia ut in futuro cumulatus habetur; nunc quoque radicata, nunquam aut vix eruitur. Nam irruant venti, irruant flumina, non movebitur domus illa, quæ super ipsam fuerit fundata (Matth. vii, 25): utique super ipsam innitens non movetur, verum si inde dilabatur. Quæ ergo per corpus pereunt, non ante corpus charitatem habuerunt: si enim habuissent, ut prædiximus, Deo suo obsecutæ nequaquam otiosæ fuissent. Sed Apostolum sequentes libere fatemur animas ante partum, nec boni aliquid egisse nec mali: loquens enim de Jacob et Esau ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, major serviet minori* (Rom. ix, 11). Intendit probare Apostolus reprobato Esau, Jacob sola gratia electum, nullo modo ex operibus: quippe nulla præcesserant, cum nondum nati fuissent, nec in utero, vel ante quidquam meruerant, cum nihil egissent boni vel mali. Nam si animæ amborum, saltem ante corpus, bene egissent: propter merita juste videretur judicare uni, injuste alteri; sin autem male, alteri misericordia, alteri de malo opere exhiberetur vindicta. Quod si opus bonum inter se divisissent et malum, ex operibus rite bona assumeretur, mala repelleretur. Nam si ordine converso fieret, utrumque inspecto altero vilesceret. Itaque liquet si vel in utero, vel ante aliquid meruerunt, posse videri non secundum electionem propositum Dei impletum;

(96) August., tract. 6. in Ep. Joan.

sed ex operibus, cum gemellos adhuc in utero habenti dictum est: *Major serviet minori* (Gen. xxv, 25) Id est filius tuus minor melior erit.

His itaque consideratis fortasse cuiquam videatur animam in corporibus fieri. Unde forsitan in Genesi inducitur Deus, formato homini spiraculum **73** vitæ, id est anima inspirasse. *Inspiravit*, quia spirando indidit (Gen. ii, 27); *spirando*, quia de sinu providentiæ, unde spiretur eduxit. Liqueat itaque cum Spiritus a spirante sit, nec tamen substantiæ ejus sit, quod animæ quoque prodeunt ab auctore, alteriusque sint naturæ. Nec dicitur spirasse prius, postmodum inspiratus. Quare? nisi quia animæ non ante creantur, ut post hospitio inducantur. Ergo inspiravit dum intus spiritum condidit.

Quod si in carne duntaxat animæ fiunt, et a sorde peccati sinceræ, et ab ignorantiae nubilo serenæ (ut potius competere videtur ad imaginem Dei factis), dum tales sunt, quid sibi opus est mediatore? nimirum ubi per culpam discordia nata est, ibi mediantis reconciliatione opus est. Sin autem ab ipsis subsistendi primordiis, propter corpus quod aggravat animam utroque modo molestantur; quomodo bene intelligentur conditæ? Opifice bono non bona in materia operaturo, aliud opus ab auctore, aliud trahit a materie, a materie quidquid fœditatis, ab auctore quidquid est decoris; pari modo Conditor naturam, corpus corruptelam animæ infundit. Dat Deus esse; corpus male esse. Quantum ad Deum pertinet, subtilis est anima et proba; quantum autem ad corpus obtusa est et prava: de Creatore enim suscipit unde merito conspicuæ dignitatis iudicetur, nisi sibi aliunde vituperium violenter incutiatur. Quod quidem solis tollitur primis, quoniam ipsæ non a corpore acceperunt, sed corpori ingesserunt corruptionem.

CAPUT X.

Homo a corpore et anima non est diversum, sed ipsa.

(97) Nunc videamus homo totus qualis est conditus, qualis per culpam factus: quid homini, quid conveniat menti. Ac primum quid homo sit intueamur. Est igitur homo, ut quibusdam placet, quiddam ex anima et humano compositum corpore, ab utroque et natura diversum, et numero tertium; quod nec unius partis additione augeatur, et alteri quantitati æquetur, cum potius soleat pars integritati corporum incrementa præbere: integritas autem ipsa infra amplitudinis suæ ambitum propriam partem continet; unde penes unumquemque sunt duo, alter homo, alter non homo inter se persimiles, quippe et humanam formam et humanitatis membra omnino communia habentes, more tamen nobis inusitato similes, quoniam in nullo cernere est dissimiles. Quomodo enim dissimilitudo cernatur, quando identitas obtutibus ubique obtenditur?

(97) V. Mag., III, Sent., d. 6, etc.

(98) Athan., in Symb.

(99) III, cap. 10.

qualiter igitur videntur duo, cum nec similes, nec sibi dissimiles videntibus cernantur? Sed fortasse quod latet exteriores, non latet oculos interiores. Quomodo tamen alter duorum non homo pronuntiat, cum non homo non videatur, qui et humanam plenam exprimit formam, et formæ animam per totam infusam certis indicat argumentis? homo ergo aut iste solus est, aut si et alter cum ipso est, recte videantur penes singulos homines bini, non alter spiritus, sed uterque corpus.

Si tamen tertium illum, quem de corporea diximus et incorporea constare substantia, verius est fateri hominem per se: verum quoque et illud erit, quod qui nunc est homo mortuus, non ante fuit vivus, sed pars duntaxat ejus. Sic parvulus in utero ante animam inanimatus, nunquam transit in hominem, sed in hominis partem.

Fides catholica habet (98), quod *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*: quare quemadmodum Deus et homo unus, sic anima et caro unus; Deus et homo unus, non quidem unum: nam substantia creatrix et creata semper sunt bina, licet personali modo unita. Sic anima et corpus unum esse non possunt, conjungi possunt. Deum et hominem in Christo personaliter convenire fides est. Compositum **74** quid efficere nefas est: nam Deus, Augustino in libro (99) contra Maximianum hæreticum teste, nullius pars esse potest, parti quippe a perfectione sui totius semper aliquid deest: Deo autem nihil deesse potest, non est ergo Christus res ex diversis substantiis composita, sed eodem Augustino ibidem teste, una geminæ substantiæ persona: sicut ergo Deus et homo, homo totus, anima et corpus unus est Christus, tribus substantiis non conficientibus quartam, sed convenientibus in unam personam; pari modo anima et caro unus est homo conventu quidem naturarum (100) non partium. Nugis itaque supersedentes, naturas in homine duas personaliter cohærere asseramus; duabus autem ex naturis hominem quasi tertium constare velut frivolum recusemus. Quatenus sit homo non ex duobus tertius, sed ex anima rationali et humana carne subsistens: humana tamen caro dum animatur dici solet homo, qui et de inanimato per animationem fit homo, et id permanet dum menti cohæret (101); inanimatione, futurus, tandem redeunte mortuus; et quidem non homo est.

CAPUT XI.

Ratio, ira et concupiscentia animam informant.

Nunc quid ad animam pertineat videamus, ut postmodum quid proprie sit hominis facilius perpendamus. Animam igitur tribus munitam viribus, ratione scilicet, ira et concupiscentia artifex Deus insignivit. Rationis est inter bona et prava discernere. Ira vero debet quæ ignava patuerint æstuante zelo

(100) Vide notas.

(101) *Melius sic*: In animatione tandem redeunte futurus mortuus, etc.

refutare. Nec absurde forsā dicatur unio concupiscentiæ digna appeti debere: cuius ad officium sine dulo pertinet, cura alendi corporis, ut, dum ratio investigandis insistit, concupiscentia carni necessaria querat. Nec impudenter addi puto quod ira corpori nocitura repellat. Nam certam esse reor, quod debeat ira spiritui damnosa recusare, et concupiscentia corpori salubria appetere. Quis tamen pertinaciter neget, utraque utrique officium propriæ administrationis debere? Concupiscentiam tamen juxta quod curando corpori est obnoxia, vocari aestimo sensualitatem, quia sensuum famulatum suo acciat ministerio. Sensualitas quippe, per se valitura corpori optare potest, obtinere autem nisi sensuum occursum non potest.

Sensus autem sunt quinque, visus, auditus, odoratus, gustus, tactus. Quibus deficientibus in quantis destituatur appetitus facile compertum est. Quod si sensibus, qui quidem corporei sunt, indubitanter juvatur et spiritus, cur non sensualitas, licet corporalis, menti quoque officiosa ministret? Hanc sensualitatem animæ insitam merito prædicamus: quippe dum per ipsam desiderii carnalibus fruitur, non immerito ipsis pro desiderii cruciatur. Nam quod ipsa non sit hominis, sed solius mentis, indicat expositio illius capituli: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (Gal. v, 17). (102) In qua habetur, quod *caro*, id est, *spiritus secundum carnalitatem agens, concupiscit adversus se agentem, secundum rationem. Spiritus quippe consulens sensualitatem, quæ quia carnem alit, alimoniam nomen accepit, devia affectat quæ ratione improbat: ex alieno illicita cupit; ex proprio tamen cupita spernit. Propria est ratio quam natura ingessit. Sensualitas aliena, quam gratia carnis contraxit.* Expositio talis in vanum fit, exterior si homo concupiscit. Ubi autem concupiscentia est, ibi et sensus esse verisimile est. Sensus enim, ut dixi, concupiscentiæ obsequuntur. Unde merito animam per corpus luituram, ratio asserit, quoquoversum per corpus inordinata sensuum promotione modum excedit. Præterea dum sensuum petulantia pervagatur, nonne qui concupierat, concupito is adepto perfruitur? Et quis est ille nisi idem qui sensu jamprehendit quod voto prius expetit? v. g. spiritus, ad quem solum pertinet desiderium, ipse desiderat corpori suo ⁷⁵ cibum; quo assecuto consequens est eundem delectari, nec aliam gustu saporum affici: qui enim saporum irritamentis hilarescit, sensum necesse est idem gustandi obtinuerit: cui enim epulum sapiat, nisi ei gustus vigeat? Spiritui ergo inest gustus, quem sequi oporteat, et ceteros sensus, quippe cum naturam habeant fieri [for. ferri] circa idem.

Sed licet sensus sint animæ, sensus tamen instrumenta corpori deputantur: unde aliud per instrumenta corpus, aliud anima per sensus excipere solet: corpus enim corporis cuilibet obijcitur collisioni, anima vero pro qualitate collisionis, aut oblectationi. (102) In Glossa ad hunc locum Apostoli.

A ctamento fruitur, aut anxietate torquetur: v. g. inter edendum, corporis est quati, animæ oblectari, in certamine corpus conteritur, animus anxietur. Per reliquos quoque sensus pertinere comperies aliud ad hominem, aliud ad spiritum.

Quod autem sensuum universitatem anima complectatur, Platonem non latuit; nempe id de visu solito sibi involucro insinuat sciscitanti, dum interior rem refert ignem per oculos effluere, et exteriori adjunctum, ad oppositum usque corpus transvolare; unde repercussum per eosdem oculos ad animam recurrere, et sic sensum efficere, qui visus appellatur. Quid hæc sibi volunt? nisi quia visio hæc interior ignis est; *interior*, quia in anima habitat; *ignis*, quia videndo dilucidat: visio, inquam, per oculos ad exteriora meat, non mutatione loci, sed efficacia videndi, et quæ cooperante jubare discit, mittenti dominæ renuntiat, ac per hoc illam sensu quæ ipsa est, informat. Tali igitur itu, talique reditu dum anima quæque corporalia dijudicat, sensum sibi inesse quæ visio dicitur, manifestat. In eodem tractatu idem Plato instrumenta adminiculari providis animæ motibus præmisit. Oculos autem inter instrumenta primos ordinavit. Qui sunt ii motus, quibus oculi reliquis cum instrumentis cooperantur? nisi quinque sensus. Utique ipsi quinque sunt sensus. Unde Plato, ut supra memini, qualiter visui coadjutores oculi sunt disseruit. Similem itaque famulatum præstare putavit instrumenta sensibus, reliqua reliquis. Quinque igitur sensus animæ appellat motus. Motus, quia suo quodam motu anima movetur, dum exteriora sensibus dijudicantur.

Hos tamen sensus corporeos asserimus, quos et animæ prius astruxeramus: sensus enim, Aristotele teste, circa corpus et in corpore sunt. Ergo sensus corporeos dicimus, non equidem quod informant corpus, verum quod animæ adesse nequeunt nisi per corpus: animali enim perempto peremptus est sensus. Quare? simul enim animal fit et sensus: per animam namque animal fit, per animal autem sensus in anima fit. Sensus ergo tantum sunt in corpore, quoniam extra corpus desunt animæ: sunt ergo circa corpus, quoniam jus sensuum evadit spiritus. Quamobrem merito hos animæ motus, sicut et sensualitatem eorundem motuum imperatricem duplici ex causa corporeos dixeris, quia solo in corpore et mansionem sortiuntur et operationem. Si ergo sensus animalis non sunt, quomodo est sensibile? animæ quoque si non sunt nisi in corpore, quomodo extra poterit sentire? utique anima gehennæ intrusa poenam quidem sentit: verum non molestia sensuum, imo qualitate culparum. Animalia autem quoties sensibilia dicuntur, contenti, quod est datur continenti.

CAPUT XII.

Animæ viribus ratio præsidet omnibus.

(103) Infra animam ergo omnes sensus sensualitati; sensualitas autem et ira deserviunt rationi, ratio (103) Mag., II, d. 24, § 6.

tione per omnia procurante, ne quid nimis, ne quid minus : nisi si inquietæ famulæ, dominæ suæ infidæ regnum sibi usurpant. Ubi autem ratio est, ibi quoque et non alibi, discretionem quoque inesse necesse est : qui autem discretionem boni et mali utitur, hic profecto alterutri consentiens, pœnam aut coronam meretur. Unde bruta animalia, **76** rationalia quoque, sed naturaliter insensata, quia in his quæ agunt iudicio carent mentis, penso quoque carebunt retributionis : Deus enim non iudicat opera nisi secundum corda, propter quod dicit : *Bonus homo de bono thesauro profert bonum; malus homo de malo thesauro profert malum (Matth. xii, 35)*. Cum igitur nullus thesaurus est in corde, nullum iudicium erit in opere. Nisi verius est Deum, quoniam et in his qui sensu carent iudicat originalia, multo **B** rectius actualia iudicare; leniter tamen, quia nihil fit contra rationis examen. At qui rem a re distinguit, is juxta opera iudicari severe debet. Quis autem est qui distinguit? Uter duorum? Exteriorne homo an interior? num et uterque? Et quidem animam vim habere constat discretivam, quam profecto mutuatur, dum Dei sui vultu signatur. Num homini quoque suam decet astruere rationem?

Sed quomodo aut una et eadem inerit tam diversis, aut duæ astruentur personaliter conjunctis? nam si ratio mentis ipsa est et hominis, restat ut perempto homine remaneat ipsa in mente : peremptionem ergo fundamenti, peremptio non sequitur fundati, si tamen eadem duorum est ratio, et eandem decet esse rationalitatem amborum : rationalitas quippe potentia est ratiocinandi; ratio autem vis et efficacia ejusdem rei : ergo et tenera infantia rationalitatem habet, quia potestatem tempore suo ratiocinandi jam obtinet; non tamen adhuc rationem habet, quia uti ratione nondum valet : quantus autem numero est cujusque actus vigor, tanta quoque esse solet ejusdem actus potestas : una enim est cuilibet pugnandi virtus, una etiam pugnandi potentia, una luctandi industria, sicut et una potentia; peritia disputantis una est; potentia ejusdem rei apud eundem, ipsa quoque una est. Ubi ergo sola est vis discernendi quæ ratio appellatur, ibi quoque sola erit potentia discernendi, quæ rationalitas nuncupatur : quocirca si hominis et suæ mentis una est **D** ratio, una quoque sit rationalitas.

Sed auctore Aristotele : *Oppositorum generum opposita sunt species, opposita et differentia* : opposita autem sunt genera, corpus, et spiritus : oppositæ et eorum species homo et anima; oppositæ ergo erunt eorum differentia; generum quidem divisivæ, specierum autem constitutivæ. Rationalitas ergo quæ animæ substantialis est, homini quoque substantialis non est; aut si est, altera est, ut penes singulos rationalitates sint duæ, quare et rationes duæ : binæ quoque iræ, binæ et concupiscentiæ, ut sicut anima sua, ita et homo ipse rationalis sit, et discernat, irascatur quoque, et cupiat. Frustra ergo hæres vires animæ per se, et non hominis solent nun-

cupari. Consequentur quoque hanc duplicitatem virium, singularum duplicitas scientiarum, duplicitas reatum, duplicitas in re qualibet cogitationum, ut, cum solus credar meditari, bini potius meditentur, bini binas eodem in facto contrahamus culpas, binas quoque adeptus sum grammaticas, cæterasve scientias.

Quod si hominem rationalem concesserim, vires autem illas habere negaverim, absurdum fortasse videatur illum rationalem dicere qui nequeat uti ratione, qui demum nihil male agat aut bene.

Verum rationi familiaris cito putaverim, et tres vires illas et earum comites, cogitationem scilicet et scientiam, virtutem et vitium animæ tantummodo ascribere. Unde Aristoteles in *Categoriis* suis postquam animali suas dederat qualitates, suas et animæ subjunxit, justitiam et injustitiam, iram et dementiam; harum tamen denominationes animali commodat, dum subdit : *Dicimur secundum eas iracundi et dementes*. Quamobrem quia omnia hujusmodi usum sequens animali assignat, dum non tantum animalis, sed animæ ea esse sentiat, hic nequaquam peccat. Ex quo enim animal et anima una est persona, mos est ascribere animali in sermone, quæ tantum solius sunt animæ in re. Unde cum de quolibet dicimus, grammaticus est, musicus est, castus est, quod est animi, damus **77** homini. Hunc morem loquendi et Dominus noster Jesus habuit : cum enim dicit : *Antequam Abraham fieret, ego sum (Joan. viii, 58)*; humanitas loquitur pro divinitate. Cum autem ad filios Zebedæi ait : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? (Matth. xx, 22)* humanitas loquitur pro sese.

Sed movere potest : Si vitia, ut diximus, animæ sunt universa, quid est quod auctores, alia spiritualia, alia autem dicunt carnalia; spiritualia, ut superbiam, invidiam; carnalia, ut fornicationem, ebrietatem? Sed carnalia dicuntur quia solum per carnem geruntur. In homicidio gladius vitalia penetrat, caput amputat, non tamen ipse, sed homo peccat. Gladius quidem agit, sed qui gladium movit ipse offendit. Sic caro potat, caro fornicatur, mens autem rea est quia ipsa delectatur : actus ergo carnis, culpa est mentis; nec immerito, carne quippe utitur pro instrumento.

Nec me movet, quod carnalium meminit Scriptura desideriorum. Carnalia quippe sunt (*I Petr. ii, 11*), quia a carne spiritui ingeruntur, quia per carnem administrantur. Et quia anima tum ex se, tum ex carne contaminatur, tam in se quam in carne torquenda speratur. Verum ad hominem, quia nec virtus pertinet, nec vitium, pertinere nec jucunditas debet, nec ærumna. Utramque tamen anima sibi etiam ex corpore in regeneratione exagrabat; quoniam homo tunc quam modo aut longe pulchrior et firmior, aut longe fœdior et corruptior; quippe medius-hic noster status, ibi mirum in modum aut ascendet aut descendet, animæ præter pro-

pria, cedet in majorem aut voluptatem, aut dolo-
rem.

CAPUT XIII.

Quando ratio cum comitibus veniat.

Mag. supr. Et quidem in anima rationem suo cum comitatu jam locavimus. Nunc autem quando dux ipsa ratio suis cum subditis ira et concupiscentia adveniat, scrutandum puto. Utique concupiscentiam ipso hominis ab ortu adesse evincit, quod mox quædam affectat refugitque contraria; iram autem ætalis accessus secum apportat. Has vero duas singulatim præcuntes; ratio tandem prosequitur: Sicut enim quique ex quo causis accidentibus præsto est irasci, ira veraciter præsens est, licet plerumque incommota lateat; ita ratio advenisse merito æstimabitur, cum quispiam, quamvis ad horam quiescat, in promptu tamen habet quoties opus fuerit, rerum in judicio exerceri.

Sed si ætas puerilis rationem nondum adeptæ est, anima talis quomodo interim ad imaginem Dei est? aut si rationem jam habet, cur ratione uti nondum valet? quomodo ratio sopita, ratio otiosa, ac per hoc indiscreta, Deo quemquam conformabit, præsertim cum sine intelligentia id efficere non possit? Sive ergo parvulis adsit ratio, sive desit, nihil ad imaginem Dei pertinebit. Certius autem ejus tunc astruemus adventum, cum multis experiendam signis suam nobis tradiderit præsentiam. Sed anima hæc rationalis ab irrationabili brutorum spiritu quid distat? nunquid ipse certis se argumentis in omnibus velociorem declarat? Certe si exteriora attendimus, illum longe superiorem invenimus (104-5). Sed si collatione justa utriusque natura inspicitur, illa præcellere vel minus perito videbitur: ipsa namque nata est ad intelligendum, nata est ad bene agendum. Et quantum in se est utrumque non solum bene, sed et perfecte facit: verum carnæ faci immersa, quasi præfocata usque ad tempus opprimitur et neutrum facit: vegetare fluida humanitatis primordia vix sufficiens, donec homine paulatim solidato, paulatim sibi aptato, illud ad quod nata est ex parte nobis intuendum exhibeat, completura suam post hominem naturam (si tamen in homine id meruerit) dum rerum auctorem plane videbit; et ob hoc in rerum natura cum se cernendam ingesserit (ante judicium enim et ipsam plura latere 78 incertum non est), nihil latebit.

CAPUT XIV.

Animæ brutorum cum ipsis intereunt.

Spiritus autem irrationalis cum animali subsistit, post animal subsistere desistit. Sed et si remaneret, idem permaneret, quoniam, sicut nec prius, nihil rationis obtineret. Affirmat fortasse quispiam a tramite devians auctoritatis, animas etiam brutorum superata necesse eorum, nihil debere defectui, nempe obnoxias perpetuitati. (Dicacitatis enim nec audientæ existimaverim, vitæ prius animalis asser-

(105) *Hinc illud poetæ:*

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

tas, non negare demum perituras.) Sed ubi erunt, ad quos usus remanebunt? male ne sibi erit in ævum, an bene? Sed cur alterutrum, cum absque ratione meruerint neutrum? quis earum cogitet statum? sensus corporeos jam non habent, irasci fortasse adhuc possunt, concupiscere non nequeunt.

Sed quod ob facinus tanto ac perpetuo addicantur tormento, utrumne gaudent an dolent? quod si est, unde est? num de expectatione futurorum, aut de susceptione præsentium, aut de recordatione præteritorum? Sed quæ in carne gesta recolere queant, digna interminatione aut exultationis aut mœroris? Occasione autem præsentium quomodo contrahant utrumlibet duorum, quod nec sensus qui jam deest administret; nec ratio, quæ nunquam adest, dijudicet; nec pro meriti debito, quod sine ratione nullum est, judex dispenset. De futuro quoque qualiter aut jucunditate exhilarentur, aut mœstilia consternentur? num novi aliquid semper expectant? sed novitatis tam continuæ quæ ratio? irrationabilibus autem hæc unde consideratio? num sopitis viribus jugi deduntur somnolentiæ? sed natura spirituum pervigil perseverat, nisi cum necessitas carnis somnum importat. Forsan sicut ex animato animali transformando in inanimatum proficit in pejus, ita anima prius irrationalis acta ab exitu rationalis deficit in melius, mutata ad imaginem Dei natura? Quod si est, quam non contaminavit culpa, restat beatificanda gloria. Et quoniam futura creditur resurrectio hominum, cur negetur et bestiarum? num quia ratione carent et merito? sed et homines plerique eis carent, et tamen resurgent. Quidquid autem ad hæc astute respondeatur, respuentes, auctorum dogma teneamus, et animas brutorum perire cum ipsis asseramus.

CAPUT XV.

Quid sit imaginatio, et qualis.

Supradictis imaginationem adjungamus. Est enim imaginatio: *Rerum sensibus subjiciendarum interior quædam et absentium imitatione signata repræsentatio*: quæ etiam in somnis viget et in brutis, dormienti et vigilantibus reducens memoriæ, tam quæ sunt, quam quæ non sunt, objectis animæ utrorumque simulacris. Cum ergo, ratione excepta, reliquis animæ viribus plerumque nobis irrationalia præesse nemo ambigat, plane mentiuntur illi, qui spiritus præsidere brutis nullos contendunt, nisi forte corpora ad tempus mutuantur jura spiritus. Sed si nec ipsi concessa sunt homini, quomodo congruant pecudi? Convenientius fortasse videatur, sicut non hominem, sed hominis mentem; ita nec pecus, sed pecoris præsidem tantis donari insignibus. Quod autem bruta animas habent, ibi invenitur, *Auferes spiritum eorum* (Psal. ciii, 29). Et post: *Emittes Spiritum tuum* (ibid.). Et alibi: *Neque enim est Spiritus in ore ipsorum* (Psal. cxxxiv, 17). Et quidem quod

suam hominis, quid vero suum sit mentis, jam præ- A diximus.

CAPUT XVI.

Quid sit homo creatione, et quot revocandi ab errore.

(106) Superest autem dicendum quid sit homo per naturam, quid vero **79** per culpam. Natus est ergo primus homo statui tam superior nostro, quam inferior futuro. Qui si suam servasset medietatem, nec sua cum successione nostram erat experturus miseriam, inhibito lethi accessu, peracta obedientia, mox erat æternam assecuturus gloriam (107). Nam, sicut ejus corruptio per omnes sine dubio est diffusa, ita ejusdem per obedientiam, si contigisset, omnes credibile est, et quidam imitatione digni autumant, obeditioni confirmandos, nascentibus tunc tantum illis qui modo præstant filii lucis (108). Nec enim alios nasci deceret, nec eosdem sive plures seu pauciores. Nam si Adam post culpam idem perstitit, de exilio ad patriam, Dei per misericordiam tandem reducendus, nonne sicut de obediante nascerentur obedientes, ita vicinius fidei est nascituros de transgressore transgressores, de redimendo redemptionem sperantes, de eodem scilicet eosdem?

Nec perdendorum certissimam nego nativitatem; tantum salvandos, et per justitiam divinam et per misericordiam conor astruere identitatem, quippe (109) nisi essent post culpam perditæ, minus circa se misericordiam Dei agnoscerent electi, nec numero plures, nec, ut dictum est, pauciores. Nam si pauciores, semiplene per Redemptorem ruina restauratur humana; si autem plures, opportuna videbitur culpa, per quam cœlestis excrevit curia. Maxime, quoniam totidem videntur de errore reducendi, quot ei non errassent creandi fuerant saluti: nec numero plures, nec convenit esse pauciores.

(110) Sed quoniam angelicæ multitudinis damna, hominum erant numerositate reparanda; et credere decet, et usus plurimum sic habet, cadentium copiam paritate compensandam, ut quantuscunque numerus est dæmonum, par speretur inter homines et bonorum. Ergone natura, nisi rueret angelica, non fieret humana? Nonne sine homine semper erat mundus? In vanum terra, mare frustra, aer et stellæ pro nihilo, luminaria ipsa de superfluo; nimirum uni-
D
versa hæc, auctoritate teste, non nisi nostris usibus deputantur. Verum quoniam terminatis tandem his usibus ad decorem mundi meliorata manebunt, ipsos quoque præter usus simili ratione fieri potuerunt, mundo absque homine utique minus perfecto, attamen suo ex ornatu etiam sic honesto. Quod si stante angelo fieret et homo aut ipse omnino periret, sed unde casus cum non esset diabolus; et quare fieret, si omnino periret?

Et quidem utrumque contingere potuit; sed minus et videtur illud, et convenit istud, aut superna Jerusalem cive longe plurimo secundaretur, quam fecundanda mox exspectetur. Quippe exercituum integritatem spiritualium, superaddita exaggeraret quantitas sua hominum. Civitas ergo illa, quoniam damna suæ diminutionis reparanda ex parte sperat, ex parte et gaudeat: sperat enim cives tot sibi futuros, quot angelos novit factos, non autem illum numerum sperat, quem habitura procul dubio erat, si angelus perstaret, et homo perstanti cohæreret. Sed Apostolus futuræ vitæ perfectionem, huic dat imperfectionem. *Ex parte enim, ait, cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (I Cor. XIII, 9).*

(111) Nec ergo futuro in sæculo aut restitutio erit, aut jucunditas imminuta: num tam diu numero sanctorum augmenta debentur, quoad diminutio angelorum redintegretur, et redintegrata de hominibus debitis incrementis accumulatur, ut et tota Sabaoth multitudo quanta creata est, hominibus subrogatis restauretur, et insuper illi homines non desint, quos defuisse minime forsitan oporteret, licet angelus non corruisset? Nam sine homine fabrica Dei fortasse inconsummata foret. Sed jam major copia sanctorum, quam quorum vices complebunt dæmonum: quod inconveniens est nullum, nisi quia contra usum. Sed nec fortasse contra usum omnino; nam Scriptura cui obloqui nefas est: *Statuit terminos 80 gentium juxta numerum angelorum Dei (Deut. XXXII, 8).*
C
(112) Quidam cui in Scripturis fides certa debetur, hunc locum elucidans, astruit tunc demum salvandarum multiplicationem gentium terminandam, cum numerum angelorum sanctorum, id est, qui perstiterunt, fida paritate expresserit.

Utique potuit fieri ut plures perstiterint, ceciderint autem pauciores. Sancti ergo pluribus pares pauciorum loca possunt parte sui explere; parte quæ superat numerum qui de angelis licet nulli cecidissent, et de hominibus in unum utrisque connumeratis consummandus erat. Sed hæc sententia bonis de hominibus, si angeli permansissent numerum requirebat minorem; quoniam vero erraverunt, majorem. Sed non est absurdum: id quippe casus poscit angelorum.

Me autem nunquam audisse recordor inter angelos numerosiore turba dæmonum, sicut inter homines, longe major noscitur turba reproborum. Quod tamen cui placuerit, aut sancti plures erunt quam angeli, si loco dæmonum pari sunt numero subrogandi; aut siderea mansio impari damno recuperat emendationem, si non nisi incolis parem recipit hominum multitudinem. Horum autem utrum-

(106) Magister, II, dist. 16 et 19.

(107) Greg., I. IV Moral., c. 28.

(108) Anselm., I Cur Deus, c. 18.

(109) Aug., ep. 157 ad Optat., ante med.

(110) Magister, Sent. lib. II, dist. 9, §. 7 et seqq.,

et dist. 1, § 9.

(111) Vide Aug., Enchir., c. 29; et XXII, De civit. c. 1. Anselm. I. Cur Deus homo, c. 18

(112) Greg., hom: 34, super Evang.

libet fuerit, quæ sine casu erat, de homine et angelo summa deest.

Quod si illa præfertur sententia quæ homines (de perditis nihil ago) tot constituit quot angelos, totidemque quot demones, procul dubio par erit numerus tam in angelis quam in demonibus, quod quidem nonnullis placet. Sed hæc paritatis sententia in paritate civium videtur incusanda : superiorum enim summa spirituum casu nullo diminuta, homine sibi aggregato crevisset quidem ; nunc autem paritate restaurato lapsu, jam dicta restauratur et summa ; sed quæ de homine erant non redeunt crementa. Quod fortasse non displicet dicenti utramque summam perfectioni obnoxiam, tam priorem plurimum quam posteriorem pauciorum.

Sed mirandum satis, nisi summa tanto sit perfectior, quanto civium reverentia multiplicior. Mirandum vero magis, nisi perfectissimus Deus perfectiorem quoque maluerit, maxime quoniam summa subiectione servata talis futura erat : nec enim ignoro Deum summam quantolibet majorem seu minorem creasse potentem. Sed hæc, ut videtur, placuit ; quæ timore sublato futura fuit, nisi forte quod numero est defuturum, merito est supplendum : nam potest esse ut multitudo sit paucior, par tamen merito, aut etiam major.

CAPUT XVII.

Angelus erravit, et homo, qui statim par resurgit angelo.

Nam si angeli non homines offendissent, cadentium stantes loca utique replerent. Et si ita placeret Deo, merito virtutum parti utrique prorogandi, si non numero, vel pretio totam æquiparent summam illam quæ de hominibus erat colligenda, et angelis illis qui erraverunt si minime erravissent. Sed et homines erraverunt. Verum de errore quotquot voluit Redemptor eripuit ; creptorum autem summam summe modo dictæ non solum æquavit, imo etiam prætulit, licet forte non paritate numeri, at transcensu meriti. Si enim sancti, angelis etiam confirmatis, sunt, ut aunt, in regeneratione parificandi ; angeli vero, ut ratio videtur, reliquis elatione fœdatis, quoniam exemplum malitiæ recensaverunt, tam meruerunt propter statum augeri, quam illum propter casum minui (hoc profecto caritari augmento isti, nisi deliquissent illi), dubium non est quin longe immensioris meriti sint homines futuri, quam angeli existissent, si nulli corruissent. Angeli quippe jam tanti, et homines in futuro, ut dictum est, sibi sperantur cœquales. Quare ? quia et homines sua culpa viam justitiæ deseruerunt, sed Dei gratia reduces, jam experti jacturam longe vivacius forsitan arripuerunt : nimirum nisi prævaricati essent, **¶** futuri feliciores, nunc autem nihilo facti deteriores. Transgressio ergo miseriam importavit, misericordia Dei sanctimoniam reparavit, aut, si ita credi oportet, auxit. Nam juxta Apostolum : *Virtus in infirmitate perficitur (II Cor. xii, 9)* Ergo quies bene agens meretur

(115) Et palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari. Aug. i De Genes.,

vitam ; at militia, dum triumphat, gloriam : nam militiae irruit, hinc suggestoris illecebra, inde tribulantis vesania. Sed utique fortitudine fulta oblectans concuti potest fragilitate mundana, subruere non potest Dei sublevante gratia. Nihil ergo damnationis est, licet titubet pro passione, dum dissentit ratione ; aut etiam si humana fragilitate tacta cadit, quid nocet dum deinceps cautior, imo et humilitate melior resurgit ? Nam *Spiritus omnia cooperatur in bonum (Rom. viii, 29)*. (115) Si ergo defuisset lucta, defuisset palma. Tolle stadium, tolletur et bravium ; agonista jam non est : cautela prior sua cum humilitate deperit, patientia recessit, et si quæ sunt cætera exercitio dependentia, quibus sine, si quietem agas, potes esse vir bonus, non potes esse miles bonus.

B Arripe hæc arma, jam utrumque es, melior ergo es.

Ista eo spectant, ut sicut homines servata fierent obedientia perfecti, ita modo post perditam, miseratione Dei fieri sperent perfectiores. Neque enim sinimur ambigere sit ne sancta Sion post excessum Adæ majoris excellentiæ, cum [enim (*al. etiam*)] bis ejus unum, imo summum, id est, caput totius corporis noverimus Salvatorem nostrum Jesum, secundum reginam angelorum, matrem ejusdem intemeratam Mariam virginem (114). Mater vero [sic] tanta fecunditate decorata, tantæque sobolis pretio redempta, nisi Redemptore eguisset, luminaribus his tanquam sole et luna irradiata non fuisset, atque ideo nisi peccato inficeretur, curari non egens, longe inferior existeret salute servata, quam nunc restituta.

C Nec solum civitas illa in se illustrius nitet, sed et cives illastriores obtinet. Namque semper virgo Maria, facta mater Salvatoris, ultra quam diceat, crevit. Nonne ergo et sancti facti fratres Christi similiter crescunt ? Utique crescunt, sed ut mater ipsa, ut fratres ipsi. Quomodo ut fratres ? utrum solo honore ? honor vero quid est nisi vanitas absque comite utilitate ? facti igitur videntur et merito meliores, et fratre Deo digniores ; nimirum fratrem se declarabat dum Patri de fratribus per Prophetam aiebat : *Narrabo nomen tuum fratribus meis (Psal. xxi, 23)*.

D Adhuc per Adæ noxam mihi crevisse videtur homo, dum hominis originem et angeli attendo. Ponamus enim utrumque servasse quod factus est : et si angelus quam modo, ut dictum est, invenitur minor, nec decet ut homo angelo sit major : quod utique patet modo, ad plus enim non nisi par est angelo, procul dubio angelo ut multum æquabitur homo, et minor apparebit quam modo. Sicut e converso, si humanus homini, miserante Deo, lapsus contulit augmentum, et angelus angelicum remunerante Deo crevisse æstimandus est per lapsum, ne si crescat homo et non angelus, emineat homo, si absque cremento par erat. Non tamen laudo culpam in angelo aut homine, licet per culpam accreverit

c. 6.

(114) Consule notas.

majestas utrique; culpam accuso, Deum prædico. Mirabilis Deus, dum mirifice ambos creat, mirabilior dum creatos sed imminutos mirum in modum emendat. Si enim quod geniti erant bonos in bono servasset, magnum utique erat. Nunc quia in bonum malitiam convertit, majus pro certo fecit. Licet enim Deo difficile nihil sit, possibilis tamen videtur quod non est ad esse, quoniam nihil obnititur adduci, quam quod male est, et per hoc obluctatur, emendari.

O misericordiam ineffabilem! auctorem deseruimus, ad proditorem deviavimus, nec tamen nostram irritatus per recordiam misericors exacerbatur: verum misericordior comprobatur, dum profugos non tantum reducit, verum morte sua redimit. O B judicem reverendum! angelus libertate abusus corruit. Alter de corruente pretium suscepit. 82 Quid est ergo, Satana, quod fecisti, collegio te tuo abrupisti, hominem tergiversando seduxisti; cui autem nocuisti? humana natura per te melior, angelica est major, cælum te perdidit, imo se indignum expulit, dignior te pro te successit: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 11). Veritas in angelo et in te, misericordia emicuit in homine.* Nam justitiæ est impœniteni tibi et tuis; imo, ut verius loquar, tecum miseris, pœnam; illi contemplatione Dei vias tuas respicienti conferre gloriam, ad misericordiam plane pertinet humana in natura fugitivos, non solum sibi conciliare; verum pietate insolita quasi post triumphum coronare: hæc omnia per te tibi cedunt in dolorem, auctori et auctis in honorem. Cui ergo nocuisti? tantum tibi.

Et quidem propter hæc ad auctoris præconium spectat, quod Jerusalem cœlestis decrevit, quia ipso operante ad summum recrevit, aut redintegratione numeri, aut supplemento meriti. Quod si civium numerus ad æqualitatem necessario est reversurus, nec plures possunt homines ascendere, quam dæmones cecidisse, procul dubio nisi illa civitas ex parte ruitura foret, ex toto homo non fieret; imo nec aliquid, quo non nisi homo indigeret, essetque perfectio, verum minor quam modo, cum Deus non solum casum rerum relevat, verum mire exaltat, ita suam liquido intimans et potentiam et misericordiam. Providus namque Deus, et damna spirituum prænovit, et reparationem meditatus, hominem, et homini quidquid opus erat condidit, quem condi, ut paulo ante jam diximus, fortasse non oportuisset, nisi curia numero suo cassa, hominum autem supplemento reficienda decrevisset. Sed curia hæc tandem numero restituta, quomodo dignitate quoque erat æquata? nimirum homo minor est angelo, utique in hoc sæculo, non etiam in futuro.

CAPUT XVIII.

Homo si non peccasset, mortis et pœnæ expers esset.

(115) Longius digressi revertamur, atque, ut cœ-

(115) Mag., II, d. 19 et 20.

(116) Aug. XIV, De civit., c. 26.

PATROL. CLXXXVI.

A peramus, primordia humanitatis revolvamus. Igitur homo primus nisi exorlitasset, pœnam cum sobole nullam, ut dixi, meruisset. Innocentia namque cur feriat, cum non sit causa feriendi quod est peccatum: sicut enim *stimulus peccati mors (I Cor. xv, 55)* infunditur, ita et pœna qua mors anticipatur; unde prævaricatione peracta promittitur mulieri in labore partus (*Gen. III, 16*), in actione servitus, viro autem, in sudore victus, ærumnosaque vita, donec revertatur in terram unde sumptus est (*ibid.*).

Homines ergo molestia nulla inquietaret, nisi fœdus beneficio creationis ictum auctori (116) impetus præproperi consilii rupisset, atque modo virginis maris mulier pareret sine dolore, virili semine suscepto absque ardore: nullum enim opus fieret cum iniquitate, nullum absque jucunditate: nam religio undique circumspecta ablegaret et tædium: vita enim quæ nihil erat nisi obedientia, lababat, si sibi sui vel pertæsum erat.

CAPUT XIX.

Qualis paradisos, et homo cum inde sit ejectus.

(117) Fastidium incolis tollebat paradisos voluptatis, fructuosus lignis opacatus, fonte immenso ut Ægyptus Nilo rigatus, ad Orientem, ut quidam dicunt, situs, ultra reliquum orbem in tantum elevatus, ut ab aquis diluvii perstaret omnino intactus: qui situ suo immensam nativæ planitiei amplitudinem omni defendens ab intemperie, pestiferas nostri aeris vices omnes transcendit, habens pro capacitate quantælibet numerositatis fructum ad esum, 83 fructum quoque ligni vitæ contra morbum, mortem et senium; cujus, Deo dante, vis tanta fertur, ut etiam post noxam, molestiam ab homine omnem propulsaret, si adhuc uti liceret. Unde noxium divina ultio depulit, ne de ligno vitæ sumeret, contraque meritum vi illata morti in æternum viveret.

Pulsus ergo est ut moriatur, et sententia comminantis impleatur secundum quod ait: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris (Gen. II, 17).* Dubium tamen non est, quin aut prohibito usu ligni aut ligno, sublata hac virtute, intus mori, extra autem vivere quiverit, nisi quia alium æquitati, alium prævaricationi locum utrique condignum justus judex providerat. Pulsus autem circa speluncam duplicem (ubi et sepultus reliquis cum patriarchis creditur) exsulasse videtur, ubi et creatus a quibusdam æstimatur; quoniam a Domino audivit, quod jugem post calamitatem moriendo reverteretur in terram unde est sumptus (*Gen. III, 19*), id est in illam unde est creatus. Nam quod extra paradisos sit psalmatus, certum facere videtur Scriptura, inducens Deum tulisse hominem, quem formaverat, in paradisos (*Gen. II, 8*).

Et ne de reditu præsumptio humana cogitaret, plurimo locus ille aut maris aut deserti tractu nostra

(117) Mag., II, d. 17 et 29.

putatur evasisse commercia. Et ne labor improbus A mediis (si tamen id fieri potest) superatis, quasi jam voti compos aditu arduo obnitens molliatur, flamma versatilis angelico ministerio in limine continuatur (*Gen. iii, 25*), inconsultum omne frustratura conamen. Sed quid opus igneo gladio ante paradisum collocato custodiri viam ligni vitæ, si nullus eo usque est accessus? Num res gesta solum spectat ad mysterium, videlicet quoniam non est reditus ad paradisum, id est quietem, nisi medium per gladium, id est anxietatem? Quod si medii interruptione spatii licet vasta forte et aspera, haudquaquam tamen insuperabili, nisus noster ab accessu loci illius disternatur; cur nullus flammeo gladio ab ingressu repulsus, gloriose rediit inglorius? Ideone quia suam regionem paradisus non-
B dum cuiquam nostri status innotuit?

Sed iterum quamobrem custoditur, si quidem pro custodia satis est, quod intercapedine dura semotus ignoratur? Aut si, ut plerique autumant, ad orientem est, tantum iter aggredi nemo est ausus? aut si quis proluxa intervalli asperitate territus, paradiso incognita temeritatem incepti reprehendit? Sed quamvis Deus intellectu, quo nihil sibi relinquit ignotum, neminem eo humano novit conatu propinquaturum, maluit tamen vel significationis gratia, vel ad inobedientiæ reatum mentibus humanis inculcandum, et paradisiacam amissionem vigili munire custodia, et munitam pro scriptis scribendo transferre.

CAPUT XX

Adæ bonum et malum æqualiter erat expositum.

(118) Sed redeamus in paradisum ad hominem nondum transgressorem. Mori ergo et non mori poterat, peccare, et peccati exsors permanere: nimirum fomite haudquam incitabatur ad culpam, nec a culpa vis quælibet detinebat, utrinque liber, neutra in parte difficultatem patiebatur; sufficiens sibi ad illicita, opitulatione Dei assistente sibi ad honesta (119). Sed transgressio, transgressioni pronum, auxilio Dei indignum effecit, ut malum cordi sedeat, bonum displiceat.

Sed mors futura erat, aut cum peccato si vitæ careret fructu, aut et sine peccato si abstineret ab esu. Nam, sicut jam noxius non mori poterat (120) D vitali cibi curatus remedio, ita ante noxam non in vita duraret, si se vitæ ab alimento submoveret. Quid est quod *ante noxam*, dico quasi innoxius esse possit, qui ut moriatur non comedit? plane ergo animal erat qui absque alimento durare nequibat! factus sum etenim animalis, futurus obediendo spiritalis. Nam juxta Apostolum: *Non prius quod spirituale, sed 84 quod animale* (*I Cor. v, 46*). Ut sit homo gloriosior percipiendo beatitudinem quo-

(118) Mag. dist., 24 et 29.

(119) Magist., II, dist. 18, § 2 et seqq.

(120) Pseudo-Aug. l. qq. Veteris et Novi Test. q. 49; Irenæus lib. III adversus hæres.; Hilar. in psal. LXXIII; Nazianz. orat. 2 in Pasch.; Hieronym. in cap. 65 Isaïæ, B, Th. q. 97, art. 4.

dammodo sui merito debitam, Dei gratia accumulata. Quapropter indicitur abstinence unius fructus, atque plena gratia mandantis, nec difficilis, concessis reliquis: ex omni enim ligno paradisi comedere licuit (*Gen. II, 16*); de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedat, vetuit (*Gen. III, 5*). Et si difficultas mandaretur, utique recusari haud decebat; quanto magis perfide servitutis incurrit nequitiam, qui et Domini præcepta suscipit, et suscepta absque necessitate postponit: primus ergo homo quanto natura firmior, loco superior; tanto de casu foedior. At nobis de hoste gloriosus debetur triumphus, qui et fomite ad ruendum proni, et inter Babylonios ejus regnum, exsilio relegati astutam tergiversantis virulentiam ad nihilum Deo auctore deducimus, ruptisque captivitatis vinculis alacres repatriamus.

CAPUT XXI.

Potuit varie abuti libertate.

Sed qui vetitum fructum usurpavit, potuitne abuti et aliter libertate? Mortiferum ante esum mulier abominanter seducta serpenti credidit esus prohibitionem malo dolo factam, mortis comminationem non solum falsam, verum etiam invidam, ne comedentes divinam exprimerent similitudinem. Unde patrato scelere per amaram Trinitas subdit ironiam: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (*Gen. III, 22*) [121]. Quanquam ipse non ita speravit, quoniam juxta Apostolum Eva sola, non etiam eo modo Adam est seductus tanquam perspicacior creatus. Mari igitur aut in dolorem mulieris est insultatum, aut quia inferioris sexus temeritatem non repressit, aut demum, quod potissimum videtur, quia quod impossibile noverat, inconsiderate appetebat: et quia *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov. XVI, 18*), aut pollicitatione serpentina, quanquam vanam noverit tumide, ut dixi, delectatus, aut femineo (122) tractus impetu, haud inscienter contra auctorem vir prævalde uxorius, prius se insolentia maculavit latentem in animo, ut postmodum ruinam mereretur, crimine jam manifestato. Uterque ergo graviter; at femina gravius, antequam ruerent, offendit; ambo enim nequiter contaminantur corrupti interius, sed contaminatio aggeratur erupta exterius.

Si tamen secundum se scelus utrumque attentius pensatur, paruisse interior macula deterior videtur; fructus namque in se quidem bonus, tantum quia prohibetur nocivus; impudenter sumptus generat utique offensam, dum mandantis contemnit sententiam. Sed Adam damnosius antea desipuit, si, ut dixi, libidine mala se in majestatem armavit; sed longe rabidius Eva insaniit, cum mendacium atque invidentiam, quæ sunt diaboli, detorsit ambitiosa auctori, cujus et benevolentiam creando jam ingra-

(121) Mag. II, d. 22, § 5.

(122) Aug. XIV; De civit. c. 11. Credendum est illum usum suæ femine, uni unum hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam Virum loquenti credidisse seductum; sed sociali necessitudine paruisse.

ta, quoniam majestatis æmula, ante experta erat; et veritatem ratio indita, sed falsitate jam delusa (verum prius nativo fulgore irradiata) prætendebat. Unde alia de aliis conjectanti, primos homines ex trinsecam ante offensam plane liquet et multiformiter deliquisse, et multiformius potuisse.

Ad quid ergo esus ille solus debuit interdici? nunquid non erant cætera experiendo nocitura, quia non vetabantur? Annon omnia simul vetuit, qui liciti et illiciti sequestra hominem ratione illustravit? Ergone non caderet homo agens contra conscientiam, et cecidit angelus ambitionis incusans conscientiam? Quoniam ergo quæ per se mala sunt vetari non oportuit, quod in se licebat futurum prohibendo, illicitum interdixit: forte nobis volens insinuare Deus, illam demum gratissimam sibi abstinentiam, quæ non solum mala fugit, verum et licita alia cum modo sumit, alia contemplando Deum omnino dimittit. Aut! a malo prohibitus non est homo, ne, quia malum, non quia prohibitum, nocuisse videretur.

85 Sed quoniam lex circumscripse lata, et præmium sanxit ut ametur, et pœnam ut timor incutiatur, post prohibitionem cibi fit comminatio lethi, forte ut rationi intimetur, quia si quod non erat malum, quoniam erat vetitum, tanta erat animadversione feriendum; multo minus quod naturaliter erat malum, nihilominus media ratione vetitum, si fieret, impune erat ferendum; sed aut majori aut pari pœna plectendum. Unde forsitan culpæ cuius pœna prædicatur, quatenus id ipsum ex reliquis timeatur. Sed prædicta pœna prævaricantis, ex opposito præmium notat obedientis: divina locutio enim consuevit parte dicta, cætera relinquere subaudienda: unde mortem minata, molestias quæ antecedunt innumeras prætermisit, quod subsequeretur exsilium inferni subticuit. Similiterque fieri potest, ut mortem quam uni culpæ ascripsit, et cæteris ascribendam voluerit. Nisi quis responderit sæpius dictam comestionem, non nisi præcedentium pro pondere facinorum letho fuisse multandam: ergone, nisi præcessissent, sola pro comestione reo mors erat minime infligenda? sed verba Dominicæ comminationis sic esum videntur induxisse inhibitum tanquam solus suffecerit ad lethum.

CAPUT XXII.

Contigit etiam comminatio Evam.

(123) Quæ si verba consulimus, solum ad virum, si sequentia attendimus, et ad mulierem videbitur pertinuisse: namque ipsa serpenti pluraliter respondens et sibi quod viro mandatum innotuit. Nisi enim viro suo communicasset in præcepto, haud rea criminis a pœna mansisset immunis. Auctor ergo loquens mari, in mare loquebatur et feminæ; an toti quoque familiæ, ut doctrina capiti infusa, inde quoque diffunderetur per membra? utique sic videtur. Nam, sicut obedientia ei augmento meriti

(123) Mag. II, d. 21, § ult

necessaria erat parentibus et in signum subjectionis, ita quoque et filiis: nam quia et inobedientia punitur et in filiis, obedientia quoque videtur proposita et ipsis; forsitan enim ideo medium paradisi lignum prævaricationis sicut et vitæ legitur obtinuisse, ut indigenæ advertant usum tam illius sibi communiter illicitum, quam istius concessum. Igitur hæc obedientiæ abstinentia usquequo erat mandata, Dominus metam non posuit: nam neque in cælo cibus omnino ullus erat sumendus, neque unquam iste in paradiso sumi est promissus, unde Dominus eodem de cibo homini ait: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris (Gen. II, 17)*; id est de mortali moriturus efficiaris. Quamobrem quoniam edenti mortem substituit, patet quod dum mori potest homo, esum interdicit: quoniam autem *in quocunque die*, ait, tempus nullum quo mori queat homo, excludit. Mori autem interim videtur possibile, donec obedientia peracta de paradiso migraret in cælum, de loco meriti in locum præmii, statum exuens mortalem militanti necessarium, induens immortalem triumphanti idoneum, tempore jam transacto munerandus æternitate, tam ab omni corruptela extraneus, quam ab esu corruptifero alienus.

Sed adhuc verba præceptoris discutiamus. Igitur, dum diei meminit, tempus, non ævum declaravit: supervacanea enim prohibitio fieret, quando prohibitum placere non posset. Dum autem signum universitatis præmisit, diem nullum excepit, dum ergo universitati diem adjecit, dicens: *In quocunque die comederis*, etc. Præmonet auditorem tandiu parcere esui, quandiu penes se reditus est diei. Quamobrem tam parentes, quam omnes si in paradiso nascerentur filii, quandiu inibi habitarent, præceptum hoc (secundum quod videtur) custodire deberent, consecuturi præmium, si cum possent transgredi, nollent.

86 CAPUT XXIII.

Licet Adam perseverasset, necessitatem perseverandi non intulisset.

Nam si gratia auctoris tantum vigorem libero arbitrio contulisset, ut inflecti ad illicita facultatem non haberet, et frustra mandaretur abstinentia, et abstinenti merces foret indebita. Quare non sicut voluntaria parentum vitia, vitiis filios ex necessitate obnoxios reddiderunt, ita illi sponte perseverantes istis necessariam facturi erant perseverantiam; aut si erant non nisi sibi lex abstinentiæ directa est.

Sed cuiusmodi fortasse absurdum hoc videatur. Convenientius fortasse dicatur, non plus virium natos accepisse quam creatos, æque subdendos legi, genitos et ingenitos, cui omnes obsecutos, omnes quoque munerandos: tunc, juxta auctorum traditionem, his, ut diximus, solis nascentibus, quos nunc adoptat Christiana salus, virtute Dei faciente, ut qui boni reprobis parentibus nascuntur non ab

ipsis, qui tunc non flerent, sed ab ipsorum parentibus bonis, et ut magis videtur non remotioribus, imò proximis nascerentur. Sin autem pars legi, pars pareret libidini, bonos numero fuisse videtur augendos, quo ad summa a Deo provisa plena absolute constaret. Seditiosos autem non amplius revocandos, inferni exsilio mancipandos, nisi forte pia auctoris humilitas, quæ nostræ ruinæ universitatem prosecuta, cavens ne funditus tam digna deperiret creatura, quos et quot oportuit in patriam reportavit, sanctos quoque, paucitatem propriis quæ poterat expleri incrementis, ex profugorum reductu diffusa benevolentiae largitate consummare maluerit.

Si tamen divinum penes examen illa præponderat sententia, qua primorum hominum innocentia posteris refundenda astruitur, sicut et ipsorum flagitio posteritati traducto sub noxa omnes tenentur. Haud absurde fieri potuisse dicemus, parentes primos, hoste debellato, merito obedientiæ quoad Deus providerit promoti, securitatem in posterum suæ suorumque perseverantiæ obtenturos, non necessitate bene agendi data, verum in bono voluntate firmata. Nisi quia nonnulli verisimilius autumant, progressum parentum eadem via filiis tribuendum: qui aut obsequio completo more nostri temporis viritum, aut potius, quoniam perpetes vita erant, expectantes modicum usquequo adimpleretur numerus confratrum nostrorum (*Apoc.* vi, 11), tandem, sicut et nunc futurum speramus, generaliter paradisi-
C celo mutarent.

CAPUT XXIV.

Deus juste præcipit, licet malum inde sequatur.

(124) Sed præscius omnium Deus jurene præcipit, quod præceptum malo cedit? Dominus servo cur non præcipiat, quod jure fieri debeat, tametsi noverit, a lege autem ex nequitia aversurum. Dominus ergo, sicut Dominum decet, decenter præcipit, servus autem nequam sicut contumacem decet, impudentiam luit. Quid hic fit injusti? Juste est quod præcipitur, juste quod punitur. An quod in se erat justum, respectu futuri fiebat injustum? ergone quod Domini erat obsequium servo non mandaret, quoniam sciebat quia servus qui servierat Domino suo non serviret? D Nonne satius est ut Deus quod suum est præcipiat, præcepti contemptor quod suum est luat? postremo officium cur non imponeret recusaturo, quo perniciose erectum salubriter humiliaret ærumnis permotum, vesanum damnare consilium (125) divinæ propriam subdere voluntatem, summo expertum periculo, summam fore vecordiam, niti factum adversus factorem liquido jam perpendentem, impendere tendenti ad ipsum vitam, ab ipso mortem? lapsus ergo non tam factus est infirmior, quam in his quæ ad Deum certior, in his quæ ab hoste cau-

(124) Mag. ii, d. 23.

(125) Videtur deesse verbum doceret aut aliud simile.

A tior. Nam infirmitas insolentiæ medicinaliter opposita fovet humilitatem, gratia medicantis fulciendo nutantem, confortat debilitatem. ut neque **87** levetur jactantia circumdatus infirmitate, neque succumbat in pugna Domini fultus benignitate. Infirmitas ergo dum morem sedat, dum charitatem inflamat (quippe torpori indignans quasi stimulata insurgit) non naturæ languor, imo commodum reputari debet (126). Quid enim si quidam libidinum illecebras prosecuti, morbo paulatim ingravato, perniciosissimis involuti flagitiis, ex torpidis paralytici, imo ex ægris fiunt mortui; nonne summæ æquitatis judex, et tales aut piissimus renovandos immutat, aut de subversis suos districtius exercitat, aut demum in vasis iræ vasa instruuntur misericordiæ, et quid sibi per culpam debebatur, et quid in laude miserantis impenditur. Quare recte sinit fieri mala, quia et de malis novit facere bona.

CAPUT XXV.

Ante peccatum non erat opus vestium.

Primos homines vestiri non oportuit, quibus nihil dedecoris inerat, nec calor aut frigoris vehementia nocitura erat: quas aeris vicissitudines, tum natura contra hujusmodi munita, tum loci quæ sua amœnitatis videtur temperies, repellebat. Fœditatis autem nihil sinebat in opere suo decus auctoris, maxime in homine, quem cæteris animantibus forma quoque corporis præferebat. Sed quid non ante, post noxam nuditate confusi sunt, maxime genitalium. Quare? quoniam mutuo de conspectu mutua exæstuans lascivia ruborem insoliti gratia ministratura, titillationeque carnis latebras quæsitura tunc primum invaserat.

Quidquid enorme in membris obtutibus se nostris ingerit, constat ab ira plasmatoria profluxisse, juxta illud: *Percussus sum ut fenum* (*Psal.* ci, 5): nam pace servata naturalius se gererent omnia hominum absolutionem primorum, absolutione prosecuta reliquorum. Auctor ergo aut sinit aut facit inter membra vitia coalescere iratus, quæ utique propulisset placatus: *facit* dum aut carnem nostram verbi gratia lepra variat, aut quævis una saltem incongruentia reliquum decus decolorat; *sinit* dum, ut exemplum ponam, aut incuria genitorum menstruatæ concipiunt, aut rationabiliter concepto injuria qualibet prægnantes officiant talem parituræ fetum: unde? merito præsumptionis utrumvis parentum; per omnia dispensatione Dei tam apud se justa, quam apud nos plerumque occulta. Quare si ab ira Dei, plaga aut filiali ad humiliandum, aut crudeli ad deponendum, nativa specie admodum fuscata hujusmodi incommoda toti successioni infliguntur, quid est absurdi primam quoque nostrum originem autumare, creationis suæ nitorem prævaricando decolorasse, ut se tam invenerit deformiorem, quam deterio-

(126) Aug. ep. 105 ad Sixtum; ep. 157 ad Optat. ante med. et ser. 254 De temp

Sed dices : *Offensam spiritualiter maculare ; carnem nihilominus integri decoris permanere.* Utique offensa pleraque carnem nihil conficit, et nonnulla facit. Nam invidia macie, venus pallore, arrogantia indignatione, alia item aliter humanæ speciem serenitatis interturbat, et tamen natura uti antea erat, et postmodum perseverat. Quanto magis ergo primordialis noxa quæ ex quo invaserat usque adeo naturam immutabat, ut qui paulo ante mori non poterat, jam mortuus existat : deformitatis quoque offensam oculis obtulisse videtur. Quomodo enim ex vita ad mortem, ex salute ad integritatem, ex integritate demum incorruptionem, complexione irreparabiliter dissipata permutatus perfectioni obnoxiam decoris congruentiam, cæteris amissis, solam reservasse credatur ? quomodo, inquam, tibi cito suadeam ad tantam contritionem hominem offendisse, cum tanto sui damno corruisse, absque prioris detrimento decoris ? Si tamen ita placuit Deo, utique et homo cecidit, et decor permansit. Sin autem species quoque flagitio percussa contabuit, quid mirum si sese inspecto jam noxius confunditur, qui in decore suo nihil confundebatur ? ¶ Maxime autem obstupescibat, cum sua comparisque genitalia attendebat, veritus verecundum in pudendis notari motum : unde perizoma ficulneum contexuisse perhibetur, fortasse genitalium fugiens ita deformitatem ut motum : quæ foedissimus ipse foedissima fortasse assiduitate sua non toleranda visu, præ cæteris membris foedabat. Quamobrem conspectum sexus ex duobus offendebat, motu importuno, indeque nata deformitate.

CAPUT XXVI.

Quali specie Dominus perambulavit in paradiso.

Mirum nisi specie visibili et maxime humana Dominus sese intuendum exhibuerit, cum veritos faciem deambulantibus homines humane post culpam quoque compellaverit. Quippe deambulatio visibilem, locutio hominem exigebat : tale enim decuisse videtur colloquium, quasi hominis ad homines, licet non ipse Deus, sed loco Dei angelus humana in specie a nullo apparuisse nesciatur : locutionem enim illam spirituales, quæ inter se et ad Deum spiritalia loquuntur, nondum capere valebant, alioquin audibili visibilis verbo hominis opus non erat. Ambulabant ergo per fidem, nondum per speciem, fidem originali macula caligaturam, gratia remediante postmodum illustrandam. Speciem expleto obsequii numero percipiendam. Unde liquet paradisi colonos obtinuisse mediocres, longe inferiores sese cœlestibus, longe superiores sese exsulibus. Peccantes igitur merito decreverunt ætate, viribus ingenii, puritate interiori, decore exteriori, gratuita reformandi auctoris misericordia quantum ad animam, etiam in hoc sæculo ; quantum ad corpus, non nisi in futuro, Hæc est resurrectio prima et secunda. In secunda tamen consummabitur et prima.

CAPUT XXVII.

Vir peccatis succubuit mulieri, et subditur pœna peccati.

Sed adhuc ruinam parentum intueamur : quippe vir dum in caput suum, qui est Christus, sese elatus erexit, uxori, cujus caput esse debuit, prava machinanti succubuit. Nisi enim timore, lapsu reprimendo, se intrinsecus depravassent, procul dubio extrinsecus tentanti ille uxori, illa dæmoni vivaciter restitissent : verum namque est, quod ante gloriam cor humiliatur (*Prov. xviii, 12*) : servata ergo humilitate, gloriam obtinuissent victoriæ. Quod si solus vir viriliter egisset, muliere ut metus aliis cautelaque incuteretur damnata, altera viro socianda, exemplumque prioris figurata, plasmanda erat. Sin autem id minime oportuisset, juxta sententiam Domini, morte datis pœnis, prima viro resuscitanda videtur, ut sancta cum sancto generaret in paradiso, ne id contra meritum fieret aut a malo ibi, aut a bono alibi. Quippe absque connubio quæ erat nascentium propagatio ? Sed quia uterque peccavit, uterque pœnas dedit : nam quoniam carnem puram impurus spiritus huc propria infecit, infecta caro infectori suo vicem jugiter rependit, desideriiisque suis illum jam inquieta illicit, qui se quietam gustu mortifero permovit : antea namque has inter naturas pax omnimoda fuerat ; caro nihil illiciti suadebat, quia nihil injuriæ acceperat ; verum ubi spiritus initum rupit foedus, carni que suos infudit defectus ; quoniam ægritudo illata urere nunquam cessat, quasi minus ultam se semper ulciscendam putat. Nec immerito : nam qui suo suum imperatori subtraxit obsequium, cui imperabat jure mancipatur, noluit auctori obedire, cogitur mancipio deservire.

Quo spectant ista ? dicam clarius. Animus obedientia Domini sprete, corpore tanquam instrumento abutens, ad prava corpus firmum flebiliter labefecit et ex labefacto incommoda ¶ multa suscepit. Corpus labefit, aut etiam cadit, quoniam sibi variis morbis maciem, variam interdum foeditatem, nonnunquam vero partium aut attritionem aut abscissionem, atque demum totius quoque necem reliquis cum defectibus venenato prævaricationis poculo, mens arrepta furere, solum ut temperetur sibi, ut et crucietur, seminaliter causaliterque infundit. Mens quippe id prævaricando effecit ut, orta occasione, supradicta vitare caro non possit, et quod omnium miserrimum, spiritum sibi infusum ex necessitate (127) reddat impurum. Utique miserrimum, non tamen injurium ; nam quia corpori maculam accivit ultro-neus, ex illa illam merito jam tolerat et invitus ; quoniam nec infans unius dici sine peccato : *Omnis enim homo mendax (Psal. cxv, 11)*. Nam post patratum originale peccatum, ut sit homo sine peccato, posse homini deest, Deo non deest. Id homo non potest, et plerumque quærit. Deus po-

(127) Vide notas ad cap. seq.

test et nunquam (128) facit; eo tendit homo salubriter; pertingere non datur, et hoc salubriter; dum vel laborat, satisfit religioni; dum retardatur, humilitati.

Deus dat sanctis suis pondus, ne facilitate agendi insolescat, et corruat animus: peccato namque quod originale dicunt, omnis homo detinetur, cujus jugo quia nec quisquam nec unquam se expedit, actualium oppressionem, utpote famulantium originali, ad unguem nemo evincit. Potes enim charitatis expiatione totam actualium vel ad horam effugare catervam, quamvis tam purgato in statu, originali morbo revocatus ad morem, diu consistere nequeas. Sed originis radix nociva (unde nocivior actualium pullulatio succrescit) vi nulla extirpatur, nisi forte cum vita. Reatus ergo originis, licet non habeat unde diluatur (129), habet unde excusetur: nam gratia Mediatoris, remedio est infirmatis, ut languor nihil obsit saluti, prosit humilitati. Ergo a mente sibi apta corruptio inferebatur, a carne quoque menti non indigna se, refundebatur. Unde anima et contagium sumit, et robur amittit, ratio quam decebat toti familiae per prudentiam providere, per principatum regere, et regno privatur et consilio, ut plerumque aut veritas lateat, aut cognita torpescat. Ira dum effrenatur, conturbat; concupiscentia dum inflammatur enervat, utraque modestiae limen excedens, in heram irreverenter insurgens; dum assensu pellicit, servitio innectit.

Sensus etiam quinque suis cum instrumentis, imaginatio quoque inde nata vanitati communiter prona, rationi captivandae jugiter intendunt, et persaepe proficiunt, nisi cum ex gratia ratio roboratur, pars hostilis reprimatur.

Quid est quod dico? summam audi. Quod ergo spiritus per rationem comprehendit quantumlibet bonum, si non juvat, aspernatur; quod per reliqua attingit quantumlibet malum, si juvat, amplexatur, caligine per hoc obductus, excessu impurus, nisi cum suffragia auctoris utrobique defectibus humanis remediuntur. Liqueat ergo spiritu corpus labefactari, et ex labefacto quamplura sibi incommoda referri.

CAPUT XXVIII

Quales primi, tales et ab ipsis progeniti.

(150) Sed quoniam primis in parentibus tota filiorum numerositas in arctum contracta sese cohibebat, non quod singuli singulas obtinerent inibi particulas (nec enim capacitati tantae homines bini videntur suffecisse) verum quod seminalem omnium causam admodum utique paucam, duo illi in sese continebant (paucissimos quippe filios ex se procrearunt) unde propagata reliquorum multitudo dilatatur (151). Quales erant duo primi, tales ab ipsis oportebat nasci. Nam portiunculam corruptae

(128) Ex lege ordinaria.

(129) Vide notas ad cap. seq. 31.

(150) Mag., II, d. 31.

A massae detractam, ipsam quoque necesse est esse corruptam; ex qua quasi vitiato ex semine vitiatus exurgit fructus, homo, sed suis assimilatus parentibus. Quae portio, cum corrupta sit ex origine, corruptior fit ex generatione. Nam generatio quoque ex peccato maculam trahit lasciviae, ardore cujus elicatum semen et effusum, materiam procreandis aestu malo decoloratam administrat. Unde Propheta ait: *Et in peccatis concepit me mater mea (Psal. L, 7.)* Et Job: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine (Job XIV, 4).* Si ergo semini corruptio ex massa debetur, ex generatione cumulatur.

B Num quoniam massa portio corruptior videtur, ex portione quoque natum corruptius recte dicatur, ut sit quisque tanto corruptior, quanto a primo parente remotior? Nam si quia causa seminalis est corrupta, corruptum requirit effectum, cur non quia corruptior est, corruptiorem requirat? atqui pars quod est semen, suo impurius esse toto videtur: licet enim homo concutiatur totus libidine, praecipua tamen ejus vis eo tendere cernitur, ut pars a toto separata, alteram se vertat in faciem. Et quoniam sibi maxime intendit, maxime et tabefacit.

C Quod si homo per caetera foedatus absque libidine generaret, hujusmodi partus conspicuusne foret puritate, quoniam conceptus processisset absque ardore? Sed fluxa quomodo ex materia firma constaret fabrica? Maxime cum Dominus Jesus singulariter modo praedicto genitus, maxime concedens naturae reliquos accivit defectus a natura discedens, naturae maculam exclusit, ut sic veritatem susciperet, hominis ne quid obsesset consilio redemptionis humanae: siquidem naturae universalis dum Domino in Jesu locum sibi non repperit, violentia ex insolito illata est, haud indebita auctori, at necessaria peccanti. Intactam namque Spiritus sanctus superveniens in Virginem, atque ipsi ab aestu conceptui obnoxio obumbravit, atque conceptum usque eo propagavit, ut causa relicta moriendi, causa pelleretur delinquendi. Ideoque quod nascebatur sanctum, personaliter uniri meruit Filio Dei.

D Si ergo filius hominis non natura, sed virtute Altissimi immunis factus est a peccato, tantum ideo, ut digna fieret hostia pro peccato, quomodo quis, licet absque venere genitus ponatur, sola natura absque causa purus ex impuris procreetur; si tamen expers culpa conceditur, expers quoque poenae concedatur? Quis enim merito crucietur poena, nisi praecesserit inquinatio ex culpa? Unde Dominus, quae non rapuit exsolvit, dum non ob sua, sed nostra percussus est facinora; paulo minor illo, qui quia a lue conceditur alienus, a poena quoque debet esse intactus. Donec enim Adam

(151) Consule notas in hoc et seqq. cap. ubi de peccato originali.

recte se habuit, bene sibi fuit; ex quo se inflexit ad injuriam, indilate exceptit pœnam. Cuicumque parentalis culpa traducitur, culpæ quoque debita pœna irrogatur; pœna autem speratur tollenda, cum in homine locum non invenerit culpa. Si quis ergo forte foret absque culpa nasciturus, foret quoque pœna cariturus, nisi forte mors Adæ admittendo culpam, ascisceret et pœnam.

Cæterum talem virum, quippe vitiorum incentivis haud perculsum, profecto restat nulla ex parte impotem, nativa in puritate perpetem perseverare. Quoniam vero interminatæ compos sit innocentia, sit et vitæ. Sed tamen extra paradisum situs, ac per hoc a ligno vitæ seclusus, vitam absque morte in manu habet, quam nec primus homo in paradiso absque ejusdem beneficio ligni obtineret. Nimirum ex quo ejectis primis januam paradisi igneus munivit gladius, neminem, reor, reatu primo prohibente, in eam more primi ferendum, nisi forte duos Eliam et Enoch, quibus id contulit meritum vitæ, et præcipue ratio divinæ dispensationis.

Aut ergo prædictus homo vivit absque usu ligni vitæ; aut moritur, absque merito pœnæ. Sed quoniam neutri videtur ratio præbere assensum, et hunc, unde tractamus, fatendum puto totius massæ naturam attraxisse sibi, ut conceptio caste licet ex lumbis parentum egressa, ideo tamen morbum trahat, quoniam ex morbidis prodeat. At cujusmodi **91** morbum? talem unde homo sit peccato pronus, sit letho lethique prænuntiis obligatus. Huic autem conceptioni, cujus modo castitas fetum parentalis expressit corruptionis, si libido immunda accedit, immundam reddit, adeo ut juxta quærimoniam Job, ex natura nequeat fieri mundus qui de immundo semine sit conceptus, quippe dum seminis cum germine immunditiam deplorat, libidinem unde immunditia defluit accusandam insinuat. Quare natura suam, libido alteram importat sordem: nam utrique unam imputare, aut alteri suam derogare, ignoro competenter (152). Neque enim dicendum puto, aut ex massa corrupta incorruptam prodire portionem, licet lasciviam semoveas; aut ex libidinis fœditate, fœditatis nihil emanare, licet naturæ vitium seponas: maculam autem eandem quomodo ambabus nisi cum damno pudoris astruxerim, quoniam ratione duce alteram alteri repererim? particula ergo a suo disjuncta toto vi generationis præter maculam, quam habet ex origine, alteram excipit ex generatione. Neque enim sinit ratio, quod libido superveniat vitiumque non augeat, vel quod descendat nihil ab origine, derivetur autem totum ex libidine.

Dum ad hæc specto, proprio corruptior videtur pars toto, eo usque ut tota parentum naturalis corruptio, sese causaliter infundat semini, generationem corrumpeudo. Nam quia parentes accidentaliter inquinantur, vel ex arbitrio, et crapula, et pe-

(152) Non hæc auctoris est sententia.

Atulancia, vel depravata complexione, ut lepra, ratio maculam non cogit transfundi successioni, licet persæpe id fieri consentiat. Sed bis vitiato ex semine formatus quoque homo bis vitiatur; bina autem hæc inquinamenta reputantur, aut utraque in naturam, aut neutra, aut singulatim alterum inest per naturam, alterum vero non, sed per accidens. Si ergo naturale filio constat utrumque, constat quoque ipsum naturaliter suis corruptiorem parentibus generaturum sobolem, se quoque in natura fœdiorem. ipse enim ad maculam naturæ parentalis comitem, ut persæpe diximus, ex immunditia conceptionis, alteram recipit. Utramque autem suæ naturæ comitem sibique naturalem propriæ proli transmittit: tertia quoque adjecta quam libido infligit, crescit macula originalis, viresque acquirit dum transit. Unde, ut jam præfati sumus, tanto quis natura corruptior convincitur, quanto a primo parente remotior invenitur. Quod si verum est, inde evenit fortasse quod humana natura sicut succedendo procedit, ita quoque quantum ad corpus, ætate, robore, quantitate decrescit; quantum ad mentem in dies fit in vetita propendentior, in dijudicando tardior tempestate utique nostra mirum in modum hebes dum profutura indagat, ingeniosa nimis dum vana attrectat: et quidem nostra per se natura in ruinam festinat, festinantem vero Deus dum irascitur præcipitat. Nihil tamen damnationis inest sanctis, quibus quantumlibet infirmatis, et gratia remediatur, et virtus in infirmitate perficitur (II Cor. xii, 9).

Et quidem si inquinamentorum utrumque in naturam assumitur, quæ diximus videbuntur consecutura; sin autem neutrum deputari naturæ debet, neutrum putetur, vel a prædecessoribus traductum, vel a successoribus traducendum. Nan id solum quod naturale est, naturæ propagationem relinquere incommittatam nefas est; cur ergo languorem generantium generatis quasi hæreditarium, nec unus evadit? quod si alterutrum jus sibi defendit, quod totam nascentium numerositatem suæ adigat conditioni, utrum duorum? at quod libido parit ante libidinem defuit: nam si et antea infuisset, immerito ex libidine ortum pronuntiaretur: quod autem naturam minime comitans ex tempore accedit, quoniam ex avis minime profluit, ad usque nepotes minime profluxerit, oriens autem ex generatione generatis, ita eos maculat, ut ad ab eisdem generatos maculam haud perferat, nisi forte quasi illud ideo generale astruxerit, quoniam nemo nascitur, nisi immundo de semine contaminatur.

92 Sed jam homines primi nostra haud lege nati, quoniam carent generatione, carent et generandi iniquatione. Sed humani generis corruptela, ab ipsis et in ipsis orta, totam debuit propagari in posteritatem, et quod superius quoque diximus, præter maculam quam libido fœdat, alteram natura importat. Unde dum unum humani generis vitium inquirimus, geminatum reperimus. Solum est

ergo quod et primum homines ante coitum depravet, quodque totam ad procreationem transmigret. Ipsi namque, ut jam dicta paucis repetamus, carne emarcuerunt, atque anima utrobique viribus pene ad usque defectum infirmatis, adeo ut nequeant spiritus expetendam contingere puritatem in corpore, quoniam nequeat corpus in tantum mundari ut nihil retineat, unde hospitem kedat. Unde duplex contagio nascentibus subrepat, altera carni, altera molesta est menti: contagio quidem duplex, sed peccatum simplex, quæ inhaeret carni solum contagione, contagione autem ex hac quæ inest menti: contagio pariter ac peccatum est. Tales jam erant innati, tales quoque ab innatis procreati.

CAPUT XXIX.

Anima ex originali primo est rea.

(133) Sed caro merito fortasse edat corrupta corruptam. Verum anima unde corrumpatur, fortasse satis liquet: sed an juste corrumpi debeat, non satis liquet, nisi et ipsa a parentibus prodeat. Sed et si quis inde prodiisse contendat, quomodo jure ex peccato contaminetur, nisi ex contaminatione quoque puniatur? Quomodo autem aut ex macula reatum, aut reatu supplicium, in infantia jure suscipiat absque ratione? quod si rationis ex culpa puerilis macula, seu consentiendo procedit, seu negligendo, non jam originaliter sed delinquitur actualiter: quod quidem auctoritati inimicum refutatur. Quamobrem anima usque ad discretionem actualium exors, solo participat originali, inde rea æque

CAPUT XXX.

Unde malum, et quid sit ejus præmium.

(134) Sed quoniam certissimus auctor omnium tam corpori quam menti expetendorum Deus est, eisdem unde origo mali? Angelum et hominem Deus tales fecit, ut si vellent et peccarent; peccantes autem pœnam subirent; angelus casum, homo mortem et infernum. Posse peccare dedit, ut merito coronetur quisquis peccare possit, nec tamen velit. Rationi objecit pœnam, ut et circumscripti terreantur ad propriam custodiam, et improvidi, ut par est, torqueantur ad justorum cautelam. Tales ergo sunt facti, ut possint peccare, pœnamque excipere. Quare mirum non est, ut et antea dictum est, si id agunt quod possunt: nam ex posse, quod utique naturæ bonum, veniunt ultro ad velle, quod est naturæ vitium. Voluntas autem mala suos sibi con-

(133) Magist., II, dist. 30, 31 et seq.

(134) Mag., II, d. 34, 35 et 36.

(135) Aug., I, II, De nupt. et concup. c. 28, etc.

A format actus; sed promotio talis ex Deo non est: quod autem ex culpa ingruit pœna, absque Deo non est. Equidem culpa quasi vipereum est semen, unde tota dolorum seges emergerit, et quos naturæ importat corruptio, et quos auctoris indignatio. Placet quippe Deo ut hinc inde metamus dolorem, quia nobis baud displicuit seminasse iniquitatem.

Iniquitas, quia fœda est, nunquam Deo placet; pœna, quia justa est, nunquam displicet; et hoc est quod absque eo est culpa, per eum pœna. Si ergo ex potentia quod bonum Dei est, prodit peccatum, et ex peccato pœna, plane liquet originem traxisse primum (135) ex bono malum, deinde ex malo malum. Quoniam enim natura iniqui impos non est, suæ autem voluntatis compos est, dum libet ad illicitum ex sese declinat, inevitabili jam obnoxia culpæ: quippe auctoris munere obtinuit, ut in sua integritate perseverante sui juris foret. Quod si de perfectionis culmine labi in præceps mallet, regredi suæ facultatis minime æstimaret, potius se hanc haberet quam creasset, unde nihil mirum, siqui absque necessitate peccato se implicuit, necessario detineatur in peccato: sentem autem effugere impunitum, judicis æque contraibat severitati; non quia reo parcere non poterat, verum quia magis castigare oportebat. Ex homine ergo reatus, ex Judice prodiit cruciatus.

CAPUT XXXI.

Uno sorduit peccato hominum tota multitudo.

(136) Sed quoniam peccatum parentum toti suæ propagationi paulo ante diximus esse transfusum, unde forsitan et originale nuncupatur; inquirendum autumo unumne sit an plura, unde hominum tota multitudo hæreditario jure corrupta, ipsa quasi ex radice depravetur?

Illud enim Apostoli capitulum (ubi de Adam loquens subjungit: *In quo omnes peccaverunt*) [Rom. v, 12], consulentes, hujusmodi videmur referre responsum, quod tota hominum massa simul et semel sorduit, dum Adam in paradiso (adhuc enim omnes erant ille) unus peccavit. Ergone homines peccaverunt antequam exstiterunt? Sed vir primus cum conjuge in paradiso deliquit, unde extra paradysum rea proles tenetur universa. Omnes ergo simul et semel peccaverunt, quoniam ille solus, in quo adhuc causaliter omnes seminaliterque coarctabantur, peccavit, cujus de peccato semel admissio, pariter omnes reatum contraherent. Unde secundum illum locum in Joanne: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. I, 29), hujusmodi expositio reperitur: (137) Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quia est commune totius mundi, quo tota humana natura simul et semel condita, leges divinas per inobedientiam transgressa est in paradiso, quod originale singulorum superaddita gratia relaxat. Quod ergo primis in hominibus, veluti ab ipsis

Enchirid., c. 14, sub finem.

(136) Mag., ubi supra de peccati trad.

(137) In Glossa ordin.

commissum merito actuale appellatur, hoc in sequentibus, quoniam et ipsis ex origine noceat, originale nuncupatur.

(138) Sed Adam præter illicitum esum et ante et post nondum procreatis liberis multiformiter deliquit : num totum simul postmodum natis imputabitur? Quod si conceditur, nonne et reliquorum post delicta parentum, geniti eisdem erunt obnoxii delictis? Quæ enim re sibi conformia videntur, quænam ratio rite dissimilet, præsertim cum, teste Scriptura, Deus puniat peccata parentum in filios? Si ergo totam Adæ transgressionem quæ genituram prævenisse cognoscitur (nam quæ sequitur qua ratione jam natos maculaverit?) exigendam a filiis usque in finem arbitramur, cur peccata parentum puniuntur in filios usque in tertiam tantum et quartam generationem? (*Exod. xx, 5*) nisi forte summæ pietatis iudex reis suis misertus, parentali culpæ metam objecerit, ut quam parentum importabat culpa, filiorum modificaretur pœna. Sed inhibitum pomi gustum nascituris detestabilem crebra repetitione Scriptura declarat. Cum enim ex transgressionem parentum reos arbitremur filios, parentes autem tunc aut solum aut præcipuum transgressionis crimen commiserunt, quando prohibitum esum usurpaverunt, merito gustus genitoribus noxialis, peccatum originale deputatur genitis cum præsertim mors, quam exsecrati in pœnam gustus protoplasto constat esse illatam, ab ipso in omnes derivata, hoc profecto videatur exigere, ut prætaxati gustus sint quidem omnes rei. Quam necem nemo effugiat, quam dubium non est ex gustu natam quasi ex culpa pœnam. ¶ **94** Generis ergo humani generalis culpa solum videtur ille gustus, quippe quam solam exposcit pœna lethi mundo toti debita; sed tunc reliqua non puniuntur peccata parentum in filios, nisi paternam imitantes malitiam; unde ultionis metam tertia aut quarta statuit generatio: parentes quippe eo usque superstites pravi, solent fieri natorum eruditores; sed adulti propriis ex actibus fœdati merito fortasse perierint.

Verum parvulos quos nulla inficit culpa, quomodo insontes contigit pœna, et qui ex se nihil sordis suscipiunt, quomodo ex alio tam præsertim remoto sordescunt? nempe minus mirarer si quod ab ipso excepissent peccatum, unde merito infunderetur contagium; nunc vero miraculum mihi exaggerat, quod penes illum tota culpa restitit, qui nimirum solus male comedit, ad nepotes tamen mala ex comestione contagio pervenit. Soli deliquerunt parentes, cur ergo rei nepotes? Anne in se quodcumque habent parvuli vitium, unde merito contraxerunt reatum? Sed juxta Apostolum nondum egerunt aliquid boni aut mali (*Rom. ix, 11*).

Sanctorum namque Patrum crebra traditione eruditi, audacter fatemur parvulos ita solo originali

obligatos, ut ego ante usum rationis nefas rear actualibus assignari noxis.

Ex primo igitur patre maculam trahunt parvuli ac per hoc reatum. Sed animæ macula quid est nisi culpa? Ei ergo quomodo inhæreat macula, cui deest culpa? at quæ caret macula quomodo rite rea? anne igitur anima pueri ab omni sorde pura? ab omni crimine aliena merito deputetur tormentis? sed auctoritate teste, nec infans unius diei absque peccato. Qui exempli gratia (*Job xiv*) (139) fornicatus est, nec jam fornicatur, caret utique actu fornicationis, sed nondum pœnitens, tenetur crimine fornicantis: et quantumcunque loci seu temporis intercapedine disjungitur ab actu, fornicator atque sordidus, ac demum reus merito judicatur. Sic infans forsitan peccator non ex eo quod adsit, sed quod in Adam præcessit jure vocitatur. Quisque enim tandiu peccatum habet, quandiu ejusdem peccati venia caret. Ac per hoc licet peccatum non habeat actu, habet reatu. Sed si baptismi remedio infanti subveniatur, nonne is infans jam absque eo est, cum nec peccatum habeat actu, atque jam eareat reatu. Sic quoque adulti, licet non diu, attamen quantumcunque cordis contriti compunctione, pravis actibus omnino vacui, atque ipsis impetrata venia prorsus expiati, interim haud ullum inveniuntur habere peccatum.

Quid est ergo quod dicitur, *nec infans unius diei absque peccato*? an dicitur non quod homo culpa nequeat carere, sed caruisse? parvulus enim quamvis culpam non habeat, tamen habuit. Adultus aliquando forsitan totam mali turbam armis pœnitentiæ castri eliminat; sed talis nec antea perstitit, nec semper postmodum perseverabit. Quid est ergo mortales nunquam derelicturus fomes peccati, languor naturæ, nisi peccatum? de quo Apostolus: *Jam non ego operor illud, sed peccatum quod in me est* (*Rom. xvii, 20*). Num dicitur peccatum non culpæ: verum unde contingat peccare.

Quod si verius est protoplasti post casum, hoc in statu mortalitatis neminem neque ad momentum adeo expurgari, ut omnino nulli subiaceat peccato, talis utique culpa exquirenda est, quæ aut baptismo aut pœnitentia excusari queat, tolli nequeat: (140) quod fortasse Scriptura sentit dum nec infans unius diei absque peccato conceditur, atque *omnis homo mendax* (*Psal. cxv, 11*), pronuntiat.

Igitur infans duorum criminum reus, originali culpæ implicatur et propriæ, originali quia de Adam, inquit Apostolus: *In quo omnes peccaverunt* (*Rom. v, 12*). Propriæ, quia dicit Augustinus (141) concupiscentiam cum parvulis nasci, in baptismo a reatu solvi, ad agonem relinquere. Concupiscentiam ergo quoniam egeat venia, liquet esse noxam, quoniam eum parvulis nata, et post baptismum re-

(138) Magist., II, dist. 33.

(139) Aug., I, 1, De nupt. et conc., cap. 26.

(140) Vide Notas.

(141) Lib. VI, contra Jul., c. 19; lib. II, De pecc. merit., c. 4; De nupt. et concup., c. 26, etc.

manet, liquet esse assiduam. Sed cum ratio non A
 sinat citra discretionem, aliquid boni fieri vel mali,
95 concupiscentiam necesse est accipi noxam, non
 utique actualem, verum quia cum parvulis nasci-
 tur, naturalem, hæc est enim fomes peccati, reli-
 qua fovens promovensque peccata. Hæc est quæ
 ætate puerili quasi latibulis excubat, ut tempore
 suo in palam prosiliat, ad male agendum pronos
 redditura, unde declives propendeant ad vitia. Ago-
 nistas ergo aut decoros efficit aut inglorios, dum aut
 resistitur male incitanti aut consentitur. Adam dum
 nequiter concupivit hanc sibi invexit, nobisque hæ-
 reditariam dereliquit. Merito igitur concupiscentia
 nuncupatur; quia concupiscendo est edita, et concu-
 piscere movet illicita: quam si quis (quoniam in
 Adam præcessit, et ab ipso ad posteros defluxit) B
 originale appellare malit, nec devius fortasse vi-
 deatur nec absurdus; nisi forte quoniam dum et
 istud originale peccatum pronuntiatur, bina origi-
 nalia contra usum Scripturæ inducuntur. Anne
 Scriptura, dum alterum memorat, alterum subti-
 cendo negat? Est etenim illud originalis culpa, et
 dicitur: Est fortasse et illud, sed non adeo dicitur.
 Nonne tamen quodammodo dicitur, dum cum par-
 vulis nasci perhibetur; quippe cum parvulis non
 nasceretur, si parentes, et primi in nativa puritate
 perstitissent; non autem innasceretur omnibus,
 nisi omnium esset? Nonne igitur originalis convin-
 citur, eo quod omnes invadit ad quos a parentibus
 etiam primis proficit? Alterum tamen sibi nomen C
 hoc quasi proprium vindicavit. Sed quare? Ignoro,
 nisi forte quod et concupiscentiæ et totius mali
 origo fuit. Nam quamvis concupiscendo ad esum
 ventum sit mortiferum, non antevenisse concupi-
 scentia esum videtur, sed subsecuta; quippe si post-
 quam perperam cupitum est, ab esu mortifero tem-
 peratum fuisset; nec mors erat inferenda forte,
 nec quæ ejus comes est, concupiscentia. Nam ni-
 mirum ut mors, ita ipsa, non inobedienciæ causa
 est, sed pœna. Cum tamen parvuli originaliter di-
 cuntur rei, concupiscentia aut sola aut maxime vi-
 detur incusanda. Nam si parvulus duorum est reus,
 alterius in se, alterius in parentibus, nonne ratio
 est magis quemque obligari proprio quam alieno?
 quomodo tamen alieno, cum filius non portet ini-
 quitatem patris? (*Ezech. xviii, 20.*) Portant for-

(142) Magister, II, dist. 53.

(143) Aug. Enchirid., c. 46 et 47.

lasse posteri iniquitatem antecessorum, tamen fi-
 lius non portat iniquitatem patris. Ex quo enim hic
 pater, ille filius appellatur, neuter neutri culpa
 obligatur; sed *anima quæ peccaverit ipsa morietur*
 (*ibid.*). Quid est tamen *ipsa morietur*, nisi sola abs-
 que alia proprio de crimine puniatur? Judex enim
 justus cuique quod suum est reddit, non alterius
 onus alteri imponit, Apostolo enim teste: *Unus-*
quisque onus suum portabit (*Galat. vi, 5*).

(142) Quod si Scripturæ obstat nec rationi placet
 alterius ex reatu in altero persequi innocentiam,
 peccatum etiam Adæ exigi nefas est in succes-
 sione, nisi forte puniantur peccata parentum in fi-
 liis, sed ante baptismum; filius vero non portet
 iniquitatem patris, sed post baptismum. Unde vide-
 tur propheticus sermo metam proverbio fixisse illi,
 quo dicebantur patres acerbam uvam comedisse,
 indeque filiorum dentes obstupescere (*Jer. xxxi,*
29): (143) patres acerbam uvam comederunt, dum,
 unde læderetur natura, admiserunt; dentes filio-
 rum obstupescunt, si ex culpa parentum ad bene
 agendum tardiores fiunt. Sed proverbium hoc si
 ante baptismum stat, post cessat.

Quod si hæc quam altera veritati est sententia
 prior, nostra tamen a capacitate longe est re-
 motior. Parvulis ergo originaliter reis concupi-
 scentia aut maxime, aut sola (144) originalis est
 macula; *maxime*, si et alieno tenemur peccato;
sola, si soli obligamur proprio. Quippe concupi-
 scentia a prima origine procedens ad finem usque
 perveniens, fœdum post se ubique relinquens vesti-
 gium, rectius macula filiis deputatur originalis,
 quam quæ ipsa in origine desedit, eamque solum
 inquinavit. Sed quoniam mors quam prohibiti esus
 constat esse pœnam, per omnes pertransiit, nemo
 fortasse, merito videatur moriturus, nisi ejusdem
 comestionis habeatur reus. Sed tamen haud injuria
 is letho debetur, **96** quisquis ex ipso esu ad con-
 cupiscendum infirmatur, potest illud primum solum
 proprie singulorum dici originale peccatum, non
 quod filius portet iniquitatem patris, verum quod
 illius judicantur rei, dum inde natæ sunt concupi-
 scentia subjecti; quod in baptizatis dimitti (145)
 dicitur, dum quæ ex ipso est concupiscentia con-
 D donatur.

(144) Consule notas.

(145) Aug. I. 1, De nupt. et concup., c. 26.

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

Peccatum iter cælo debitum retorsit ad infernum.

Humanum ergo genus in parvulis originaliter de-
 coloratum, in adultis ex iniquitate originis et

actualiter depravatum, iter quod cælo natura debe-
 bat interdicto retorquens, ad infernum celerato
 gradu transmigrabat, repatriaturum nunquam, nisi
visitasset nos oriens ex alto (*Luc. I, 78*), scilicet

Dominus servos, medicus ægros, utrisque oriens A ex alto suo visitavit, atque curatos jam reserata cœli janua domum reduxit. Non quidem statim: quippe diu distulit, ut invaletudinem suam experti minus ingrati suo existerent liberatori. Nam, ne nimis in libero arbitrio confisi præsumptuose sibi arrogarent, quod per se declinare a malo ac facere bonum atque utramque rem nosse valerent, cum frontis sit nimium attritæ, hæc aiii quam Deo imputare; ut quid possent per se, experimento discerent, longo sibi tempore relictis sunt: jugiter ergo in deteriora prolapsi mirum in modum vita sorduerunt, ratione caligaverunt.

Sed ne indigentes curatore, præsentem ex ignorantia recusarent, præmissi sunt prophetæ, qui et sæpe et multis modis, eumque, ejusque facta atque dicta multiplici descriptione explicarent: unde ægroti et futurum sperarent, et venientem cupidi susciperent; suscipere autem si nollent, jam excusationem non haberent in peccato suo.

Item ne homo, licet corpore sopitus, excitante doctrina melius ad studium facile videretur per se experrecturus, lex est lata quæ bene quidem doceret, sed auxilium non ferret. *Tendimus in vetitum semper.* Quod minus ante placuit, cum prohibitione cœpit magis placere: gratia quippe destitutis proprium est, ut in prohibita inardescant, unde sese gratiosi refrenant. Lex utrisque proponitur. Sed hi gratia promoti, dum obediunt, meliores fiunt. Illi eadem gratia derelicti, dum resistunt de- C teriores necessario recedunt. Ergo homines tempore rationis mali, post tempore legis pejores sunt facti: non tamen omnes; siquidem quasdam sibi reliquias in utroque tempore Dominus reservavit. fide venturi ¶7 illustrans mentes. Ante legem pauciorum atque minus; sub lege plurium atque plus; sicut tempore gratiæ longe plurimorum atque copiosius.

Fuere tamen nonnulli et ante legem ut Abraham, et extra legem ut Job, plerisque sub lege constitutis veritatis futuræ longe capaciores: sicut et in lege prophetarum chorus nostræ veritatis plus multo hausit, quam nos nostra in lege minus eruditi vix summam Christianæ doctrinæ capientes: Deus quippe tunc locutus est in visione sanctis suis (Psal. LXXXVIII, 20), quoniam quæ prædicebant, revelante Deo, prophetæ intelligebant. Unde propheta: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (Psal. XLIV, 2), id est Spiritus sancti sine cruciatu studii me loquentem docentis. Non omnino tamen prophetis defuit studium eodem Propheta testante: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam* (Psal. XLVIII, 4). Noverunt itaque secreta inspirati eo qui *notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas* (Psal. CII, 7); non quidem ipsis tollendo studium, sed in studio cruciatum,

ut prudentiæ mens intenderet, intentam Deus veritate illustraret. Horum ergo trium homines temporum quantum postremo accedunt, tantum pro studii qualitate aut fœdiores aut illustriores agunt: quippe *cui plus committitur, plus ab eo exigitur* (GREGOR.) singulis, fide, temporibus triumphante, teste enim Apostolo: *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. II, 6). Nam et juxta Prophetam: *Justus ex fide vivit* (Rom. I, 17). Tempore enim quocumque, quem Deus elegit, fide nostra, ut dictum est, insignivit, ut ex fide justus ex justitia fieret beatus: via quippe alia ad vitam nulla est, scilicet adultis.

CAPUT II.

Ante et in lege quid pro parvulis intercedat et majusculis.

(146) Nimirum sicut parvulis et nostro tempore sola remediatur regeneratio, ita ante legem, tempore quoque legis apud illos quibus lex lata non est (ut nonnulli (147) tradunt) majorum natu intercedebat, aut sola fides pro parvulis, aut sacrificium pro majusculis, quemadmodum in domo Abra æ circumcisio: nam quamvis ætas puerilis ante usum rationis nihil tale committat, unde reatum trahat, unde miramur, illi qui nihil egerit mali quid opus sit remedii, in tantum ut absque eo, perpetuis debeat tormentis. Quod utique ignoramus modo, sciemus tamen in futuro, originaliter usque adeo sorduisse, ut absque actu proprio, nisi remedialiter subventum fuerit, jure debeat gehennæ.

Sublato tamen vitio sine remediis, poterat auctor naturam salvare; sed noluit, ne aut parva, aut potius nulla culpa videatur, si pro ea recompensatio nulla exigatur. Quod tamen si fieret, nec unus periret, essetque lucrum malis, damnum bonis. Lucrum malis, quia non perirent; damnum bonis, quia minus boni existerent quam modo, cum experti fragilitatem fiunt humiliores, cum cernentes justam impiorum perditionem de sua liberatione Salvatore fiunt gratiores. Sed Domini consilium est bonorum damna magis fugere, quam malorum lucra quærere. Jure ergo singulis sunt statuta remedia temporibus etiam parvulis; unde susciperent aut cassi perniciem, aut consecuti salutem.

CAPUT III.

Quando circumcisio et quid fiebat præmortuo.

(148) Sed circumcisio octava die suscipienda indicitur. Nam prius circumcidi nefas reputatur (Levit. XII, 5). Qui ergo inter natalem et octavum præmoritur diem, num quia caret remedio subjacet supplicio, sicut nostro tempore cui baptisma deest? Sed quotiescunque opus est baptizari licet. Verum circumcidi, ut dixi, non nisi octava. Sicut ergo ab ortu in postmodum apud nos absque baptismo salus non est, quoniam tempus remedii semper adest; ita apud illos ¶8 ante octavam, nulla ut videtur damnatio nard., ep. 77.

(148) Magist., IV, Sent., dist. 1.

(146) Magist., IV, dist. 1.

(147) Greg., lib. IV Moral., cap. 5. Cyprian., lib. De Circumcis. Aug., I, IV cont. Jul., cap. 5. Ber-

nerat, quoniam lex circumcisionis nondum agebat.

Baptismus generalis est quoniam omnibus indicitur, circumcisio non est quoniam solis Judæis mandatur, nec eis omnibus, quoniam muliebrem sexum circumcidi non est inveniri. Virilis ergo sexus debet se circumcissioni, scilicet ex octava: unde lit ut ante octavam mortuus, hujus debiti nihil teneatur reus.

(149) Sed dices: *Utique reus non est circumcisionis futuræ, sed prævaricationis antiquæ: et quoniam non accepit remedium, nec evadit cruciatum.* Sic posse fieri non negem; sic autem fieri non facile putem, præsertim cum parvulæ non pereant, et circumcissione careant; cur pereant parvuli dum nefas est circumcidi? Quod si quid est unde subveniatur illis, sit quoque aliquid unde succurratur et istis: nam quis tantam horum et harum multitudinem addixerit perditioni, cum misericordiæ fuerit divinæ; ut licuerit præsumi potius sacramentum, quam tot hominum consequi periculum. Sed nec mulieri circumcisio competebat, nec ante tempus viro, quoniam sacramentaliter siebat. Nam, cum omnis anima, quæ circumcisa non fuerit, de populo peritura pronuntiatur, more Scripturarum quod est partis toti datur, quoniam de solis intelligitur maribus illis quos mors præproperea non subripuit.

Quid est ergo tenendum de illis quibus in utero licuit animari, nec licuit nasci? Et quidem apud nos sanctorum Patrum eruditione certum est, suis natis seu innatis, baptismo tamen cassis, nihil sperandum nisi supplicium: unde cæsis matribus extractos, licet mortui sint reperti, mater Ecclesia more debito a communi fidelium gremio eliminat cœmeterio; suo quippe sinu minime dignatur, quos tametsi in hominis specie, in sacramenti non novit perceptione, dumque eos suo gremio depellit, suos minime intelligit. Quod si quando sepelit in utero habentem non recipit tamen gentilem, ecclesiasticæ nimirum disciplinæ est, materno utero qualibet occasione exceptos, si caruerint baptismo, non honorare cœmeterio: maternæ autem pietatis est, prægnantis filiæ quamvis jam mortuæ viscera nequaquam confodere, nisi forte speretur partus posse exsiccari vivus. Necessitas ergo compellit jam jam moriturum, de oppressione ventris jam mortui exiraere, alioquin humanitas non sinit obstrusa viscerum secando rimari, tolerabilius putans intra mortuam mortuum loco non sibi debito inhumare, quam naturæ secreta latere volentia nimis inhumane aperire. Justitia exigit a matre jam separatam, matrisque consortio indignum, suo collocare loco.

Quoniam ergo percunt innati tempore novitatis, nunquid et perierunt tempore vetustatis? Sed cur perierint innati qui non perirent nati, nec apud Judæos, quippe nec dum circumcidendi, nec apud gentes fide majorum excusati. Cur non potius ea

(149) Mag., supra § ult.

A causa profuerit in utero si quæ ab utero valebat, aut apud Judæos adhuc incircumcisis, aut apud gentes paulo ante natis, nisi forte hujusmodi ponas remedia infantium, quæ ante partum fieri nequiverint; alioquin præsens remedium intra ventrem, haud secus ac extra valuisse putabitur.

Quod si ex Judæis modo editos nullis æstimas remediorum egere subsidiis, quoniam illius unici remedii (cui soli, Deo præcipiente, se debent, scilicet circumcissionis) se tempus nondum obtulit; temerariumque putas aliud interim ex te remedium fingere, quod non didiceris ex lectione, qua ratione a reatu natos liberes, non natos obliges, nisi his noceat includi ventre, illis valeat ex utero processisse? Sed cur valeat alterum, noceat alterum, cum nec sit vitium istud, nec virtus illud?

B Gentium vero parvulos, si parentum fides natos salvat, nonne consequitur et priusquam nascentur morte præventos, a morte secunda eadem fide eximendos? Si enim penes se nihil salutiferum obtinentes solam parentum fidem expectant, quomodo in nullo circa se mutati (quippe nascentes locum mutant, se non mutant): quomodo, inquam, quam expectabant suscipiunt, modo opitulaturam, modo nihil profuturam? Si ergo parvuli gentium absque remedio pereunt, cur non et Judæorum! Si autem fides parentum remedio est istis, cur non et illis, præsertim cum ante circumcissionis distinctionem, pares inter se reputentur, quoniam Deus personam hominis non accipit?

C Quod si fides parentum pro pueris apud Judicem interpellat, num proximorum, an etiam ulteriorum? Nam si quotuscunque parens pro nascituris Deo astare perhibetur, nemo puerorum usque ad diluvium periit, quoniam Noe vir arduus fide ad omnium opus anteivit. Sed nec ante diluvium debuit quis interire, quoniam et ipse Adam insignis exstitit fide. Sin vero, ut potius æstimo, contemporaneorum est pueris credendo, majusculis sacrificando subvenire: nec mirandum unde manaverat periculum, inde emicuisse subsidium. Procul dubio apud gentes innumeros, apud Judæos fortasse nonnullos, perfidia parentum obligavit miseræ; forsitan non quia nocuit, sed quia non profuit. Fidem parentum dixi prodesse filiis, num ergo qui cura etsi non natura parentem se exhibet, alumno quem suscipit credendo succurrit? nescio, non tamen nego

CAPUT IV.

Filio patris puritas prodest, fœditas non nocet.

Vide quantum genitis puritas valet patris. Deus genitos profligaturus erat, eorum abominatus maculam, sed ex quo patris puritatem respexerat, debitam genitis iram remittebat: generositatem parentum intuitus, natorum ignominiam est oblitus. Num similiter ex fœditate parentum probra augescunt puerorum? Haudquaquam ita constat. Nam nec genitoris probitas modo geniti munditiem sacramento procuratam accumulare æstimatur. Si ergo,

ut plerique autumant, parvulis suis paterna probitas utilis erat, fortasse ideo ne de periculo innocentium pietas patrum consternaretur, in tantum procul dubio valebat, ut insontes peccato originis expiati non perirent; in tantum fortasse non valebat, ut expiati tanto præcellerent, quanto ex præcellentioribus nati fuissent. Nam, sicut parvulos nostri temporis, æqualitas baptismi sibi certissime cœquat, sicut sub lege differre non poterant inter se quos indifferens circumcisio expiabat; ita similitudinis ratio postulare videtur, ut antiquo in tempore gentium, lactentes inter se autumemus pares per reconciliationem, quos haud disparem credimus per originis iniquationem. Nisi forte apud nos et in lege identitas sacramenti assistentis infantiae pariatur æqualitatem; apud gentes varia sanctorum Patrum merita, quæ intuens Deus pueritiæ pepercit, ingesserint varietatem. Parentum ergo honestas parvulis quondam suis causa, ut aiunt, salutis exstiterat.

CAPUT V.

Filius pro malo patris punitur, pro bono remuneratur.

(150) Sed nunc quoque sicut tunc filios tam parvulos quam adultos, etiam bonos, patrum flagitia exurunt: unde immeritos miseris modis torqueri dolentes miramur, donec introeuntibus in sanctuarium Dei liber vitæ consultus respondeat, filios cædi in dolorem parentum, in proprii meriti augmentum. Nam et dignum est scelestos patres sic quoque flagitiorum argui; et salubre est, cœlestes filios in commodum patientiæ flagris atteri. Unde forsitan dicitur: *Puniam peccata parentum in filios*, quod de malis intelligitur filiis: (151) unde et Propheta in tormentum Judæ filiorum ait: *Nutantes transferantur filii ejus et mendicent, ejiciantur de habitationibus suis* (Psal. cviii, 10). Et item: *Fiant nati ejus in interitum* (ibid.). Vulgata enim sententia, **100** mortuorum increescere cruciatus, ex vivorum quos amaverunt cruciatibus; quos ab inde venientibus discere sinuntur, ut hinc quoque tortiones exaggerentur. Aut si quando mortui quid patientur, viventes chari minime sentiunt: nihilominus tamen vivi in terrorem viventium flagella forte ferunt pro sceleribus decessorum. Ergo ex peccatis parentum filii persæpe puniuntur, aut parentibus in cumulum malorum, aut in terrorem aliorum: unde filii Heli merita animadversione intereunt (I Reg. iv, 4), ipsi quoque in perniciem.

Econtra quoque filiis, ut videtur, bona nonnunquam importat parentum religio, in alacritatem ipsi in exemplum aliis. Cur enim sub lege fusa Deo prece, posteris sibi propter Abraham postulavit subveniri, nisi quia sentiunt Deum, dum respicit bona patris, bona conferre filiis? Ordine quoque verso, patrum natis aut bonorum mala dispensantur in probationem, unde filiis Job mala inferuntur,

A ipsi quoque in frugem; aut malorum bona in de- tractionem; quippe patres natorum et mali bonis efferuntur, et boni malis exercentur: nam dum ingruunt adversa vir fortis contra onus insurgit, roboraturque rerum in contemptu mortalium. Intemperans autem dum affluunt optata, falsa jucunditate captus, a contuitu veri boni cupidine mala quasi inextricabili unco retorquetur.

Bona aut mala filiorum quid pariant sum partim exsecutus, quippe sciens iisdem ex causis alios et alios provenire effectus: illos tamen maxime prosequendos, quos usus objicit, aut ratio exposcit. Sed dum bona parentum seu mala ad natos reflectimus; objacere capitulum illud videtur: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (Ezech. xviii, 4). Item illud quo redditurus enuntiatur Deus unicuique juxta merita sua. Si ergo statum futuri sæculi attendimus, et malorum unusquisque onus suum portabit, et bonorum nemo meriti recompensatione carebit. Verte oculos ad præsentariam conversationem nostram. bona malaque aliorum aliis aut prodesse aut nocere videbis: nec ex tali permistione quoquo veritas oculos acceptionem personarum cogites apud Deum (Galat. ii, 6); Deus enim personam non accipit, sed ad commodum reipublicæ, quam proponendo suscepit, modo aspera, modo lenia disponit. Nam cum filios propter parentes malos quidem, hunc flagellat, bonos autem, illum honorat; si sola parentum merita distinguit, ut istum amplectetur, illum aspernetur, acceptio fortasse est personarum; C sin autem dum dura dividit et mollia, non adeo patribus intendit, quam fructum quærit, quis locus calumniæ restat? præsertim cum proprie acceptio personarum non sit, nisi quando pompam sæculi intuitus, quem levat admiraris quem nescit dignaris.

Quod autem varietas paterni meriti, varietatem statuum non pariat in filiis, patet, dum ex identitate paterni meriti, alternationem suscipiunt filii; dum ex diversitate paterni meriti, similitudinem suscipiunt filii, nunc miseriæ aut virtutis nunc vitii aut jucunditatis: quippe ex patre, tam bono quam malo, indifferenter prodeunt filii boni atque mali, felices et miseri.

D Non est tamen abnuendum quin propter patres filiis aut bonos bene, aut malos male plerumque cedat; acceptionem personarum, altrinsecus Deo semovente, quoniam summæ religionis dispensator, dum singula merito modo disponit, haud unquam morbo nobilitatis favorem suum accommodat. Nobilitas quippe mundialis dum desipit, elationi attinentia venerari, humilitati obnoxia abominari, ordine subverso consuevit.

CAPUT VI.

Cur vetus lex tantum Hebræorum, et nova sit omnium.

(152) Sed digressi longius, redeamus, sciscitantes

(152) Mag., iii, d. 40.

(150) Mag. ii d. 33.

(151) Aug. in Ps. cviii, ad hunc versum, etc.

cur legem et circumcisionem uni tantum familiæ, **101** videlicet Hebræis, proponi oportuit. Nam si absque lege non esset salus, latio legis proposita fuisset universis. Sed suffecit quibusdam institui, ut in paucis instruerentur universi quantæ fuerit infirmitatis : *Lex enim neminem ducit ad perfectum* (Hebr. vii, 19) : quanti oneris, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus ; atque ideo ad illum alacres confugerent, cujus *jugum suave est et onus leve* (Matth. xi, 30) ; cujus intentio est, legis initia consummare. Lex ergo legem, nova veterem secuta est, tanto perfectior quanto a perfectiore lata est ; sine qua quia salus non est, omnibus mandatur.

Nam sicut Veteri Testamento stante et extra salus erat, ita Novo dato non nisi intra. Unde lex prima omnibus indici non debuit, ut in ea omnium salutem minime quæramus, quæ mundo non toti, sed parti deputatur. Sed secunda, dum mundo toti imponitur, mundo toti salutifera insinuat. Et ante, et Mosaicæ legis tempore, *salus est ex gentibus*. Unde utique non ex lege salus est et Judæis, sed quoniam juxta Apostolum : *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata* (Hebr. x, 4) : quamvis ritus sacrificiorum inter legalia primatum obtinuerit, neque Judæis salus est ex lege. Unde ergo ? utrisque ex fide ; nam teste Apostolo : *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6). Sed una est fides sicut, et baptisma, procul dubio nostra quæ per dilectionem operatur. Hæc est lex nova : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (Joan. xiii, 34). Charitas quippe non est extra fidem. Nam si charitatem habet, justus est. Justus autem ex fide est. Unde illud : *Justus ex fide vivit* (Rom. i, 17). Lex ergo nostra perfecta est, ex qua omni tempore salus est, utique perfecta : nam quod vetus lex inchoavit, nova perfecit.

CAPUT VII.

Quomodo Dominus attrahebat populum.

(153) Ibi quoniam parvi magnificum omne recusarent, infirma infirmis promissa sunt ; ita tamen ut ex beneficio auctoris, aliquas vel factu faciles vitæ susciperent emendationes, nonnullis vitiis, quorum prohibitionem facere nondum poterant, remanentibus. Unde amicos diligere mandatum est ; inimicum odisse prohibitum non est ; poterant fenerari alienis, non licebat proximis (Matth. v, 43). Læsis talionem exigere permittitur, excedere paritatem non conceditur. Conjugem quibusdam de causis dimitti fas erat, imo et plures simul habere nefas non erat. Dissidium permittitur, ne homicidium incurratur ; conjux conjugem dimittebat, quod utique malum, at permissum erat, ne tenere coactus jugularet invisam, quod procul dubio longe deterius foret. Ac per hoc non licebat, unus multas ducebat, ut multiplicata generatio populum multiplicaret, quem gentium circumfusa multitudo ex omni parte contundebat. Unam mulierem multis nubere nefas est, quoniam sola de multis concipere non valebat.

(153) Magist., III, dist. 37.

Sic Dominus factu facilia, at tamen bona mandans, mala quoque at nondum resecanda dissimulans : populum adhuc tenerum cultui suo attrahebat, nunc terrore, nunc promissione eorum, quæ inter molles aut commoda putantur aut incommoda.

CAPUT VIII.

An merito damnari, an ex misericordia debuit salvari.

(154) Populum ergo qui damnis territus, lucris captus serviebat, pauca parvaque bona agens, multa magna malaque committens, utrumne ex merito damnari, an ex misericordia salvari oportuit ? Sed cum judex sit justus, unde sceleratis salus ? quoniam autem hæc scelera lex non prohibet, faciuntque nihilominus quod ipsa jubet, si judex est justus, quomodo obedienti negetur salus ? Nam si prædicta vitia habentibus erant periculosa, nonne male decepit, qui quasi nihil nocitura aut subitendo aut scribendo concessit ? Si ad reatum est solo aut timore, **102** aut cupiditate temporalis, aut commodi, aut incommodi Deum colere, cur voluit ab impietate damnis absterrere, ad pietatem lucris incitare ?

Et quidem religio perfectionis, quæ utique Christianorum est, hujusmodi sordes non recipiens, apud quos et *Ignorans ignorabitur* (I Cor. xiv, 38), alio timore, ejus scilicet, *Qui potest corpus et animam mittere in gehennam* (Luc. xii, 5), inchoatur ; alio desiderio, ut scilicet *videatur Deus Deorum in Sion* (Psal. lxxxiii), consummatur. Firmis et infirmis alia et alia proponenda sunt, nec enim eadem pro sunt ; firmis solidatur salus, aliis autem languor aut lenitur aut curatur.

Num ergo qui sub lege erant spiritualiter ægroti mandata acceperunt non ad restitutionem salutis, verum ad lenimentum damnationis, ut *Non sit hæres filius ancillæ cum filio liberæ* (Gal. iv, 30) : videlicet populus Synagogæ cum populo Ecclesiæ : ut sit judex et justus dum perdat sceleratos ; et pius dum pœnam temperet cum temperamento delinquentibus ? Sed jam totus ille populus cum perditis est deputandus, nisi si qui, inter multos paucissimi, Christiana perfectione eminebant. Verum adversari videtur, quod peculiaris ille populus Dei legem sibi latam, necdum terminandam, secundum instituta sua observans jure perierit, cum ventilata et faventibus scriptis fulta sententia contineat, legem tempore suo obtemperanti valuisse ad salutem. Unde Apostolus : *Circumcisio quidem prodest, si legem observes* (Rom. ii, 25). Nam si circumcisi lege servata periissent, malum fortasse minuisset, non tamen profuisset. Dominus quoque ad apostolos et in apostolis ad nos ait : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. v, 20). Ergo Christianorum major esse debet justitia quam Judæorum : quod si major Christianorum, aliquam necesse est esse et Judæorum ; unde quoniam salutis justitia

(154) Mag., ubi supra.

causa est, si servantes legem adepti sunt justitiam, adepturi procul dubio sunt et salutem; alioquin et patriarchas, quorum salus dubia non est, infernus miseris teneret, qui in ipso religionis fastigio, non unam sed plures conjuges, non succedenter, sed simul sine pœnitentia habuisse videntur contra statutum Creatoris: *Erunt duo in carne una* (*Matth. xix, 5*), contra legem Christianæ perfectionis. Utique nihil tale viri, vel parvæ sanctitatis admisissent, si inibi periculum animæ æstimarent: saluti autem intentos damnabilia latuisse, imo et legem fefellisse, dum facinora aut prætermittit aut permittit, nefas est (155). Quæ ergo apud nos tanquam flagitia gravissima animadversione feriuntur, ut sit Christiana undique versum defæcata religio, apud antiquos divina maluit dissimulare censura, dispensans utrique tempori, pro modo quem dabat et competebat gratiæ, nondum quoque vitæ.

CAPUT IX.

Gratia Judæo minor erat quam Christiano.

Decebat namque ut minor gratia minores informaverit, adventu Christi major informatura majores. Qui tamen, ut suas declararet vires, antequam veniret, aliquot præmisit dignitate meriti insignes, et ob hæc baptizatis bonis præferendos quamplurimis. Igitur Dominus noster misericors erat, dum antiquis onus portabile imponebat. Justum nihilominus se exhibuit, dum quæ non prohibuerat vitia, nec punivit (156). Unde sceleribus non paucis fœdatos, nec vita comitæ emendatos, imo nec fœdos nec emendandos (quiæpe permissione excusatos) legem nihilominus præ posse, quoniam nemo plene, implentes, sinus Abrahæ ex misericordia Dei excepit, imo et cœlum jam habet. Namque onus quod, ut Petrus de gente sua docuit, *Neque nos, neque patres nostri portare potuimus omnes* (*Act. xv, 10*), docente Moyse: *Maledictos omnes qui non fecerint omnia quæ scripta sunt in libro legis* (*Gal. iii, 10; Deut. xxvii, 26*): quod quia nemo potuit, sub maledicto conclusit; hæc causa, ut tempore gratiæ deserentes lætissime gravissimam legem operum, confugerent ad onus leve Christianæ legis; in qua voluntas sancta, et sine opere beata æternitate donatur, ut per Moysen inchoati, **103** per Christum mererentur consummari.

Sedisti ad mensam divitis, scito quia similia oportet te præparare (*Eccli. xxxi. 12*) (157). Dives Christus; cujus est terra et plenitudo ejus; mensa divitis, refectio corporis et sanguinis; sedere, a vitiis cessare, rectis studiis quiescere: hæc est feriatio Christiani. Divitis ergo ad mensam sedisti, dum conviviva dignus eucharistiam percepisti. Eucharistiæ autem perceptio, Dominicæ passionis est commemoratio. Unde Dominus eadem in mensa discipulis ait:

(155) Chrysost., hom. 56, in Genes. 30. Ambros., lib. i. De Abrah., c. 4.

(156) August. ep. 163. Hic revera vidit quod videndum erat; alia tunc licuisse justis. Hæc enim prophetico spiritu auctoritate Dei faciebant, qui

A *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc. xxii. 19*) (158). Ergo, dum sanguis tibi infunditur de calice, memineris pro te sanguinem Christum fudisse ex latere; dum corpus Christi quasi conterendum ore sumis, Christum pro te tribulatum reminiscere, verum autem reminisceris, si duras Christi vias imitaris, quoniam *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (*II Petr. ii. 21*). Quod si dum sumis Eucharistiam, Dominicæ passionis ita memor es, ut etiam imiteris, tunc sedens ad mensam divitis, vere scis quia similia oportet te præparare.

B Sectans ergo duram et arctam viam quæ ducit ad vitam, quomodo jugum Christi tibi suave est et onus leve, si scandala quæ supra numerum juxta iter posita sunt, intueris, quæ per hanc vallem lacrymarum via ducit ad vitam arcta cernitur, quia laboriosa simul est et periculosa. Idem tamen iter quod propria asperitate vix quidem toleratur, interminabilis quo ducit jucunditatis consideratione, jugum suave est et onus leve. Et quoniam quidem *Spiritus promptus est, caro autem infirma* (*Matth. xxvi, 41*): quod rationem mire delectat, carnem valde gravat. Charitas omnia sustinens, quantumlibet onus portabile reddit; sensualitas suavia quærens, quidquid est diversum fastidit; unde vir magni meriti convincitur, qui quod injustum, quantum in se est, odit, quod justum est requirit.

C Lex quoque vetus, si attendis universitatem mandatorum, importabilis est. Si eorum qualitatem contemplaris, qua multa conceduntur infirmis, tollenda perficiendis, jam tolerabilis est. Itaque Dominus noster mandati numerositate testamentum vetus oneravit, ut novum quæreretur, onus multiplicatis qualitate præceptionis temperavit, ut vetus teneretur, dimittens quod offenditur per numerositatem, reddens, quod bene agitur per temporationem. Ille *Miserationes cujus super omnia opera ejus* (*Psal. cliv, 9*). Quis enim calumniatur, si prudens Deus, quædam facta facilia, introducens proposuit, quædam autem, licet pretiosa aut fœda, sed solum docenda promotos subticuit? Quæ autem hac ratione non fuerant mandanda præceptori, utique nec erunt exigenda judici, *An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est?* (*Matth. xx, 15*) nonne *cui vult miseretur* (*Rom. ix, 18*).

(159) Fortasse [Legatur] tamen quos Deus ex illo populo saluti destinavit, eos quoque ante finem vitæ evangelica institutione consummavit. Hoc utique dici potest, sed non est necesse. Verum qualescunque fuerunt hic morantes, hinc recedentes, illius ad quam tendebant patriæ moribus honorati sunt. Quod utique nunquam obtinuissent, nisi prius Decalogum servassent; servari autem non poterat, nisi tria ex

procul dubio novis, cui etiam prosit occidi, etc.

(157) Aug., ser. 45, De sanctis.

(158) Gregor., hom. 22, in Evang.

(159) Hugo Victor., lib. i, De sacr. parte x, c. 6, etc.

dilectione Dei, septem autem servarentur ex dilectione proximi, legis ergo impletio, Dei et proximi dilectio : unde qui charitatem habuerunt, ii solum legem implentes sinum Abrahamæ meruerunt.

CAPUT X.

Qui perierunt, qui boni, qui perfecti.

Erant enim in illo populo quamplurimi, dum Deum colerent, terrena attendentes, haud amantes justitiam, solum timentes pœnam : ii quidam omnes, quoniam charitatem amplexi non sunt, merito perierunt. Inter quos quasi dumos, rari boni velut rosæ redolebant; quibus primum quærentibus regnum Dei, quem magis amabant, licebat quærere et amare quæ sunt mundi. Nonne ergo Deo serviebant et mammonæ? (*Matth. vi, 24*) potius Deo serviebant propter **104** ipsum, Deo serviebant et propter mundum. Boni utique, sed nondum perfecti. In quantum Deo serviebant propter ipsum boni erant, quia Deum diligebant; in quantum Deo serviebant propter mundum, nondum perfecti erant, quia vanitatem amabant. Perfecti inter eos erant qui temporaliter felices esse non curabant, ut is qui dixit Deo : *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis* (*Psal. LIX, 15*).

Minus ergo perfecti Deum diligebant et mundum. Verum si plus mundum, aut æqualiter amarent utrumque, Deo servirent et mammonæ; nunc autem quoniam si in arctum ventum sit, ut scilicet in alterutro offendendum sit, id plane respiciet quod duxerant amœnum, antequam vel in minimo offendant Deum, Deo absque ambiguitate serviunt, non mammonæ : hæc est *Charitas quæ operit multitudinem peccatorum* (*I Petr. iv, 8*) in minus perfectis. Aliam in aliis utriusque Testamenti. Nam quamplurima a nobis vitia exiguntur, quæ antiquis non imputabantur, sicut charitatem necesse est esse aliam in nobis quam in illis; illis amplectentibus Deum, et vitia quædam (160), ut dixi, amplecti licebat, quæ jam tunc perfecti aspernari malebant. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam* (*Psal. x, 6*). Illi diligentes amicum, oderant absque periculo adversarium, quem quoque sibi amandum, et tunc putabat vir plene bonus. Nos autem jubemur non modo amare, verum et benefacere inimicis (*Matth. v, 44*). Unde patet, licet Christiani præfulgeant religione, obsequentes tamen legi bonos fuisse. Nam lex legem insinuat, quam Evangelium declarat; lex mores instruit, quos tempus illud requirit, et lex nostra consummat. Legem ergo circumcisionis servantes, necesse est fuisse bonos, ut pote fide instructos; moribus nitidos, illos præsertim, qui se Christo conformabant, quem prophetico spiritu prænoscebant.

Cur ergo lex vetus, lex appellata est servitutis et mortis, nova autem libertatis et gratiæ, secundum illud : *Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan. viii, 36*). Cum in utraque abundant servi, tandem proscribendi, rari sint liberi patris hæreditate donandi. Nam sicut verba veteris, ita et novæ legis, (160) Scilicet quæ jam apud nos talia sunt.

A frustra instrepunt auribus nisi operetur intus gratia Dei. *Littera enim occidit, spiritus vivificat* (*II Cor. iii, 6*). Sed Dominus per Moysen veteri populo veterem imposuit legem, in qua initia quidem edocuit bonæ vitæ, sed implendi auxilium non tulit. Quibus ergo omnibus fere. Nam licet gratia reconciliationis, omnibus ex circumcisione fuerit impensa, fœdus tamen initum ætate rationis plerique diruperunt, quibus merito Dominus auxilium in lege non tulit, nisi si quos, ut fit, ex errore revocavit. His omnibus lex erat servitutis et mortis. Lex servitutis, quia ex ejus accipiebant, et minis timorem ut qualitercunque servirent, et promissis cupiditatem ut id obnoxius agerent, sed per minas. Deus timorem dedit, ut caverent mala commoda autem multa obedientibus promisit, ut quæ sibi chara erant bona mundi accipientes, amarent largitorem, eique ex amore servirent. Et cum boni minantem timerent, promittentem amarent, malos solum timentes, charitate sprete cupiditas commodi invasit. Ergo pavore terrii, cupiditate rapti ex sese, cupiditate ex Deo, timore ex lege, legem servitute tolerabant, legem mortis, quoniam qui secundum legem agunt nec charitate id faciunt, pereunt rectissime, nec placere quærentes Domino, nec prodesse conservo.

CAPUT XI.

Quis timor a Deo, et cur Vetus Testamentum servitutis, Novum sit gratiæ.

(161) Timor ex Deo dictus est prodiisse. Sed quis timor? utique non ille quem Dominus prohibet, dicens : *Nolite timere, eos qui corpus occidunt* (*Matth. x, 28*). Num ergo ille quem subdit, dicens : *Illum autem timete qui corpus et animam potest mittere in gehennam* (*ibid*). Qui procul dubio donum [Spiritus est; unde illud : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal. cx, 10*). **105** Et illud : *Replebit eum spiritu timoris Domini* (*Isa. xi, 5*). Timetur quoque Deus, quoniam et in hoc sæculo molestias potest irrogare. Num et hic timor a Deo? sed si Deus facit se timeri propter futuram afflictionem, cur non pariter propter præsentem? Non enim ideo indecens est timere Deum, propter hujus sæculi mala, quoniam dedecus est timere hominem propter mundi damna. Sicut nec quia nefas est timere diabolium, ne in infernum trahat, minus bonum ob hoc est timere Deum ne in gehennam mittat. Qui Satanam timet, aut malum hominem propter adversa quæ præmitti possunt, mortiferam quærit pacem cum quo dissensio aptanda erat. Timor ergo per se fœdus, pacem parat fœdiorem. Est tamen quidam timor naturæ, quod horremus ex necessitate tortorem, non quidem accusandus, sed dolendus.

Lex ergo vetus servitutis est et mortis; nostra autem libertatis et gratiæ; sub lege enim circumcisionis, tametsi gratia conferatur, longe tamen major baptizatis, quibus præsto est caduca parvipendere, manentia præferre cum illis opus sit, ut quoquo saltem modo Deum colant, præter gratiam (161) Mag. iii, 37 et 40.

circumcisionis terreri damno rerum, ne ad prohibita deviant, attrahi largitione temporalium, ut Domini jussa vel sic ament. Nos ergo liberi gratis servientes; illi servi pretio conducti. Quod si nec sic amant, sub lege mortis degunt. Nos autem in nostra vivere possumus sanctissime. In ea enim datur gratia, unde vivatur libere. Nam quamvis timor Dei cultum præveniat, at charitas consummat. Unde Apostolus inter utriusque testamenti homines differentiam ponens, quales nos esse oporteat declaravit dicens: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum* (Rom. VIII, 15). Quod vetustatis est, negat, quod novi hominis est, postea affirmat. Tunc enim spiritus timore turbavit, ut vel sic cogeret servituti. Nunc autem charitate donat, qua instructi tanquam filii obediunt patri. Illi populo quoniam ante Christum non erant consummandi, timore dato religionem inchoavit, apud nos, quoniam Christum jam suscepimus, inchoatam consummavit: quippe tempus illud institutum erat timori, nostrum autem charitati.

Fuere tamen tunc temporis plerique boni, et inter plerosque nonnulli perfecti: qui omnes plus minusve, prout meritum erat vitæ, ex jure nostri temporis fidem, spem, charitatem hauserunt, ex jure circumcisionis legalia decreta toleraverunt. Isti sub lege militabant gratiæ, sicut e contrario quamplures tempore gratiæ degentes ad tempus vetustatis potius pertinere cernuntur, dum intentione caducorum Deo deserviunt: faciunt quidem quod debent, quia Domino serviunt, sed non quomodo debent, quia non propter ipsum, ac per hoc mali, licet collatione pessimorum boni, pessimi enim sunt, quia nec sic Deum colunt.

CAPUT XII.

Justos infernus sub lege recepit.

Sed cultores Dei sub lege quoque ad inferos (unde et Dominus descendit ad inferos) descendunt: non utique torquendi, nisi si quid restabat adhuc exurendum, sed visione Dei, unde solum consternarentur, carituri. Nihil enim aut parum de loci qualitate fuerat curandum, si et inde contigisset videre Deum, et minori sine dubio æstu Salvatoris adventum expectassent. Susceperunt enim ibi melius aliquid, quam apud nos degentes; non quidem de natura loci (quo noster licet in se malus, tanto est tolerabilior, quanto situ superior), imo de qualitate meriti, nam quoniam bene hic promeruerunt, nihil mali ibi perpessi sunt, vacui a peccato, certi de præmio. Et quoniam carne exuti carnis quoque obligationum liberi.

106 CAPUT XIII.

Quando et cur legis Christus venit finis.

Quoniam vero hæc interim solatia fides Christi administrabat, tandem administratura beatitudinem, et quoniam eadem eandem mundo erat justificatio collatura; venit Christus cum jam de experto constaret nec naturam sibi relictam, nec præceptis (161') Gratian., xxv, qu. 1, post cap. 116.

PATROL. CLXXXVI.

A monitam in id vigere, ut a malo saltem cessaret, et dicam bona gereret. Venit ergo, ut oracula implens prophetarum, vota quoque expleret expectantium. Hic est Propheta de quo Moyses populo suo ait: *Suscitabit vobis Deus Prophetam de fratribus vestris, tanquam me; ipsum audietis* (Deut. XVIII, 15). Venit itaque in carne, non quia non aliter suos salvare poterat, sed quia decentius salvabat. Sic enim sua nobis (qua præcipue egemus) præcipue misericordia declaratur, nos quoque admiranda, imo stupenda, Auctoris pietate inspecta, auctori nostro humili imo insolubili, devotione astringimur.

B Venit autem ut legem finiret; sicut ipse in propheta ad Patrem loquens testatur: *Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio* (Psal. xxxix, 7); quasi diceret: Cum tibi placuit ut legis sacrificia cessarent, cum quibus et sacerdotium, cujus in eis erat officium, et legem quæ inter utrumque posita sacerdotes instruebat, sacrificia traetabat, cessare oportuit; tunc veni in mundum, ut facerem voluntatem tuam, unum pro multis, novum pro veteribus, rem pro figuris, sacrificium scilicet mei corporis inducens, dignumque tanto sacerdotium sacrificio, legemque sacerdotum, jura sacrificii perdocentem.

C Cum ergo Christus venit, lex terminanda fuit; non mox quidem tota, quoniam et ipse circumciscus est ex lege, juxta Apostolum: *Factus sub lege* (Gal. iv, 4), sed paulatim desitura. Quoniam bona erat, merito bonam suscepit ut authenticam defenderet: quoniam non sufficiebat merito, minus validam terminavit, ut perfectam subrogaret. Figuralia ergo legis quasi quibusdam gradibus recusavit; dummodo contra jus Sabbati (161') sabbatis operatum, modo contra rigorem legis lapidandam liberasse adulteram legimus (Joan. VIII, 6); cæteraque in hunc modum; donec omnino legalibus metam fixit institutis, circa finem inquiring: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei* (Matth. xxvi, 29). Vitis est populus Israel, secundum illud: *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (Isai. v, 7). Genimen vitis, religio illius gentis; bibere de genimine, delectari de religione; genimen innovatum, obsequium emendatum. D Sensus ergo talis est, non amplius sicut hactenus quidquam hujusmodi mihi placuit culturæ: placet autem novum quod vetus illa designabat obsequium. Prima adeo ad tempus data, honeste et cum mora sepulta est. Non sicut idololatria irreverenter et quantocius abjecta; cessant enim officia, sed non doctrina, ut quæ populus ille figuraliter est executus, nos spiritualiter adimplere studeamus.

CAPUT XIV.

Utraque lex sacramenta habet cum promissis, et præcepta.

Lex quippe vetus imo et nova tria complectitur, sacramenta cum promissis, et præcepta. Sacramenta futuri præsaga, ut diversa in lege sacrificia,

ut circumcisionem, ut contra externos bella. Illo A
jugi conflictu nostra designatur sine intermissione
lucta contra spiritualia nequitiae et vitia : qui modo
victores sumus, dum virtutibus armati favore Deo
contra oppugnantes terram repromissionis, regio-
nem scilicet vivorum, veri Judaei nobis defendimus :
modo autem victi cum irato propter vitia Deo, aut
tentationi succumbimus, aut quasi a gentibus in
exilium, a daemonebus captivamur in infernum.
Circumcisio **107** januae qua corruptae propagatio ge-
nerationis procedit, octavo die celebrata, in octava
communis resurrectionis circumcidendam praenun-
tiat omnem primae nativitatis contagionem. In sacri-
ficiis modo passio nostri Redemptoris designatur,
ut in agno, ut in holocausto; modo diversorum
consumptio vitiorum, ut in tauro arrogantiae, in
hirco petulantiae.

Scio tamen figuras, ut dictiones, alias et alias ha-
bere interpretationes. Sic quoque immunditia cibi
prohibetur, ut delectatio peccati fugiatur. Sacra-
menta igitur legis futura promittebant. Sed jam
cessent promissiones quoniam promissionum suc-
cessit res. Mentitur qui adhuc promittit, quoniam
promissum jam implevit. Non judaizemus cibos a
cibis distinguentes, quoniam in lege Christi, teste
Apostolo, *Omnia munda mundis* (Tit. 1, 15). Potius
ut Christiani per abstinentiam castigare corpus no-
strum et in servitutem redigere debemus.

Circumcisio quoque carnalis recedat, quoniam
vera circumcisio interioris hominis, ex bona parte
per mortem Christi jam coepta, in ipso quoque con-
summata, ac per hoc et in nobis certissime speratur
consummanda. Quantum autem significantia displi-
ceant post significata, in uno declarat Apostolus,
dum dicit : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil
proderit* (Galat. v, 2). In Psalmista quoque Dominus
omnia par partem respuens sacrificia ait : *Non acci-
piam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hir-
cos* (Psal. XLIX, 9).

Et quidem bellare cum Judaeis si ratio postulat,
possumus; judaizare autem nulla ratione nisi cum
periculo possumus. Non enim Apostolus judaizavit,
cum seditione compulsus, discipulum circumcidit.
Nam nullam facto impendens reverentiam, ita praep-
tium quasi digitum propter pacem amputavit. In D
tantum autem judaismum vitemus, ut et sabbatis-
mum caveamus; quoniam quam figurat quietem, a
vitiis aut animae post mortem praeferrimus.

Legalia ergo sistuntur sacramenta, quorum loco
succedunt aut alia quasi majoris meriti sacramenta,
ut pro circumcisione baptisma; aut significata, ut
pro animalium sacrificiis, sacrificium justitiae et
iaudis.

Lex habet promissa, ut dixi, bonorum quae non
sunt, minas quoque malorum praesentium. Prophetae
quoque, sed ad nos maxime spectantes, plerumque
coelestia promittunt; ut *Habitabunt recti cum vultu
tuo* (Psal. CXXXIX, 14). Et item : *Torrente voluptatis*

(162) Magist. III, Sent. ab initio. Aug., Enchir., c. 41.

tuæ potabis eos (Psal. xxxv, 9). Quippe ad Deum
Propheta sermonem dirigit. Plerumque minantur
gehennam; ut : *Sicut oves in inferno positi sunt;
mors depascet eos* (Psal. XLVIII, 15). Christianis au-
tem non bona sed mala promittuntur modo cum
bonis futuris, dicente Domino : *Si quis vult venire
post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam*
(Matth. xvi, 24), ecce mala hujus saeculi : *Ubi sum
ego, illic et minister meus erit* (Joan. xii, 26); ecce
bona futuri. Dura quippe irrogantur perfectis, ne
capti caducis, minus aeterna appetant. Incommodo-
rum ergo minas praesentium parvipendunt. Unde ti-
more gehennae, sed magis offensae quatiantur.

Sed praecipua Moysi recipimus. Verum quoniam
lex neminem duxit ad perfectum, supplemento
Christi more debito venerantes amplexamur : ipse
enim, *Non venit solvere legem, sed adimplere* (Matth.
v, 17). Christus ergo finis legis et prophetarum, in
fine suo legem quoque finivit, eo pacto ut figuralia
in opere cessarent, in doctrinam permanerent : *Quae-
cumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scri-
pta sunt* (Rom. xv, 4). Promissa quoque nunc re-
spuuntur legalia, quoniam praeferruntur coelestia. Ve-
rum mandata servantur moralia, nisi quod quaedam
permissa teneris excipiuntur Christianis; quaedam
tacenda parvulis, proponuntur adultis.

Sed si *lex et prophetae usque ad Joannem* (Matth.
xi, 15), quomodo stetit usque ad Domini passionem?
quippe non ante, sed a Joanne lex plane labefieri
coepit, qui contra paternam traditionem publice no-
vum induxit morem baptizandi in poenitentiam. Pa-
schalis quoque agni sacrificium, quod inter legalia
obtenebat primatum, **108** jamjam terminandum,
neque unquam sustulisse peccatum insinuans, viso
Domino Jesu, ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit
peccata mundi* (Joan. i, 29); quasi diceret : Veterem
agnum cum reliquis hostiis fugite, quoniam qui
solus sequendus est, ecce Agnus Dei. Victima vetus
peccati mundum expiare nequivit, quoniam, *ecce so-
lus qui tollit peccata mundi*. Nec impetu levitatis hoc
creditum eminuit, vox enim Patris audita est : *Hic
est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;
ipsum audite* (Matth. xvii, 5).

Ut ergo veri perpendant Judaei, quis ille sit pro-
pheta, quem de fratribus natum, mandat Moyses
audiendum; vox paterna modo audita intonuit, dum
enim *ipsum audite*, auditur. Idem est ac si : *Hic est
quem Moyses praedicavit audiendum*, audiretur. Unde
uterque *ipsum* audire praecipit. Lex ergo usque ad
Joannem, nihilominus tamen et usque ad Domini-
cam passionem. Unde et post Joannem cum disci-
pulis Dominus, imminente cruce, pascha vetus man-
dueavit : in qua coena idem pascha cum adjunctis
terminavit caeremoniis, substituens novum corporis
et sanguinis sui usum.

CAPUT XV.

De Filii conceptione et incarnatione.

(162) Ergo agni immolatio veteris cessavit, novi

cœpit : quem intacta viro concepit de Spiritu sancto. Intacta viro, ne ex libidine conceptus necessario nasceretur corruptus, qui a corruptione reliquos liberaturus veniebat. Quod si Deus potens est, ut vere est, ab omni æstu fœditatis maris et feminæ commistionem nunc quoque expurgare, more quidem inusitato nobis : verum parentibus primis ante reatum debito. Non tamen oportet in Deitate Patre Deo venerandum, in humanitate quoque hominem patrem sortitum, eundem duos habere patres; verum unum patrem, alteram matrem; matrem ex natura hominis, sed absque officio patris; patrem in natura Deitatis, sed sine cooperatione matris, ut sit ipse idem homo ex matre sine patre : Deus ex Patre sine matre, filius mirabiliter matris, mirabilius Patris. Ergo *generationem ejus quis enarrabit?* (Isai. **LIII**, 8.) Pater castus gignit, mater virgo parit, impletur Isaïæ vaticinium : *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (Isai. **VII**, 14). Quid est concipere, nisi semen de viro susceptum retinere? Non sic ergo, sed aliter virgo concepit, utique non de viro, sed de Spiritu sancto.

(162*) Quomodo tamen de eo? Sicut ex coitu viri utrinque semen elicitur, sed turpiter, quia ardentem (163); ita per Spiritum sanctum ex Maria virgine portio illa, quæ in hominem formanda erat, personaliter separata est; procul dubio venerabiliter, quia absque libidine. Parum dico, quia et absque originali omni labe. Nimirum ita illum decebat, qui hoc gerebat. Is enim homo de Spiritu sancto concipiebatur, non ut de patre, verum ut de conceptionem procurante. Quippe Spiritus sanctus non hominem illum genuit, sed genituram ejus, imo totam humanitatis seriem procuravit; non tamen solus, sed Pater et Filius. Opera quippe Trinitatis indivisa, divisim solent tractari propter personarum distinctionem. Unde dicitur : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. **XXXII**, 6), quasi cœli singulariter sint opera Verbi, virtus autem eorum Spiritus sancti. Et plura in hunc modum, ut per opera quæ diversorum diversa non sunt, tamen, dum diversis diversa assignantur, perpendamus in personis diversos, quos alibi docemur in substantia unitos. Unde ter dicto *Sanctus, sanctus, sanctus* propter Trinitatem; semel subjungitur *Dominus Deus Sabaoth*, propter unitatem. Pleraque Spiritui sancto ascribuntur, maxime quæ nobis salubria Trinitas sancta ex amore largitur. Amor medius diversos inter se connectit, et Spiritus Patris communiter et Filii ex utroque procedit. Merito igitur quæ ex amore proveniunt Spiritui sancto, quia amoris comparatur, specialiter conveniunt.

109 (164) Quocirca quoniam opera Trinitatis eadem esse necesse est, incarnationem Filii tota Trinitas operata est; incarnatus tamen non nisi Filius

A est. Et quoniam ubique est Trinitas Deus, in utero quoque Virginis erat, imo et in carne quæ ibidem homo fiebat. Solum tamen *Verbum caro factum est* (Joan. **I**, 14). Pater et Spiritus sicut ubique, ita et in illa carne. Filius et aliter in carne quam ubique; ubique est, sed nusquam unitus. In carne est, et personaliter unitus.

Verum hoc uniri sive incarnari, seu carnem sumere, quid est nisi opus Dei? quomodo autem id fieret, nisi Deus faceret? Quod si Dei est, atque ideo totius Trinitatis, quare soli Filio datur incarnatio? Sed tota Trinitas instituit, solus Filius carnem accepit. Aliud est facere, aliud est in facto esse: est enim Deus in factura, quam non modo facit, quia jam fecit, quorum utrumque ita est singulorum, ut si pariter trium. Est tamen Filius tali modo alicubi, ut nec Pater nec Spiritus eo modo sit ibi. Est enim in humanitate assumpta, unitate personæ Filius, quo modo nec Pater est ibi, nec Spiritus.

Opus ergo et mansio totius Trinitatis humanitas; sed in humanitate solius Filii personæ unitas: hæc unitas est susceptio humanitatis, mysterium incarnationis, Verbum carnem factum esse: et si quo alio modo benignitas et humanitas Salvatoris nostri designatur. Quod totum nihil aliud est, quam Deum esse in homine unitate personæ. Sed a Patre et a Spiritu alienandum est istud unum, ergo et illud totum: Filius ergo unitur solus.

CAPUT XVI.

De naturarum unione, et conceptu Christi, et descensione.

(165) Quando tamen unitur? Num in ipsa conceptione, id est dum originalis portio separatur a massa, an hominis effigie completa? Quod si homini formato Deitatem cum anima contendimus unitam, utique ratio non obstabit, nisi quia super illud capitulum, quo veneranda Virgo cœlesti respondit nuntio: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. **I**, 38). Plerique dicunt, (166) non quidem absurde, *simul cum hac concessione Filium Dei advenisse*. Si ergo cum conceptu, qui vere exstitit quando Gabrieli Virgo assensit, Filius Dei accessit, seque concepto conjunxit; fortasse miraberis unam substituisse personam, ex Filii majestate et humanitatis semine: sed mirari desiste, recogitans post separationem corporis ad invicem et animæ, haud secus ac prius divinitatem unitam utrique. Vita ergo corpus cum anima, non autem cum Deo conjunxit; quoniam mors corpus ab anima, non autem a Deo disjunxit. Sicut enim post mortem, ita ante vitam, vivus cum non vivo; Deus cum corpore jungi facilius creditur. Unde plerique fideles pleraque per loca ad generale fragilitatis nostræ subsidium, orationem ita inchoant:

(162*) Mag., **III**, d. 4.

(163) V. Aug. Enchirid. 33-41. Et **XIII**, De Trinit. c. 18.

(164) Concil. Tolet. **VIII** et **XI**.

(165) Magist., **III**, dist. 2.

(166) Aug., ser. 18. De sanctis Greg., **XVIII**, *Moral.*, c. 27. Damasc., **III** De fide, cap. 2. Consuetas notas pro hoc et seqq. cap. **IV**.

Sancta Dei Genitrix, quæ digne meruisti concipere, Quem totus orbis nequivit comprehendere, etc. Ergo Dei Genitrix illum concepit quem totus orbis non comprehendit, attingentem a fine usque ad finem, majestate cujus repletur omnis terra. Unde patet quoniam Dei Genitrix Deum concepit: nam quomodo Dei Genitrix esset, nisi Deum concepisset? Quid est hominem concipere, nisi seminarium humanitatis suscipere? Quid ergo est Deum concipere, nisi seminario personaliter unitum Deum suscipere? alioquin, quomodo concepit quem nihilo minus et ante habuit, quoniam nusquam deesse poterat.

Concepit itaque hominem, quando quam corporis sui portionem habuerat, habere cœpit separatam ut alterius hominis materiam; concepit quoque Deum, quando quem communi aliorum modo habuerat, habere suo singulariter modo cœpit in utero incarnatum. Unde in Symbolo quoque confitemur eundem Filium Dei conceptum de Spiritu sancto quoniam a matre est conceptus de **110** Spiritu sancto. Unde et alibi de eodem cantamus: *Descendit de cœlis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est.* Igitur quoniam virgo Maria Deum concepit, quando concipiebatur nisi cum incarnabatur? quid enim aliud est Deum concipi, quam incarnari? unde fortasse pro eo quod in Symbolo dicitur: *Conceptus de Spiritu sancto* (167), alibi habetur: *Incaratus de Spiritu sancto.* Quippe ex quo descendit, mox illum Virgo concepit.

Quid est tamen quod descendit, qui et in cœlis post remanebat, et antea totam terram replebat? quomodo descendit de cœlis, unde nunquam recessit? quomodo descendit, ubi semper mansit? Impossibile est moveri loco, quem omni necesse est adesse loco.

Sed descendit, cum cœlo notus per divinitatem, nosci in terra cœpit per humanitatem. Itaque per substantiam non descendit, per notitiam descendit. Hæc autem notitia ex incarnatione facta est. Unde prædicta descensione mox additur incarnatio. Aut potius de cœlo descendit, cum incarnando in terram se humiliavit, teste Domino: *Exivi a Patre* (Joan. xvi, 28). Unde et Apostolus: *Exinanivit se formam servi accipiens* (Philipp. ii, 7). Nam majestatis erat quasi (168) abolitio, servilis formæ susceptio. Igitur de cœlo descendit in terram, cum ex majestate se deposuit in carnem: nec tamen quod erat deseruit, sed quod non erat assumpsit, unde nihil aliud est descensio, nisi incarnatio. Ideoque descensu Filii dicto, expositionis gratia, agitur de incarnato, post subditur: *Factus homo* (Joan. i, 14); nimirum prius est concipiendo incarnatus, post *homo factus*. Quod fortasse evangelista intellexit, dum dixit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (ibid.). Verbum caro factum

(167) Symbol. Const.

(168) Fulgent., De fide ad Petram, c. 2, v. f. a.

est, ex quo incarnatum est; habitavit in nobis, postquam homo factum est.

Non tamen fiebat caro, quomodo nec homo, verisimilitate naturæ, verum conjunctione. Non enim divinitas versa est in humanitatem, ne sit confusio substantiæ; sed hæc illi conjuncta est, ut sit unitas personæ. Utraque auctoritas altera per conceptum, altera per incarnatum, eundem Dei Filium innotescit, mortuum atque sepultum: quod nunquam vere diceretur, nisi in unam convenirent personam Deus et mortuus sive sepultus. In hunc modum plerisque legendo locis invenies, matrem Dei Mariam concepisse Deum et peperisse, Deum passum, cæteraque magis congrua humanitati. Quoniam quoties diversæ naturæ personaliter uniantur, consuevit et Scriptura et quotidianus usus, quod est alterius, alteri assignare. Unde quilibet homo prudens aut stolidus merito pronuntiatur, dum animæ prudenti aut stolidæ copulatur; ea autem absente, neutrum vere diceretur. Deus ergo nec sepultus, nec mortuus, nec incarnatus, nec conceptus recte videretur, nisi conceptui atque carni, mortuo quoque ac sepulto, modo junctus personali intelligeretur. Sicut Filium Dei nunquam vocares filium hominis, nisi una persona Deum et hominem fuisset complexa. Deus factus est homo, et cum unum et alterum sunt, tamen unus; sic Filius Dei factus est filius hominis: et cum sint duæ essentiæ, et tamen unus, nonne etiam sunt unus Filius? Similiter sapiens Dei Filius, sapiens hominis filius, ita quoque Magister, Redemptor, Salvator, nonne ita duæ sunt naturæ, persona tamen una, ut sint Redemptor quoque unus et Salvator, Magister quoque et sapiens unus, juxta illud: *Unus est enim Magister vester* (Matth. xxiii, 8).

CAPUT XVII.

Cur Deus homo, vel e converso, et quomodo.

(169) Quoniam autem connexio divinitatis et humanitatis, longe firmior est quam animæ et corporis (quippe hæc vita coeunt, morte discedunt, illas autem et est ante vitam jungi, nec est morte disjungi) ad hujus tanti nexus expressionem, et Deus homo et homo dicitur Deus, cum nec corpus dicatur anima, nec unquam anima corpus.

III Cave tamen ne hominem sic Deum dicas, ut quid corporeum incorporeum intelligas. Utraque enim natura id quod est, manet; nec unquam in alteram transit, sed alteri se conjungit, ut sit una persona substantiarum duarum, imo et trium, Dei, animæ et corporis. Nec enim verus homo esset absque anima, nec divinitatis officium est carnem vegetare.

Si quis tamen ponat Christum non habuisse animam, animæ vero vicem supplesse Deum; nunquam mortuus est Christus, quoniam nunquam a Deo nec personaliter est separatus: Christus ergo animam habuit, cujus moreretur abitu, revivisceret reditu.

(169) Mag., ubi supra.

Hæretice, audi ipsum : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (Joan. x, 18). Audi catholicam de ipso fidem : *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens* (170). Christus ergo ex divinitate et humanitate subsistit ; non tanquam compositus, quoniam pars nullius rei potest esse Deus : si enim ex Deo et homine componeretur Christus, nec esset homo, nec Deus, cum nullum totum sit pars sua. Sed Christus verissime est secundum aliud et aliud, et homo, et Deus. Quippe cum sic dicimus : *Christus est homo*, voce subjecta humanitatem significamus. Cum vero sic : *Christus est Deus*, divinitatem designamus. Cum autem hoc tertio modo : *Christus est Deus et homo*, nomine Christi utraque natura manifestatur. Ita locutio exponitur, ut veritas perpendatur ; ita locutio variatur, ut modo hæc, modo illa, modo utraque in Christo natura intelligatur. Item cum audis, quia homo est Deus, ne intelligas quod natum est ex tempore, ante tempora existisse, quod continetur loco, omnem locum replere ; quod denique corpus est ; spiritum non crede : *Spiritus enim est Deus* (Joan. iv, 24).

Sed si Deus non potest esse sine his, nec homo sine illis, quomodo homo est Deus, aut Deus homo, cum nec homini liceat ad hæc aut similia Dei jura extolli, nec Deo conveniat ad sibi inconvenientia inclinari ? Igitur nec homo Deus, nec Deus homo per naturam est. Unde de Christo dicimus, quod sit *æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem* (171).

Duæ naturæ in Christo sunt, altera creans, altera creata : quæ duarum est æqualis Patri ? Nam utramque Patri æquare nefas est ; quoniam illa quæ creata est, indubitanter minor est. Quare creans natura Patri est æquanda ; neque enim aliud restat quod æquetur. Quapropter, cum dicimus quod *Christus est æqualis Patri secundum divinitatem*, nihil aliud est nisi quod Filius Dei æqualis est Patri. Sed quid est quod additur, *secundum divinitatem* ? num Filius Patri est æqualis secundum divinitatem sed Filius, secundum quod Filius, est Patri æqualis ; secundum divinitatem cum Patre unum et idem est. Quid est ergo *Christus est æqualis Patri secundum divinitatem*, nisi divinitas Christi est æqualis Patri ?

Simili modo exponendum puto quod sequitur : *Minor Patre secundum humanitatem*, id est humanitas Christi minor est Patre : quod autem omnino æquale est, non est id quod omnino minus est ; quare divinitas Christi non est humanitas Christi : sed divinitas in Christo, idem est quod Deus Christus ; humanitas Christi nihil aliud est quam homo Christus. Quare nec Deus homo, nec homo Deus per

(170) Symbol. Athanas.

(171) Symbol. Athanas.

(172) Sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia ; sic in illa speciali commistione Trinitas est in substantiis, in persona unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem,

A naturam est, attamen per gratiam est. Hæc gratia Deum et hominem effecit unam personam, propter quam Deus et homo unus est Christus. Non enim quemadmodum ex capite membrisque aliis una est natura ; ita est anima et carne, aut ex Deo totoque homine una est natura, sive substantia ; sed solum persona : quæ, sicut ibi unus est homo, ita hic unus est Christus. Unde dicimus : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*.

Si ergo Deus factus homo non ita intelligitur, ut substantia in substantiam, creatrix in creatam versa videatur (talis quippe mutatio mutatam naturam exinaniret, quoniam quod ante erat non remaneret), quid est quod Deus factus est homo, **B 112** non dimittens quod erat, assumpsit quod non erat, nisi quod hæc natura nunquam est illa ; hæc tamen natura, sibi aliquando astringit illam ? unde dicitur : *Unus autem non conversione substantiæ divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*. Non ergo Deus versus in hominem est, ac per hoc nec factus homo est, quippe semper permansit Deus : quid enim est fieri nisi verti ?

Est tamen Deus certissime factus homo : *Non conversione, ut dictum est, divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*. Est, inquam, Deus factus homo, non vertendo se in hominem, sed assumendo sibi hominem, ut natura naturæ jungeretur, non autem in alteram mutaretur ; aut alteri, more vini et aquæ, confunderetur, ne sit confusio substantiæ, non unitas personæ. Itaque Deus homo non est essentialiter ; est tamen personaliter. Deus essentialiter homo non est, quia cum sit spiritus, non potest esse corpus ; Deus homo personaliter est, quia licet sit spiritus, nihilominus corpori hominis unitur. Unitur homini, ut anima corpori.

Quid est igitur *Deus est homo*, nisi unitus homini ? Quid est, *Homo est Deus*, nisi unitus Deo ? quid autem est, *Homo est unitus Deo*, nisi homo et Deus est unus, imo anima et caro et Deus sunt unus ? Unus quidem non unum ; nam anima et caro, et Deus, utique unus sunt, quia una persona sunt ; nulla ratione tres sunt, quia tres personæ non sunt ; nulla ratione item unum sunt, quia una natura non sunt ; procul dubio tria sunt, quia tres substantiæ sunt. Itaque anima et caro et Deus, nec unum sunt, nec tres sunt ; et unus sunt, et tria sunt (172). Econtra Pater et Filius et Spiritus sanctus et unum sunt, et tres sunt ; nec unus sunt, nec tria sunt. Unde liquet quod neutro genere ad substantiam, masculino utendum est ad personam. Jam dubium non est quid sentiendum sit, cum Deus factus homo auditur ; quid enim est unitas non minuit Trinitatem ; ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem, etc. Bernard., ser. 3, in vigil. Nativ. Dom. circa med. et lib. 1 De considerat.

Deus factus homo, nisi Deus factus homini unitus, A et hominis, ut animæ et carnis conjunctio in unam id est factus cum homine unus?

CAPUT XVIII.

Christo contraria secundum duas competunt naturas.

Christus enim qui ante tempora solum erat Deus, ipse in fine temporum est etiam homo : ac per hoc qui unius tantum fuit substantiæ, fuitque ipsa una substantia cum Patre et Spiritu sancto, is modo ejusdem est substantiæ, non amittens quod erat ; est quoque alterius, assumens quod non fuerat. Est enim et unus et idem Christus, non autem unus, et alius : existens primo Unigenitus Patris, postremo autem et Unigenitus matris.

Quoniam ergo non est nisi unus Christus, ipseque est non nuncupative, sed essentialiter homo et Deus, constat quod Christus, qui non est nisi unus, est tamen duarum substantiarum, imo et ambæ substantiæ ; altera semper existit, altera esse cœpit. Qui erat infectus, is est factus : Creator factus est creatura : qui perpetuo immortalis degit in suo, idem mori dignatus est in nostro, perseverans quod mori poterat, quodque mori nequibat. Is qui alterum ab æterno manebat, alterum esse cœperat. Is qui ita se habet, quique Christus est, Filius utique Dei est, ac per hoc persona Filii Dei. Quomodo enim esset Christus, et non Dei Filius ? quomodo tunc Filius Dei, et non persona Filii Dei ? Christus ergo persona est non Patris, non Spiritus sancti, sed solius Filii.

Unde mirandum non videtur, si quod de Christo recte dicitur, de persona quoque Filii Dei dicatur : ut inter alia multa etiam istud dicatur (175), quod persona, quæ semper existit unius substantiæ, imo et adhuc unius solius existit cum Patre, eadem ipsa, ex quæ corpus assumpsit nostrum, duarum invenitur substantiarum. Nam si Christus non unus et alius, verum unus solus, primo Deus, postmodum homo Deus : nonne similiter persona tunc et nunc non una et alia, verum una sola ? Christus namque ante tantum Deus, tantum **113** unius erat persona substantiæ ; nunc etiam homo, etiam duarum est persona substantiarum. Si ergo tunc et nunc unus est Christus, cur non etiam una est persona ? una natura, non est duæ, et tamen Christus tunc unius, non duarum, imo quoque tunc una, nunc duæ non est nisi unus. Sic persona unius naturæ antea, duarum postea, nonne ipsa quoque est una ?

Si autem hæc aut similia, plura seu pauciora, Patrum continet usus, reverenter accipimus. Verum bene dicta, male intelligere caveamus. Si audimus quod Christus absque initio immortalis, pro nobis fieri dignatus est mortalis, ne erremus arbitrantes divinam naturam versam in humanam. Cum divinitas humanitati unita asseritur, nullam ambarum ex permissione confusionem suspicemur. Verum cum fieri aut uniri audimus, manente sua utrique natura Dei

(175) Mag., III, dist. 6, § 4, 5, etc.

et hominis, ut animæ et carnis conjunctio in unam personam cogitetur.

Quoniam autem Christus erat ante Deus, post vero homo et Deus, non ideo nomine Christi aliquid opinemur commune, prius uni naturæ, post etiam assumptæ ; nihil enim aliud Christus tunc quam una natura, neque nunc quam et assumpta. Quid ergo ? Si Christus qui tunc is est qui nunc, num natura tunc una, modo est ipsamet et altera ? non est effecta altera, sed ei conjuncta.

Hujus conjunctionis expressionem designari opinor, cum is qui in una erat natura, in duabus asseritur esse naturis. Idem puto si dicatur Christus substantia fuisse una, et esse duæ. Neque aliud sentio, sicubi persona unius ante substantiæ, post duarum pronuntiat substantiarum. Quoquo autem modo orthodoxos apud auctores verborum se vertat usus, sive hunc, sive alium amplexamur, profanas vocamus novitates devitantes. Varietur verba, sana maneat sententia. Divinitas et humanitas duo vere sunt ; nequaquam ergo unum ; suo sibi modo conjuncta sunt. Vere ergo *Unus non confusione substantiæ, sed unitate personæ* ; quia sicut anima rationalis et caro unus, etc. Igitur personæ unitatem, sicut in homine dicimus suam animæ et carnis conjunctionem ; ita et in Christo dicamus, similem quidem, firmiorem tamen divinitatis, atque integræ humanitatis suam connexionem. Hanc ergo connexionem arbitror proprie appellari personam, nomine personæ, aliter hic, aliter intelligendo in sancta Trinitate. Hic enim una, et altera tertiaque persona, una et eadem est substantia ; ibi vero duæ vel tres substantiæ, una et eadem persona. Cumque nihil aliud sit esse has substantias sibi unitas, æquum esse personam ; aliud utique est in sancta Trinitate esse personam, quam substantiam.

His inspectis, persona quæ cum Patre et Spiritu sancto una est substantia, magis proprie forsan videtur dici esse in persona trium substantiarum, aut ipsa cum humanitate dici ; et esse persona trium substantiarum, quam dici quod persona, quæ tantum erat Deus, nunc esset persona trium substantiarum. Quomodo enim persona, quæ una tantum erat substantia, nunc est persona trium substantiarum, si nihil aliud est esse personam trium, quam esse tria sibi unita ?

Quomodo ergo persona, quæ una tantum erat substantia, nunc est tres vel duæ substantiæ, et non potius id quod semper erat unitum humanitati ? Auctorum tamen usum veneremur, sanamque sententiam quoquo modo se habeant verba, amplectimur, nec impropriū dicimus quod sanctorum probat usus, magis tamen proprie aliud alio dici arbitramur.

Mortuo Domino nostro Jesu, ac per hoc anima et carne ab invicem separatis, nihilominus tamen diviniæ substantiæ unitis, constat animam carnemque duas fuisse substantias, divinam tertiam, imo pri-

mam, atque ideo unam exstilis personam trium substantiarum. Sed et ante mortem et post, anima et caro sibi conjunctæ nihilominus duæ manent substantiæ. Sicut enim Deus et homo, ita in homine anima et caro, in unam sibi cohærent personam, non substantiam. **114** Igitur ex quo divinitas integram assumpsit humanitatem, quia nulla est secuta distinctio, in tribus substantiis unitas personæ perseverat. Consuevit tamen Augustinus (174) duarum potius dicere personam substantiarum, naturam attendens divinam et humanam. In humana, caro solet intelligi et anima. Nomine autem Christi indifferenter utitur Scriptura, ut designet divinam et humanam naturam, sive singulas, sive personam ex ambabus subsistentem. Illa tamen proprie natura significatur, quæ uncta est oleo lætitiæ præ consortibus suis. **B** Christus namque *unctus* interpretatur: *Christus ergo primo creatrix existens substantia, post et ipsa, et Creaturæ duæ, tandem mortuus est pro nobis*. Nam si Christus Deus et homo; homo autem omnis anima et caro; profecto Christus Deus est; et quia homo etiam anima atque caro. Non est mors divinitatis quanquam mortuus dicatur Deus. Isaac enim immolatus non est (*Genes. III, 22*); est autem mors humanæ naturæ; nam aries immolatus est. Non tamen integre, nam anima immortalis est. Igitur trium in persona substantiarum, caro solum est mortua; anima vero compassa; divinitas autem intacta.

Quid ergo sibi volunt supradicta verba hæc: *Christus primo creatrix existens substantia, post et ipsa, et creaturæ duæ, tandem mortuus est pro nobis*, nisi **C** quod caro Christi est mortua, quæ erat animæ et divinitati unita cum ante divinitas ab hac connexionem esset aliena? Sic locutionum genera pro posse discutiamus, ut quid cui conveniat, et quare scilicet dictum sit, sic vel sic inveniamus.

CAPUT XIX.

Quare dicatur passus; et quod semotis partibus una mansit persona Christus.

(175) Sed quia Deus unitur homini passo atque sepulto, merito dicitur Deus passus atque sepultus: num quia uniebatur semini quod in hominem erat formandum, merito semen etiam poterat dici? In sensu nullum video periculum. Sed vitiosum est in fide, etiam locutiones, quas catholicus non tenet usus, usurpare. Unitur Deus carni, ut dicitur caro; unde: *Verbum caro factum est* (*Joan. I, 13*), id est homo unitur Deus animæ, nec dicitur anima: sic fortasse semini uniebatur, nec semen dicebatur.

Sed quoniam carni unitur Deus prius inanimatæ, post animatæ: item exanimatæ, postremo ad immortalitatem resuscitatæ: num quatuor modis variata carne, quatuor quoque sunt personæ? Absit! Nam una manet persona, carne quantum libet variata. Sic quoque anima et caro unus est homo in pueritia, in juventute, in decrepita demum ætate. Sed mors

(174) Utramque tamen locutionem commemorat, **XII**, De Trinit. c. 17. Et tres substantias dici, placet. Synodo Tolet. XI et XV.

(175) Mag., III, d. 21 et 22.

A Christi a corpore semovit animam. In sepulcro corpus quievit; ad inferos anima descendit. Unde confitemur Christum et sepultum et ad inferos descendisse. Interim tamen divinitas et anima una subsistit etiam tunc persona. Quomodo monstrat ratio Deum cum corpore unam adhuc personam permansisse.

Verum quoniam tunc corporis divisio erat et animæ, nonne divisæ erant personæ? Hoc quoque absit! Corpus namque et anima, una interim non erant persona. Sed Deus cum anima, licet non cum sola, una persona: Deus item cum corpore licet non cum solo, una persona; nec una et altera, sed una sola. Quippe carne et anima conjunctis, non pro tali conjunctione, Deus manens in illis, una est persona cum illis; alioquin una persona foret ex Deo et quovis **B** homine: sed quoniam Deus naturæ unitur utrique, est persona cum utraque. Ergo quoniam duarum inter se conjunctio naturarum, non reddit unam cum Deitate personam; nec duarum disjunctio sit causa personarum. Sic distracto corpore, manente adhuc anima cum partibus distractis, eadem manet persona ex anima, partibus divisis, quæ et quando exstiterit, ex eadem et constrictis. Simili modo si unus quilibet spiritus multis integris **115** uniretur corporibus, aut si unum econtra, corpus multis uniretur spiritibus, quoquo modo versam substantiarum unionem unitas personæ videtur secutura.¹

Dixi unam esse personam ex anima et sibi unito corpore, partibus tam cohærentibus quam (176) semotis. Sed non sicut eadem manet persona, idem quoque nomen maneret personæ: ut enim de homine agamus, persona quæ dissolutis membris homo non dicitur, eorundem connexionem homo vocabatur, vocabulo substantiæ, quæ moritur, proprio ad ipsam communiter et alteram, quæ non moritur, translato. Econtra quæ ex Deo et carne est persona, modo Christus dicitur: verum ante animam infusam non sic dicebatur; tunc tamen una erat persona ex Deo et carne (177), sed sine anima; eadem persona post ex Deo et carne juncta animæ; eadem ipsa persona tandem ex Deo et carne disjuncta animæ. Una ergo et eadem persona subsistit ex substantiis, modo duabus, modo tribus, trium duabus modo sibi junctis, modo disjunctis, tertiæ autem semper conjunctis: sic acervus quispiam cum modo crescat numero, modo decrescat; nunc autem alio, nunc vero alio situ consistat, nihilominus tamen unus atque idem permanet acervus; sic unus et idem homo atque persona dum corpus crescit et decrescit.

CAPUT XX.

De incarnatione, unione et persona Christi humanata.

(178) Dixi Deum carni unitum ante animam, nec solum dixi, verum et ratiunculas adduxi; auctoritate quoque id arguere conatus sum. Sed

(176) Hæc ipsa opinio, Mag., I, III, dist. 5, § 3.

(177) Vide notas.

(178) Mag., ubi supra et dist. 3, paragraph. ult.

ratio mole carnis gravata plerumque fallitur; auctoritas in se recta non recte intelligitur. Ideoque nisi quod ex fide, certa auctoritate habetur, et præcipue in eis quæ ad fidem pertinent, timide ac magis per æstimationem loquendum puto; ne quod esse poterat per ignorantiam veniale, pervicacia reddat irremissibile. Incarnationem ergo Verbi obnixè affirmamus; tempus autem incarnationis, aut, ut ratiocinando objecimus, simul cum conceptione existit; aut si hoc minime oportuit (licet oportuisse videatur) tunc profecto Verbum caro factum est, cum caro ipsa homo facta est. Sed quoniam quando humanitati Deitas uniretur, inquisitum est; nunc quid ipsum uniri sit pro facultate inquirendum est. Nam quod personalis, qua de agimus, unio, non est partium conventus, liquet quoniam ex Deo et homine, quemadmodum ex homine et anima, una persona est, unum totum non est. Ubi autem compositio deest, verum quilibet diversarum coitus substantiarum adest, non statim persona redditur, quoniam eques equo, manus manui se aptat, neuter tamen neutri unitur.

Est et alia diversorum consociatio, quam determinare difficile est. Quis enim animæ et hominis, hominis demum totius atque divinitatis nexum explicet? Nam et Verbi generationem enarrare, impossibile est, et Verbi incarnationem expedire difficillimum est. Habet tamen, quisquis est nexum, personalem puto unionem: hoc firmo, animalia quæque vivunt, eodem rupto, eadem pereunt.

Sed cum fide catholica Trinitatem docemur, quomodo quaternitas personarum inducitur? Tres personæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; quomodo quarta est ex connexionione Filii Dei, atque filii hominis et anima? Sed hanc cum illis numerandam non puto; quippe longe differenter hic atque ibi dicitur persona. Ibi namque tres personæ sunt et una substantia, hic tres substantiæ sunt et una persona; hic tres substantiæ una persona sunt, ibi tres personæ una substantia sunt. Veneramur in una substantia Trinitatem personarum, admiramur in una persona Trinitatem, si ita dici debet, substantiarum. Personam hanc conjunxit gratia, illæ coæternæ sibi sunt ex natura; hanc ergo nec computes cum illis, nec reputes (179) quasi unam ex illis; quippe una hujus personæ natura una est in Trinitate persona; tres autem simul naturas Trinitati aut inserere, aut extra acceptas æquando annumerare, nefas est; quoniam nec homo sive anima in Trinitate est, nec unigenitus extra Trinitatem est; demum annumerare Trinitati quod ea inferius est, minime decet.

Quod si quando una persona ex divinitate existi-

tit, et in animato semine, procul dubio alia nequaquam fuit, quam ea quæ post tres simul comprehendebat substantias, sicut neque acervus alius est dum paucioribus constat, quam amplioribus. Quod si una et eadem persona modo **116** duarum, modo autem trium constat naturarum, cur non et eadem in una nonnunquam persona, unam quoque habuerit naturam, ut sit eadem persona modo unius, modo duarum, modo autem trium substantiarum? Quod si anima sicut est post hominem, ita quoque et ante incorporationem esse concedatur, cur non unius substantiæ et ante et post una esse persona credatur; eadem autem duarum, dum in corpore anima continetur? Persona ergo una et eadem modo, ut dixi, unius est substantiæ, modo autem trium, modo vero duarum.

Et quanquam nihil aliud sit persona talis, quam nunc solum una substantia, alio autem tempore id sit quod duæ naturæ, alio item tres, nulla tamen ratio est, tres esse duas, duas autem alteram; sicut acervus minor prius, postea major factus unus et idem dicitur, numerus tamen minoris alius est quam majoris. Sed persona illa quæ una est, et nunc in Trinitate, quæque prius unius tantum erat substantiæ, quomodo jam est trium, cum etiam ipsa Trinitas unius sit tantum, quia cum Patre et Spiritu est unius, cum homine est trium: potius non ipsa, sed ea quæ ex ipsa et homine est, duarum vel potius trium substantiarum persona est: nam quomodo persona una et eadem, uno et eodem tempore unius erit substantiæ tantum, et etiam plurium? Audisti; quid iterum vis audire? cum Patre et Spiritu, unius; cum homine plurium, quid calumniaris?

Sed quia persona quæ unius apud se solum est substantiæ, est etiam cum homine persona quæ est trium substantiarum; non erro dum dico: persona unius apud se, plurium est cum homine; ea enim atque homo plures substantiæ; cum personam unius non aliter nisi cum homine fatearis esse plura, aut personam plurium; non recte asseris quod hæc unius est, illa plurium vel quod persona una et eadem est unius et plurium, quæ prius unius, semper id manet ut decet. Cum homini se jungit, est non ea, sed ex ea, et homine, persona plurium: neque enim quod (180) ex diversis est, diversorum unum est. Acervus quidem, qui modo est ex decem prioribus, et aliis post adjectis, utique ante erat acervus ex decem, et ipsa decem, sed modo neutrum est; persona autem trium secundum te, et illam intra se habet quæ est unius, et ea est: quod vide quomodo se habet.

Mihi ita videtur proprie loquendum, persona

(179) Hic non loquitur Pullus de Christi persona prout est ipsa Verbi persona, seu personalitas; quomodo superius dixit unam et eandem esse Verbi divini et Christi personam: sed loquitur de persona, prout dicit compositum quoddam ex duabus naturis, divina et humana. A quo non disser-

tit. Aug., XIII, De Trinit.. c. 17; serm. 8, De temp., et tract. 99 in Joan.

(180) Non hinc colligi debet, Pullum admittere in Christo compositionem illam quam vocant *ex his*, illam enim supra pluribus refutat cap. 17, etc.

una et eadem subsistit ex ea, quæ est una in Trinitate persona et humanitate assumpta integre: ergo subsistit ex persona una et substantiis duabus: et quia ista persona non est incarnata, nisi cum sua substantia, qua reliquis duabus personali-ter est unita, est quoque illa persona trium substantiarum.

CAPUT XXI.

Præter peccatum et ignorantiam cæteros Christus habuit defectus.

(181) Dominus noster ut veram humanitatem aptamque Redemptioni assumeret, debitos humanitati absque peccato defectus non recusavit. Inter quos ignorantiam nondum natis propriam Christus ita innatus, ut et puer natus suscepisse videtur, quatenus ignorantia paulatim tempore consueto imminuta, suis sapientia gradibus successerit, nisi quod homini Deo unito omnia celerius pleniusque adventasse credibile est. Unde et duodenis cum doctoribus legitur disputasse; Luca enim teste: *Proficiebat sapientia, ætate, et gratia apud Deum et apud homines (Luc. II, 52)*. Qui autem sapientia proficiebat, magis magisque in ea abundabat. Ubi autem sapientia crescit, ignorantia necessario diminuenda præcessit: nimirum teneritatem infantia comitari decebat ignorantiam, ac cum incremento ætatis, increescere sapientiam.

Nisi magis credendum est puerum Deo plenum, jam tunc quoque *plenum gratiæ et veritatis (Joan. I, 14)*, tanquam repletum spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, spiritu quoque timoris Domini (*Isa. XI, 2*): ut quem Deus in unam sibi personam assumpsit, illico omni plenitudine gratiæ repleverit, indignum ducens tantæ dignitatis hominem, qui et dicatur Deus, et sit, quovis decolorari defectu; præter quos aut ratio Redemptionis postulat, aut necessitas humanitatis importat. Sed ignorantia infantilis, si nihil nocitura Redemptioni concedatur, quomodo valitura monstrabitur, quam humana exigere natura non videtur? quippe intelligens et prudens in Adam creata. Sed dices, *fore parvulis naturale nihil omnino scire*. Verum ex culpa nata videtur inscitia: nam licet corpus aggravat animam, aggravando **117** autem reddit tam sordidam quam insciam; aggravationem hujusmodi vitium prævaricationis, non natura parit; alioquin corpus bene creatum unde insensatum redderet spiritum? Imaginem Dei, animam, totius iniquitatis sinceram, unde quasi irrationalem, omnium rerum insciam fieri contingeret, cum quædam irrationalia suo sensu nascuntur, in quo crescentia paulatim promoventur? Unde homines, nisi peccassent, credibile est nascendo aut secum ex utero apportare, aut si oppressio uteri id non sineret, vel nascentes recipere usum rationis, accessu ætatis promovendos; non fortasse quod ex brevitate corporis tardiores existent, verum quod attendentes singula discerent.

(181) Magist., III, dist. 13-15.

A Non tamen contentiose negandum, verum neque impudenter asserendum puto, illa quoque corpora talis nascitura complexionis, ut minus apta rationi tardio-rem, aptiora processu reciperent acriorem. Illud tamen ut non æque aliud crediderim, qualiscunque complexio foret, parvulos ætate haud officiente, et posse et scire competenter se tractare. Nam si animalium fetibus hæc in promptu sunt, quanto magis hominum, tunc præsertim quando nulla foret culpa unde prodiret stoliditas aut pœna? alioquin natos educare, parentibus fœdum esset et anxium: quod utique in pœnam transgressoribus contigit, non natura fecit. Hac quoque causa in dolore pariunt, quos, nisi offendissent, in jucunditate aluissent, in quiete peperissent, utique parvulos: **B** nam quantitatem grandævi, angustia quomodo caperet uteri?

Ergo nec creationis humanæ, nec ipsius infantia ratio requirere videtur, ut puer Jesus, quippe peccati exsors, pueriliter inscius exstisset. Nam quod salus hominum non in sapientia, verum multa eguerit sapientia, cui dubium est? Unde patet humanitatem Verbi, ex utroque statu, tam illo qui ante prævaricationem effulsit, quam nostro qui post reatum defloruit, neutrum contrahendo totum, contraxisse partem. Nostram enim famem atque fatigationem, aliis quoque quibusdam nostris cum defectibus, nostram suscepit passibilitatem, ut multis afflictionibus tortus, multis nos exoneraret peccatis; atque ita qui pro fratribus passurus accedebat, conformem se fratribus, ut cognatio claresceret, exhibebat. Abnuebat tamen humanæ assumptionis expressio inquinamenta peccati, et cum peccato fomitem peccati, insipientiam. Utrumvis horum Salvatori ascripseris, saluti derogaveris: nam nec peccator peccato tollere, nec minus prudens salutem vindicare valeret. Omnem ergo ignorantiam quemadmodum et omnem culpam, homo Christus, quippe Deus, recusabat. Unde pro nobis tanquam mediator trinam majestatem interpellans, juxta Apostolum: *Exauditus est propter suam reverentiam (Heb. V, 7)*. Pœnam ergo ex nobis accepit, pœnæ autem causam peccatum, peccati quoque effectum ignorantiam, tanquam degeneraturam habentem, recusabat. Verum ex prima creatione puritatem sortitus est, et perspicacitatem in utraque; creatis omnibus tam præclarior quam melior, non solum quando adultus, verum et antequam natus. Unde in psalmo ad Deum directo sermone ait: *De ventre matris meæ Deus meus es tu (Psal. XXI, 11)*. Et item: *Spes mea ab uberibus matris meæ (ibid.)*. Mire et inusitate sapiens et pius exstitit, qui de ventre matris Deum suum recognovit; ab uberibus spem suam Deo infixit: *Tanto angelis melior effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit (Hebr. I, 4)*.

D Quoniam ergo Deus, Deique Filius est et dicitur, quanto angelis est melior, tanto constat et major. Unde homini assumpto Deus juxta Prophetam: *Om-*

nia subiecit sub pedibus, ut nihil esset non subiectam, præter eum qui sibi subiecit omnia, cui soli subiectus, omniaque sibi subiecta habens, tempore tamen infirmitatis suæ *minutus est paulo minus ab angelis* (*Psal. viii, 5; Hebr. ii, 8*). Vere paulo minus, quoniam sola passibilitate minoratus; alias, per omnia et cœlis celsior factus. Sed nec sic diu minor: quippe resurgendo gloria et honore coronatur.

118 Quod si quemadmodum ex priore statu natus est sincerus et prudens, ex nostro quoque nostro more factus est mortalis, nonne si interemptor defuisset, mortalium lege moriendo decessisset? huius quippe conditio vitæ est, si quæ vis objecta non sit, ipsamet ex se senescente deficiat; huiusmodi autem vitam ratione duce, Augustino teste (182), fuisse Christi hominis autumamus.

CAPUT XXII.

Unde sit Christo quod clauso exivit utero, et similia.

Quod si vitam ex nostro statu terminandam, ex priore luculentam sumpsit, unde accepit quod clauso matris utero exivit? quippe sicut apud nos via ex concubitu aperitur nascituro, ita constat debuisse fieri in paradiso. Liquet itaque quod neuter status nasci ex virgine exigebat. Num Jesus adhuc mortalis id mutuabatur ex statu immortalitatis, unde et transfiguratus in alia specie apostolis ante passionem se contemplandum exhibuit? Nam, sicut resurrectio omni decore clarescere cognoscitur, ita nullo teneri obstaculo haud absurde æstimatur. Unde Dominus post Resurrectionem ad discipulos legitur introisse (*Joan. xx, 19*). Unde non irrationabiliter dici potest, tam duos terrenos status, quam tertium cœlestem, in Domino nostro adhuc passibili operatos. Nonne cœleste erat quod et ante passionem Deum facie ad faciem videbat, quod firmis vestigiis super aquas incedebat? In cœlo enim humanæ animæ hæc est perspicacitas, ut Deum liquido agnoscat; humani corporis hæc erit levitas, ut super aquas, imo et per aera, quasi in solido gradum habere queat. Unde sancti bajulatu nubium, prædicantur ascensuri. Res mira, nativa puritate conspicuus, quiete puritati debita exstitit alienus! Res nova, nostræ possibilitatis homo, nostro caruit peccato! Res miranda, hinc nobiscum in terra mortalis obtinuit per potentiam ea quæ sanctis promittuntur in cœlo habenda per naturam! nam licet ex auctoris largitate sperentur proventura, quoniam ita contingunt ut sine aine adsint, merito deputantur naturæ. Quanta potentia molem nostri corporis ex Virgine nasci, super aquas ambulare, in tali corpore Deum videre, immortalitatis speciem vel ad horam obtinere!

CAPUT XXIII.

Infans Christus fuit sapientia plenus.

(183) Duas sententias sibi objacentes de infantia Salvatoris prædictas viri illustres singuli singulas sibi defendunt. Alii ignorantiam, alii plenam sapien-

(182) Lib. ii De peccat. merit., c. 29.

(183) Magist., iii, dist. 13 et 14.

tiam Domini nostri infantis Jesu asseverantes. Sed auctoritate firma, ratione nonnulla illorum sententiam prætulimus, qui et in utero omnia Christo cognita contendunt. Cui quod Lucas de Christo ait: *Proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines* (*Luc. ii, 52*); nihil adversabitur, si interius intelligitur: quippe *ætate proficiebat*, dum non solum apud homines, verum et apud Deum, qui non fallitur, annuis incrementis succrescebat: *sapientia autem et gratia*, quæ simul et semel homini, ab ipsa unitione Dei advenerant omnino nullum in se augmentum recipientes, apud homines proficiebant, quibus magis atque magis apparebant. Mox enim ex quo Deus homo, homo in tantum provehitur, ut nec plus scire nec melior esse queat: quod auctoritas B Lucam explanans intelligenti insinuat: resurgens quippe Christus, nec sanctitatem, nec scientiam auxit, nec felicitatem accivit; sed gratiam, quam dono Trinitatis integram assumpsit, ad Dei laudem et hominum utilitatem paulatim declaravit; proficiens sapientia et gratia, apud Deum et homines, dum per utramque, huius et gloriam, illorum commodum comparavit. Sic quippe hoc capitulum explanandum puto, ut non sibi Lucas adversetur, qui de Christo sic prædixerat: *Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in eo* (*ibid.*). **119** Unde patet naturam quæ in Christo tanquam puer crescebat, plenam exstitisse sapientiam, illam in qua gratia Dei erat, quam constat esse humanitatem. Humanitas ergo Christi in pueritia plena erat sapientia. Sed cui plenitudo inerat sapientiæ, profecto nihil sapientiæ deerat. Num inminutam gratiam acceperat, ut plene peritus, semiplene fieret bonus? absit! Nam super hunc locum evangelistæ traditum nobis ab auctoritate, recordamur utramque Christo mox plenarie infusam. Puer ergo Jesus ex quo cœpit, mox dono Dei in tantam scientiam, in tantam morum eminentiam exolevit, ut in neutro postmodum quidquam accreverit.

CAPUT XXIV.

Christus meritis non est auctus, vel melior effectus.

(184) Quid est quod dico? nonne hominum more, homo Jesus dum operibus charitatis insistebat, magis magisque meritum augebat, meritoque aucto se meliorem reddebat? Homo purus incrementis paucis parvisque melior iudicatur; homo Christus tot tantisque ad laudem Dei, hominumque utilitati exhibitis, in nullo quam prius melior redditur: tanta pro Deo tulit, nec Deo gratior exstitit: si enim gratior, profecto et melior; quomodo Christum, propter ea quæ in homine gessit, Deus, juxta Apostolum exaltavit (*Philipp. ii, 9*), quandoquidem propterea gratiorem non habuit? aut si tali ex causa gratiorem habuit, quippe quoniam tali pro causa exaltavit, quomodo non est tanto melior, quanto Deo gratior? Quocirca si, quia factus est obediens Patri usque ad mortem, necesse est credere ipsum merita auxisse, meliorem

(184) Mag. iii, d. 18.

factum Deo magis placuisse; profecto non mox adventu Dei consummationem recepit.

Sed quomodo jam puer Jesus plenus gratia, si scientiam atque charitatem, charitatisque comites reliquas virtutes, quarum omnium in anima locus est, consideras? absque dubio plenus gratia, moxque consummatus exstitit, quoniam in illis incrementum postmodum nullum recepit. Si opera virtutum radice prodeuntia, quæ in dies accumulatiores accedebant, attendis, *Proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et apud homines (Luc. II, 52)*; quo profectu factus est obediens Patri usque ad mortem, propter quod exaltavit illum Deus. Quare Dominus noster Jesus etiam matris in utero secundum quemdam modum consummatus, secundum alterum adhuc erat consummandus.

Sed si mox plenus scientia et charitate, quoniam scientissimus erat, nonne totam obedientiæ suæ viam mentis oculo præcurrebat? quoniam vero summa charitate præeminebat, nonne quæ circa se in obsequium Dei futura noverat, quomodo et quando contingere Patri placebat, ipse quoque et tunc, et eo modo fieri summopere affectabat? Sin autem aliter aliove tempore id maluisset, nonne aut malam aut minus bonam voluntatem habuisset? Quod si omnia quæ redemptionis gratia Deus disposuerat, homo Jesus Dominus noster etiam adhuc puer, ut Patri obediret, confratribus prodesset, quando, ut dictum est, et quomodo oporteret adimplere perfectissime desiderabat, jamjam animo ad omnia paratus, si quæ futura malebat Deus in præsentia fieri voluisset, quomodo cum tam perfecta voluntate, minus bonus, minusve Deo gratus fuit, quam postmodum: quando quæ voluerat complevit, cum, ut dixi, dilatio completionis, non ex ipso, verum ex Patre prodierit:

Sed dices: *Voluntas tam digna magni meriti utique fuit, verum meritum accumulabatur cum ad tantam voluntatem tanta operatio accessit. Sed secundum Scripturam apud Deum perfecta voluntas faciendi reputatur pro opere. Sed dices: Voluntas pro opere reputatur, quia sicut operis retributio dispensatur voluntati, non utique omni, sed quæ per consensum ut perfecta sit confirmatur; non tamen operi æquanda; nimirum minus est solum velle, quam voluntatem perficere.*

120 CAPUT XXV.

Non ut homo meretur auctor charitate.

(185) Sed dicas mihi, quoniam omne peccatum voluntarium; et item quoniam affectus tuus operi tuo nomen imponit; nonne ex voluntate formam nomenque seu boni seu mali operis sibi adsciscit? Nimirum juxta qualitatem cordis, natura est operis, unde Dominus: *Bonus homo de bono thesauro profert bonum, malus de malo malum (Luc. VI, 45)*. Unde dum bonum malumve judicamus opus, sæpissime fallimur, quoniam ex corde aliter nuncupatur: ipsum quippe in se opus neutro nomine est dignum; unde Dominus nunquam opus ex se, verum mentis pro informatione contemplatur. Opus quippe requi-

(183) Magister supra.

rit, sed non nisi quod ex charitate prodit; placet ergo semper ex se charitas; opus autem nunquam nisi ex charitate, sed in sanctis charitas opera bona coacervat, bonum vero opus charitatem accumulatur, ut sit quisque tanto per bonum opus melior, quanto ex opere bono in charitate ferventior. Sanctus autem sanctorum adhuc puer tanta charitate enituit ut, sicut dictum est, in ea nihil accreverit. Sancti in dies meliores fiunt, quoniam in charitate crescunt. Verum Sanctus sanctorum quomodo fiebat melior, quandoquidem in charitate nunquam factus est major?

Attamen quoniam obedivit Patri, juxta Apostolum exaltari promeruerit: quare? num ex operibus quæ nihil sunt nisi cum charitate? an propter charitatem quæ accepta est Deo etiam per se? utique consummatam in Christo charitatem amabat, propter quam et opera recipiebat; hæc enim charitas fructus suos temporibus suis edebat, quos et ante editum semper apud se reconditos in affectu continebat. Unde videtur factus obediens Patri usque ad mortem, non solum dum est mortuus, verum et longe ante, cum ex charitate ad moriendum exstitit paratus, ut præmio dignior non fieret mortis executione, quam antea moriendi voluntate. Quid enim perfidi, si cognoscentes, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent? Dominus Jesus, qui juxta Apostolum propter passionem cruce exaltatus est, num Dominus gloriæ, aut minoris gloriæ, aut nullius fuisset, quoniam passio defuerit, non quidem nolente ipso (quippe quantum in se ad omnia parato) verum persecutore crudelitatem abhorrente? Non puto. Nam si continuatione operum, crescebat et meritum, nonne quoniam et modo benefacere non cessat, adhuc quoque merita accumulatur? quoniam juxta Apostolum sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis (*Rom. VIII, 34*). Num quoniam *Pater usque modo operatur (Joan. V, 17)*, utique opera valde bona, usque modo quoque melior efficitur? num angeli et homines ex resurrectione quando consummatio omnium expectatur, quoniam in sæcula sæculorum laudabunt Dominum (*Psal. LXXXIII, 5*), etiam in sæcula sæculorum augebunt meritum? Totum hoc absit! quoniam quod semper crescit nunquam ad summum pertingit. Si ergo rationalis creatura, ad ipsum suæ consummationis fastigium producta, etiam adhuc imo plus tunc benefacit, nec melior fit; si Creator ipse non cessat bene agere, nec tamen potest crescere: demum si assumpta Creatori humanitas, ipsa quoque in cælo jam recepta, tanto præ aliis bene agens, quanto præ omnibus divinæ voluntati consentiens, nihil tamen incrementi acquirit; quid mirum si in terra passibilis bene est operatus, nec est inde melior factus? Charitas quippe ubicunque est, otiosa esse non potest; quandocunque est, ortus ex ipsa fructus, propter ipsam est gratus. Et quoniam ipsa ejusque fructus in perpetuum protenditur, propter ipsam ejusque

fructum sancti perpetuitate beata munerantur, semel tamen in resurrectione consummati, nihil sperent ulterius adipisci.

121 CAPUT XXVI.

Quid de dæmonibus sit dicendum.

(186) Mirum ergo non videtur, si Dominus noster, ex ipso utero consummatus, tempore suo sibi bona opera continuavit, nec tamen majoris existens meriti propter illa, juxta Apostolum, exaltatione donatur. Quod si homines et angeli consummationem adepti bona jugiter agunt, nec tamen meliores fiunt, quid de dæmonibus dicemus? num dæmonum malitia in diem judicii differtur consummanda, ut cum consummatione pœnæ consummatio veniat nequitiae? Quod si est, sicut quotidie male agunt, quotidie deteriores fiunt; ita ipsi, sicut homines pravi. Sin autem in ipso casu ita dæmonum mala, sicut angelorum bona voluntas consummata est; quemadmodum angeli jugiter bene agunt, nec tamen, quoniam jam consummati sunt affectu, ex bene actis meliores fiunt, nonne similiter dæmones de die in diem mala accumulunt, nec tamen, quoniam jam nequitiam pravæ voluntatis obtinent consummatam, ex mala accumulatione nequiores fiunt?

Quod si male agendo non sunt pejores, quomodo male agunt præsertim modo, aut qua ratione talibus ex factis puniendi sunt? Item, qua ratione merentur impunitatem in majori, cum puniantur homines ex minori? Dominus Jesus bene agebat, neque inde melior fiebat. Et licet melior non erat, bene tamen agebat, talibus ex factis coronandus, propter merita felicior non melior futurus. Sic potest esse ut diabolus male agat, nequior non fiat et tamen male agat; inde tandem puniendus, propter merita miserior, non pejor futurus. Sic angeli bene quidem agunt, neque fortasse meliores sunt, inde fortasse tandem futuri feliciores quam modo sunt, non tamen meliores.

Sed dices mihi: *Si Dominus Jesus quoniam voluntatem in bono habuit consummatam, licet defuisset locus tam sanctam implere voluntatem, nihilominus tamen eandem, quam modo habet, mercedem haberet; nonne angelus bonus et malus, si jam sunt consummati, alter in amore boni, alter in odio boni merito eandem mercedem reciperent, licet fructus, quos amor odiumque quotidie parit, aliqua causa contingere non permisisset?*

Sed voluntas Christi per omnia Deo placere quærebat, omnia in quibus Deo placitura erat, singulatim comprehendens. Voluntas autem angeli in bono confirmata, ipsa quoque per omnia placere Deo cupit, sicut et dæmonum per omnia displicere; sed neutra propter futuri ignorantiam, omnia in quibus placere, aut displicere velit per singula comprehendere valet, quorum accessu voluntas nova exoritur, ut sicut communi voluntate sua, ita quoque singu-

(186) Mag., l. II, Sent., dist. XI, § 4, et seq.

(187) V. Mag., II, dist. 11, § 4 Cujus sent. erro-

lari cum suo effectu, digna procuranda videatur.

Unde angelus, factus captando similitudinem Dei malus, pejor cernitur, dum per casum, ut Deum summe oderit, exasperatur; augens malitiam, dum omnium hominum damna sine intermissione sitiens, non cessat regno Dei invidendo male agere. Quod quoniam sic videtur esse, merito quoque videtur pro eis quæ in cælo, cadensque, gessit, in hoc jam aere tortus, tandem consummata per ea quæ apud nos gerit nequitia, consummate pro omnibus in inferno torquendus.

Paribus quoque in bono gradibus, cuiuspiam fortasse videantur sanctorum merita accrevisse angelorum, donec completo sanctorum numero hominum compleantur simul merita angelorum, ut gloriam in qua permanere debuerunt, quoniam in consilio permanserunt, interim quidem multam, non tamen totam propter numerum casu reliquorum diminutum, obtinerent, numero consummato adepturi in premium consummatam.

Humani ergo lapsum generis utique malum, bonus Deus vertit in bonum, dum lapsorum reparationem ministerio angelorum procurans, 122 non modo homines qui restaurantur, verum et angelos quorum officio restaurantur, dignos putat corona. Etsi aliter fieri posse non negem (187), nihil tamen credibilius putem, quam quod angelus bonus atque malus, diversis quidem viis quasi quibusdam gradibus ad summum usque conscendant, alter justitiæ et felicitatis, alter nequitiae et perditionis; nimirum consummati Dei mox in amore alter, in odio alter, non cessant erescere, hominum alter in amore juvans, alter in odio nocens.

CAPUT XXVII.

Pueritiam sicut et cætera Christus suscepit.

(188) Sed quomodo Jesus juxta Evangelium etiam puer, plenus erat sapientia et gratia, cum pleno viro plena sapientia et gratia magis apta videatur. Num quod non erat puer specie apparebat, quod vero erat vir plena quantitate latebat; sicut resurgens quam deposuerat veterem, ut cognosceretur, formam discipulis ostendit, novam immortalitati obnoxiam, quam mortales ferre nequirent, celavit? Num ergo matris in alvo virilem obtinebat quantitatem, licet natus infantilem nostris prætenderet obtutibus, juxta illud: *Ecce faciet Dominus novum, mulier circumdabit virum?* (Jer. xxxii.) Quid enim est circumdare virum, nisi in utero habere hominem jam adultum, quod utique novum est et inauditum? sed virum non quantitate, verum sexu intelligendum puto. Quare igitur novum? Quoniam ex sola matre absque patris cooperatione genitum. Nam parvulum sæpissima iteratione Scriptura dicit, imo et intelligit. Ratio quippe postulabat, ut exclusa peccata macula, pedissequaque ejus ignorantia, parvitatem pueritiæ, quam nascituris et natura tribuit, et necessitas requirit, sibi Dominus nostram vere naturam induentis notatur.

(188) Mag., III, dist. 15.

dus assumeret: culpam enim atque inscitiam, quoniam Deo minime competebant, abdicavit: carnem nostram etiam parvam, reliquis cum defectibus, quoniam redemptioni profuturam putabat, assumpsit. Quod utique Scripturis magis consonat, hominumque moribus concordat, hoc naturæ placet, ratioque probat. Licet enim hoc facile Christo fuerit, ut sicut se discipulis in Cœna sacramentaliter percipiendum, totum et integrum, licet moriturum, singulis exhibuit; ita triginta annorum magnitudo ventris in arcto comprehenderetur, tanto utique mirabilius, quanto rationi humanæ incomprehensibilius. Attamen fieri non oportuit, neque dici, ne hæreticorum versuta perversitas, reperto fulcimento, difficillime subrueretur, mentiens omnia quæ fides certissime astruit, non secundum veritatem rei, sed ut putabatur, et extra apparebat intelligenda. Nam si non pro vero, verum ut putabatur, parvulus in utero, parvulus natus, parvulus crevisse atque ad robur usque virile quibusdam gradibus pervenisse intelligitur, cur non hæresis simili ratione dicat quod mira fecerit, quod mira dixerit, quod crucifixus, mortuus sit, quod sepultus resurrexerit, denique quod incarnatus sit, putatum est, et non est verum?

Rationi ergo et auctoritati consentientes, imo catholicæ fidei qua Catholici sumus obviare timentes, fatemur ac certissime asserimus Dominum nostrum pro capacitate uteri parvulum more nobis usitato crevisse, ac inusitato natum esse: eum namque virgo concepit, virgo peperit; quippe quoniam absque ardore peperit; virtute Altissimi obumbrante, in castitate concepit; eadem virtute operante, illæsa peperit. Et quem claustra virginittatis integra susceperunt, integra quoque ediderunt.

Sed princeps per portam clausam (*Ezech. XLIV, 2*) in perpetuum procedens de thalamo suo in eundem thalamum, quo ingressu usus est? si substantiam hominis attendo, plane ab utero exivit, in uterum non intravit; si substantiam Dei considero, illam nec locum ingredi, nec loco egredi decet, quoniam non est locus unde desit Dominus: quippe Filius Dei et **123** antea exstitit in utero Virginis; sed postmodum ibidem aliter esse cœpit, aliter utique non usu habitationis, verum unitione carnis.

CAPUT XXVIII.

Utrum proponens bona homo, vel in homine Deus fecit miracula.

Ipse propter homines, quando oportuit, prout oportuit, beatam vitam nobis proposuit. Verum ne solo exemplo prodesset, bonæ vitæ ex ipsa authenticam doctrinam adjecit. Et quoniam nova et inaudita inducebat, mirandam doctrinam miraculis confirmabat.

(189) Sed scientiam quam in homine Christo multam novimus, num ei quæ in divinitate est æquare debemus? Item, miracula quæ Christum fecisse dubium non est, utrum fecit homo an Deus in homine, teste Evangelio: *Agnus Dei qui tollit pec-*

(189) Magist. III, dist. 14.

cata mundi (*Joan. I, 29*). Quid est quod tollere peccata Agnus Dei dicitur, nisi quod secundum quod est Agnus peccata tollit? quid est secundum quod est Agnus, nisi secundum quod est immolatus? quare non solum Deus, sed et homo Deo junctus peccata tollit; ipse enim sanguine suo nos redemit; januas cœli aperuit; nonne enim natura quæ sanguinem pro nobis fudit, ea quoque nos redemit? quæ autem redemit, nonne eadem cœlo inducet, mediatrix Dei et hominum? quoniam quos de terra trahit, cœlis Deo jungendos inducere satagit: vere paschalis Agnus, a vera hujus mundi Ægypto educens, veram in terram repromissionis, quæ viventium est, reducens. Unde patet natura creata quæ patitur, naturæ creatrici, quæ non patitur, unita, pretium nostræ offert redemptionis, merito valens peccata dimittere. Unde miraculo paralytici proprium tollentis grabatum, convicit Filium hominis, peccata posse dimittere. Quoniam super quem Spiritus sanctus in columbæ specie descendit, *hic est qui baptizat* (*Joan. I, 33*). Super quem Spiritus sanctus descendit, nisi super Christum secundum humanitatem; nam divinitati id minime congruebat? Christus ergo secundum humanitatem baptizat.

Sed quid est baptizare, nisi aquæ sacramento peccata delere? Christus ergo secundum humanitatem peccata delet (190). Nam super illum quem jam prædiximus locum, ubi dicitur: *Hic est qui baptizat* (*Joan. I, 33*), legendo invenis et Dominum Jesum, simul cum sacramento baptismi quod ministris commisit, commisisse etiam potuisse baptismi efficaciam, quæ est abolitio peccati; quam tamen sibi retinuisse maluit. Quod si Dominus Jesus tantam potestatem ministris potuit conferre, ut non solum baptizarent, verum etiam peccata delerent; quis audeat negare naturam in Christo, etiam humanam, habere potestatem dimittendi peccata? Quod si vitiis purgat, virtutibus quoque illustrat, quippe *ascendens in altum dedit dona hominibus* (*Ephes. IV, 8*). Quid est ascendens dedit, nisi quod substantia quæ ascendit ea dona distribuit? quæ autem dona? uno nomine intellige omnia: fidem, veniam, intelligentiam, religionem.

Sed humanitas quæ justa suis feliciter captivatis etiam in terra distribuit, sicut consequens est, in cœlo æterna bona retribuit; humanitas quippe, quoniam Deitas quæ ubique est, nusquam venire potest, ipsa ventura est judicare vivos ac mortuos, quoniam *Pater non judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia Filius hominis est* (*Joan. V, 22*). Christus ergo, quia Filius hominis est, id est in natura hominis, judicaturus est. Quid est autem *judicaturus* nisi unicuique juxta opera redditurus? humanitas ergo Christi, bonos in cœlo beatitate donabit, malos in inferno sine fine tradet cruciandos. Quod si hominis substantia hæc tam magna potest, quanto magis miracula potest? Unde paucis panibus et pisciculis multam hominum multitudinem satiavit (*Matth. XV,*

(190) In Glossa.

34; *Marc.* viii, 7), et super aquas firmo vestigio incessit (*Matth.* xiv, 25); num ergo liquorem solidavit, ut pondus sufferret calcantis, aut pondus interim ademit corpori, ut portabile fieret undis? **124** quod utrumque facere potuit, sed non esset jam miraculum super mare ambulare, imo fluctus ex concretionem, aut ponderis ex levitate. Miramur ergo pondus humani corporis liquidum calcasse maris, dum Scriptura pro miraculo memorat super mare ambulasse; nec æquor densatum, nec hominem alleviatum, (quoniam utrumque tacet Scriptura) præjudicamus; ne fateri sit necesse aquam prius, ambulante super eam Petro (*ibid.*), solidatam, mox eo immerso dissolutam, statim eodem retracto, atque super aquam incedente, solidandam. Aut si aqua naturam servavit, aquæ illapsus Petrus, corpoream molem quam prius amiserat recepit, mox retracto perdendam.

At quoniam qualitatum itus hujusmodi et reditus minime sedet rationi, necesse est fateri pondus iisse super liquidum, virtute Dei, qua dissimulante immersum est juxta naturam rei, ut perpendas quid naturæ congruat, quidque miraculo fiat. Sic quoque Dominus paucos panes confringens, fracturamque magnificans, in tantum multiplicavit, ut ex tanta multiplicatione tantus populus facile satiaretur, admirans adeo paucos crevisse panes ut ex paucis multi satiarentur. Ergo qui omnia creavit ex nihilo, quique costam Adæ (*Gen.* ii, 22) nullo extrinsecus adducto integram formavit in mulierem, idem panum paucitatem in copiam benedixit grandem, non res a pane diversas in panis qualitatem transformans: alioquin non de pane panem factum mirabor; de paucis autem panibus multiplicatione facta multos satiatos denegabo. Sed hoc negare contra Scripturam est; illud autem dicere inauditum est. Paralyticum quoque Christi humanitas inter cætera potentia suæ miracula solidavit (*Matth.* ix, 6), ut per miraculum, quod ab ipsa fiebat visibiliter, invisibilis peccaminum dimissio ab eadem fieri crederetur. Nam cum Judæi dubitarent, imo, quod pejus est, discredere, quod humanitas quam solam intelligebant, relaxare facinora posset; ut eos interior paralytici curatio minime lateret objecit exteriorem. Nam quoniam demonstrandum fuit, quod humanitas ipsa peccata dimittebat, oportuit in conspectu hominum eandem mirabiliter operari. Quod si ipsi curatio animæ conceditur, multo facilius curatio corporis concedetur: nam et medici curare corpora possunt, animas nequeunt.

Ad hæc respicientes merito non solum Deum, verum et hominem in Christo veneramus; unde tanquam ex plenissimo fonte plenissima nobis omnium bonorum inundatio emanat: quibus in bonis dum hominis largitatem recognoscimus, Dei quoque beneficium in eisdem prædicamus; quippe Apostolo teste, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* v, 19). Deus ergo passione hominis uniti

(191) Mag. iii, d. 14.

sibi, mundum redemit, peccata dimittit, virtutibus illustrat, miraculis corruscat, vita æterna beat, Deus per propriam potentiam hæc potest, homo eadem; verum ex beneficio Dei potest.

CAPUT XXIX.

Utrum potest homo quidquid Deus.

(191) Num similiter omnia quæ potest Deus, dono Dei potest et homo Deo unitus, juxta quod de se ipse post resurrectionem fatetur, dicens: *Data est mihi potestas in cælo et in terra?* (*Matth.* xxviii, 18.) Nonne homini data est, quoniam eam ante datum ipse non habuit? non Deo, quoniam sine ea ipse nunquam fuit: magnum quantitate, conspicuum decore, tota demum status sui ratione mirandum quoddam opus est iste mundus; verum quoniam insensibilis atque inanimatus est, longe præstantior est homo, quoniam ad imaginem Dei est factus. Cum ergo præclarum sit quod Deus hominem creavit, longe præclarior nitet, quod qui perierat recreavit; quoniam enim hominem secundum se ex limo, secundum animam ex nihilo machinatus est, potentem veneramus. Quoniam vero hominis a Domino ad diabolum abscedentis, utramque substantiam miserabiliter abscedendo fœdatam, **125** restaurare dignatus est, indebitam potentis pietatem vehementer admiramur. Mira pietas, ut contemptorem sui auctoris bonitas revocaret. Mira potentia, ut hominem jam totum malum ac per hoc emendationi resistantem in bonum commutaret. Utique mira, imo magis mira, quam cum eum qui nondum erat, ac per hoc operanti obniti non poterat, hominem crearet. Unde patet inter divinitus operata, redemptionem præcipue ad præconium Dei pertinere. Salvatoris ergo humanitati, quoniam ipsi, quæ maxima est potestas redimendi divinitus collata est, quæ reliquarum neganda est? Quandoquidem ei, ut ipsa de se testatur: *Data est omnis potestas in cælo et in terra* (*Matth.* xxviii, 18).

CAPUT XXX.

Utrum tantam scientiam et bonitatem habet homo ut Deus.

(192) Quod si totam Deus suam potestatem homini unito sibi concessit, totam quoque scientiam suam concessisse fatendum videtur. Cur enim potentiam habere, totam, scientiam vero diminutam? cum omnipotentia omni egeat scientia, ne in aliquo imprudens in eo ruat in præceptis, præsertim cum plenum sapientia (*Luc.* ii, 40), veritas astruat evangelica: qui enim sapientia est plenus, ita sapientiam habet, ut sibi sapientiæ nihil desit; quippe si quid deesset, ex parte vacuus, plenitudine careret. Quod si tantam potestatem, tantamque divinitus suscepit intelligentiam, nonne duabus tertiam parem oportuit obtinuisse bonitatem, ne cum duas moderamine quoddam tertia temperet, condiat, atque ornet, in tantum displiceant, quantum tertiam excedentes, comitem habere recusent? Ut enim nihil veritatis nihilque bonitatis illi deesse intelligamus, *plenum gratiæ*

(192) Magister supra.

et veritatis (Joan. 1, 14), Evangelium non tacet. Gratia nimirum est, bonum gratis datum.

Dicemusne ergo quod quam potens, quam sapiens, quantumque bonus est Deus, tam quoque potens tamque sapiens, tantum et bonus sit homo quoniam uni-

tur Deo? Quod si ita est, quomodo minor Deo secundum illud: *Minor Patre secundum humanitatem*. Sed quantumcumque est, nihilominus tamen homo inferior est Deo, inferior utique est, quoniam munere Dei totum habet.

LIBER QUARTUS.

126 CAPUT PRIMUM.

Factura Factore minor est omnimode.

Verum si incongruum hoc quoque est, ut quolibet modo Factori factura æquiparetur, nec ille homo qui nos redemit, quoniam creatura est, Creatore cum suo ejusdem potentiæ, et prudentiæ, atque bonitatis esse debet: omnia inferiora sortitus, tanquam Deo subjectus, omnibus tamen creatis longe celsior, quoniam homo factus est Deus; quantum inferiora excedens, tantum aut plus a superiore excessus, teste enim Domino, *Nemo bonus nisi solus Deus* (Luc. xviii, 19). Unde si in illa quæ Christus est una persona Deum et hominem distinguere velis, nec tantus homo bonus est Deo collatus, juxta illud: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Psal. cxlii, 2). Quare nec humanitas a Deo assumpta, si divinitatem attendas, justa apparet: humanitas nimirum et bona et justa est, sed cum divinitate inspecta, quoniam ipsa longe præeminet, ex collatione hebet; equidem speciosa præ filiis hominum creatis comparata cunctis præcellere invenitur. Quoniam vero divinitas longe celsior est, ipsi comparata utique parva est: nam si Hieronymo credimus (195): *Divinitas sola est in quam peccatum non cadit; cætera cum liberi arbitrii sint, peccare possunt*. Sed humanitas Salvatoris inter cætera computatur: cum ergo liberi arbitrii sit, num peccare potest?

Certa res est, Dominum ac Redemptorem nostrum hominem Jesum nihil repudiasse quod humanam naturam habere oporteat, sed posse (194) peccare ex ipsa natura homini indidit Deus, ut meritum foret hominis, vigore liberi arbitrii culparum abstinentis. Unde arbitrantur nonnulli, quod oportuerit ut Dominus noster Jesus servis atque fratribus assimilatus per omnia absque peccato, potuisset peccare, quatenus et ipsi major cederet gloria vitanti mala, quoniam posset perpetrare illa, quam si adeo a peccato cessaret, quoniam peccare non posset.

De divinitate nemo objiciat, quæ utique tanto est gloriosior, quanto non solum a peccato, verum a posse peccandi est remotior; aliud quippe est de dominatore Deo disputare, cujus est decus in gloria majestatis; aliud de homine servo, cujus item decus constat ex obsequio subjectioris. Sed ille pro-

habiliter obsequitur, qui, ut ait Scriptura: *Potest transgredi et non est transgressus* (Eccli. xxxi, 10). Servus itaque omnis, quantumlibet in servitute devotus, **127** ita utique est bonus, ut possit esse malus; sed qui in bono constitutus inde moveri potest, plane eo inferior est qui in bono immobilis est. Bonus ergo Christus homo, sed incomparabiliter melior Deus (195). Sed tametsi asserunt quamplurimi, nullatenus peccare potuerit homo Christus, tamen longe melior est Deus per naturam, bonus quoque homo, sed per gratiam; sed quod per naturam, eo fortius est, quod per gratiam est.

CAPUT II.

Deus ut bonitate excedit hominem et potestate.

Quod si hominem Deus excedit in bonitate, excedat quoque in potestate: divinitas quippe hominem quem assumpsit ipsa creavit, potens illi quamplurimos creare pares. Posset (196) quippe Pater, si vellet, in altero homine incarnari, Spiritus sanctus in tertio. Hoc fieri potuit, sed ut fieret opus non fuit: sive enim ad potentiam, sive etiam ad humilitatem, atque misericordiam Verbi pertinet incarnatio, quoniam tria hæc Trinitas tota indissimiliter habet, Patrem cum Spiritu sancto nulla difficultas, sed sola ab incarnatione voluntas detinuit, ne minus conveniret, si qui in Trinitate Filius non est, in homine filius fieret.

Dei ergo Filius factus Mariæ virginis filius, nonne sicut beatam Mariam maluit, aliam matrem eligere potuit? utique, quoniam Omnipotens sola id gratia agebat, in sanctarum qualibet virginum homo fieri poterat, nisi quia gloriosam Mariam benedictam in mulieribus invenit, vel potius fecit. Cur autem eam et non aliam idoneum sibi parare habitaculum maluit, ipse novit, id nobis forte manifestaturus, cum eo ei similes erimus. Qui et sine matre homo fieri sciebat, nisi quia hominem inter homines conversantem similitudo nascendi decebat.

Ipsa quoque quemadmodum corpori in sepulcro, spiritui in inferno uniebatur, quolibet pari modo convenire hominibus difficultas nulla foret, nisi homo quem assumebat, imo sibi condendo aptaret, solus ad negotium nostræ restorationis sufficeret. Unde patet, quod ex Deo Patre natus, ex Virgine ma-

(195) In fine tract. De filio prodigo.

(194) Aug. l. De grat. Chr. cap. 17, et seqq. ubi vocat possibilitatem peccandi, quam a Deo esse ibi docet.

(195) Aug., l. iii contra Max., c. 12.

(196) Mag., iii, dist. 1, § 3.

tre natum condidit, ut ei compares quamplurimos aut ex matre aut sine matre condere posset. Verum præ omnibus decet, quod Unigenitus Patris, Unigenitus quoque sit matris, quod solus Deus, solus quoque sit homo. Sed homini tametsi ipse cum Deo una est persona, ratio omnem tollit potestatem faciendi se aut pares sibi; nimirum necesse est omne opus natura alterum putari ab opifice, atque inferius multo dignitate. Quare si substantias, alteram creatricem, alteram creatam secundum se in Christo attendis, creata patet ita inferior potestate, sicut etiam bonitate.

CAPUT III.

Potestas Dei et hominis non est eadem, sed diversa.

(197) At aliquid fortasse objicietur : Si assumentis et assumpti ideo eadem potestas non est Dei et hominis, quoniam potest Deus quod non potest homo; quomodo eadem potestas est Patris et Filii, et Spiritus sancti? quoniam enim quod naturaliter est, esse potest, Patri gignere quoniam gignit, possibile est filio quoque gigni quoniam ipse gignitur, Spiritui sancto procedere quoniam ab utroque procedit. Horum autem trium quisque sic illud potest quod ad se pertinet, ut non possit id quod ad alios pertinet: quomodo ergo una eademque potestas est omnium, quoniam id possunt singuli, quod non possunt ceteri?

Sed quisquis in agendo plus potest, is utique potentior est; nam in malo posse non posse est; nam qui in vitio potens est, is utique vitiosus et impotens est. Verum qui potest transgredi, non ideo aut transgressor aut potens, est. Quicumque autem potentior est, is procul dubio potestatem habet, tanto diversam **128** quanto præcipuam. Quare Christus Deus quam Christus homo, quoniam in agendo plus potest, ideo plane potentior est: ac per hoc quoniam potestatem majorem habet, non eandem, sed diversam habet. Una quidem potentia, unam habendo potentiam, sicut aut virtutem aut scientiam, habet eam modo majorem, modo vero minorem. Verum duæ substantiæ quoties altera plus potest aut scit, non solent ejusdem dici, nedum esse aut scientiæ aut potentiæ: sed et cum ejusdem enuntiantur, utraque tamen habet suam, sed alteri parem. Sic quoque cum quis crevit aliqua in scientia aut potentia, alterius dicitur esse scientiæ et potentiæ, quam prius; tamen quæ crevit a se non est altera, sed alterata. Locutio modos suos habet et variatur, veritas eadem est, nemo fallatur.

CAPUT IV.

Potestas Trinitatis eadem est et æqualis.

(198) Sed trium personarum, nulla plus potest quam alia; quoniam quidquid in agendo potest una, potest pari modo et alia: quippe Filium gignere, seu gigni a Patre, demum ab utroque procedere, id operari non est, quoniam, auctoritate teste, opera Trinitatis sunt indivisa. Si enim gignere et procedere, esset operari, opus suum auctor utique anteiret, et generatio æterna non esset; sic quoque

(197) Magister III, dist. 14.

(198) Magist., I, Sent., dist. 7, § 6 et 7.

providere, operari non est, sed scire. Quid est ergo in hoc loco Filium gignere, nisi Patrem esse, gigni a Patre, nisi Filium esse, ab utroque procedere, nisi Spiritum sanctum esse?

Sed esse Patrem (ut in uno trium, naturam singulorum perpendamus) nihil aliud est nisi esse Deum habentem Filium. Quis autem dicere audeat operationem cujusquam esse Patrem, seu Deum habentem Filium; præsertim cum omnis operans opere suo sit dignior atque melior? quis enim operator ille esse posset, qui melior jure esse deberet, quam sit, esse Deum habentem Filium? Quam mala est iniquitas, tam malum est esse iniquum; quam bona est justitia, tam bonum est justum, prout bonus homo, bonum est esse hominem. Denique qualis est unaquæque res, tale est esse eam rem; ergo quam bonus, et dignus est Deus habens Filium, tam bonum atque dignum est esse Deum habentem Filium.

Nam si dicas: Quod Deus bonus, est magis; esse autem Deum, minus, cum quantum boni est esse Deum, tantum gloriæ habeat Deus. Sine dubio Deus apud te magis est bonus, et minus habet boni atque gloriæ. Sed evincit ratio gloriam Dei atque beatitudinem bonitati ipsius atque dignitati parem; ergo quam bonus et dignus est Deus habens Filium, tam bonum atque dignum est esse Deum habentem Filium. Sed melior atque dignior, quam est Deus habens Filium, nullus esse potest: melior ergo atque dignior, quam est esse Deum habentem Filium, nullus esse potest. Nam quid est esse Deum habentem Filium sibi cœqualem, nisi gloria atque majestas Patris, quam a quoquam excedi nefas est? sic esse Deum habentem Patrem sibi cœqualem, utique gloria, atque majestas est Filii. Unde si personas distinguere intendimus, æqualem gloriam, cœternam majestatem, aliam tamen et aliam invenire videmur; quippe nisi alia et alia esset, æqualitas unde veniret? nam unde distinctio deest, ibi nulla ratione æqualitas, sed cum existentia identitas potius adest.

Sin autem non personas distinguere, sed personarum substantiam, quæ utique una est, considerare volumus, jam una est divinitas, una quoque gloria, eademque majestas invenitur. Quod intellexit qui dixit: (199) Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria cœterna majestas. Dum enim tribus personis unam divinitatem attribuit, quod in ipsis unum est, attendit. Dum æqualitatem gloriæ, atque cœternitatem majestatis subjungit, aliam et aliam **129** personam cognoscit. Procul dubio dum æqualis gloriæ meminit, æqualitatem respexit personarum, non gloriarum. Trium quippe inter se parium una est gloria atque majestas, sicut una immensitas, una quoque omnipotentia, dominium atque æternitas, una demum divinitas. Sicut enim non tres dii, sed unus est Deus, non tres immensi, non tres omnipotentes domini

(199) In Symb.

æterni, sed unus; ita merito, non tres divinitates, sed una est divinitas; non tres immensitates, omnipotentiae, dominia, aeternitates, sed una. Simili igitur modo, quomodo non tres gloriosi, sed unus; ita non tres gloriae, sed una.

Nec immerito ita est, quippe quoniam Deus unus est, omnis quoque, ut ita dicam, Dei forma aut proprietates una est; sicut quoniam tres Personae sunt, tres quoque personarum proprietates singularum singulae sunt.

Sed cum omnis persona, ut de sola agam Trinitate, Deus est; Deus item omnis persona est: atque ideo quae Dei est, ipsa quoque personarum proprietates est: item proprietates personarum necessario Dei est; quid est quod alias divinitati, alias attribuo Trinitati? Ego proprietatem illam omnem, quae tribus personis communis est, Dei dico, ideo quoniam Deum esse, ipsum quoque tribus personis commune est; illas autem quae singularum singularim sunt merito proprietates dicas personarum; has autem proprietates (ut iminorer in duabus) assumo habere Patrem Deum, item habere Filium Deum, quarum utraque multa utique est gloria. Et cum haec sint proprietates ab invicem alia et alia, non tamen alia quoque et alia gloria, verum una sola. Sic Pater et Filius uterque utique est Deus: et cum Pater et Filius alius sit et alius, non tamen alius et alius Deus, verum unus solus. Et sicut Patri Filius, Deo Deus aequalis est (aequalis utique quia Filius, nam unum et idem quia Deus) ita quoque trium personarum aequalis est gloria, sed propter personas dicitur aequalitas, nam in gloria est identitas.

Et quidem si quis ipsum gignere aestimet operationem esse, idemque concedat quod ipsum gignere, nihil aliud sit quam Patrem esse, modo supra dicto confutatur. Sin vero, ut ipsum gignere opus defendat, idem gignere id esse, quod est Patrem esse, contradicat: verum idem ipsum gignere, quare Pater sit causam esse concedat; quomodo ulla operatio tantae efficaciae est, ut ex ea Pater (qui utique Deus est) habeat esse; cum magis conveniat, ut ex eo operatio, non ipse ex operatione procedat?

Et quidem Filium (qui utique *principium est de principio*) aliquis fortasse concedat (200) causam habere Patrem, quoniam Filius ex Patre est. Verum Pater qui *principium est sine principio*, quomodo causam quare sit habeat, cum Pater ex nullo sit? Si ad id confugiat, ut dicat ipsum gignere causam esse, non quidem ut persona illa sit, verum ut Pater sit, responde apud nos quidem aliud et aliud est esse personam, et Patrem, quia est persona, cum non est et quae non est Pater: sed non ibi, id enim est esse illam personam, quod esse Patrem, et e converso gignere ergo ac gigni, atque demum ab utroque procedere, proprietates utique con-

venienter dicuntur personarum, non actiones earum.

Ut ergo in operibus sanctae Trinitatis nulla divisio sit, quidquid in agendo potest una persona, potest pari modo et alia. Quare si trium opera personarum pensas, trium una eademque reperitur potestas: sin trium proprietates personarum contemplaris, id singulae procul dubio possunt, quod reliquae nullo modo possunt, et sicut Deus Pater non est Deus Filius (quoniam duae sunt personae non tamen dii duo, sed unus est Deus); ita fortasse potestas generandi Deum, non est potestas generandi a Deo, quoniam duae sunt proprietates, nec tamen duae sunt potestates, sed una. Quamobrem quoque te veritas, una eademque personarum trium erit sicut gloria, ita quoque potestas.

Nisi quis dicat tres unam habere potentiam, majestatem, gloriam, **130** et hoc ex unitate divinitatis, quod indubitanter verum est: iterum quemque suam, et hoc ex distinctione suae proprietatis, quod forsitan verum est. Sed addit inde consequi, ut trium tres sint potentiae, et totidem gloriae; indeque probari, ut ipsi sint tres et potentes et gloriosi; quemadmodum ex potentia et gloria divinitatis, una quidem unius, unius similiter sunt potens et gloriosus. Sed prior via minus scrupulosa, quia verba magis usitata: verum si hominis et Domini substantiam cum substantia unitam pensas, altera alterius major utique atque minor potestas declaratur

CAPUT V.

Quomodo Christo homini data sit omnis potestas.

(201) Nihilominus tamen data est Domino Jesu omnis potestas. Utique quantam oportuit dari homini. Sed cui homini? Utique illi quem assumpserat Deus. Sed quomodo omnis potestas datur, si danti major reservatur? Major adeo, ut quanto nemo aestimare queat. Sed consuevit Scriptura plus dicere minusque intelligere, atque e converso velle plus et sonare minus. Quanto autem potestas minor, tanto quoque sanctitudo ac fortasse sapientia inferior intelligitur; nihilominus tamen Dominus noster secundum humanitatem erat plenus gratiae et veritatis (*Joan. 1, 14*); quaecumque enim res re altera dicitur plena, non quod eam comprehendat totam, sed quod de ea plus capere non queat. Aut si qua in re ad invicem parem debet habere mensuram Dominus atque servus, id de scientia citius consenserim; ut longe plus dante Deo obtinuerit scientiae, quam religionis atque potentiae; solito nobis more, qui licet parum boni, multo tamen magis scimus, quam vivendo aut facere velimus, aut volentes possimus. Sed quantumcunque humanitas sciat, inferior tamen apparet, quoniam dono divinitatis totum accepit.

Veruntamen tantum scire creaturam, quantum Creatorem, aut hanc illi in quolibet aequari, nec v. De Trinit. c. 7. et Graeci coiter.

(201) Magist., iii, dist. 14.

(200) Aug., l. LXXXIII, qq. q. 16; Hilar. XII, De Trin. Victor. Afer., li. I. adv. Ariam; Richard., l.

cordi bene sedet, nec Scripturæ placet; unde in A Propheta humanitas divinitati ita ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam* (*Psal. cxxxviii, 6*) (202). Nimirum scientia divinitatis per humanitatem prædicata, mirabilis facta est hominibus, quibus tot arcana patuerunt, et confortata est in pectoribus hominum: dum autem subditur *et non potero ad eam*, veritas humanæ conditionis aperitur, quia homo assumptus divinæ substantiæ æquari non potest: quasi diceret: Multum quidem in scientia tua proficio, ad eam tamen plene capiendam non per-tingo.

CAPUT VI.

De voluntate Dei, et potentia, et prece in pas-
sione.

(205) Sed Dominus noster Jesus etiam adhuc moriturus quidquid oportuit voluit, quidquid voluit potuit, ut non solum secundum humanitatem, verum etiam secundum divinitatem ejus fuerit amplior scientia potestate, potestas quoque amplior sancta operatione. Nonne enim utraque natura, major ex se, minor ex majore, quidquid potest novit, non tamen quidquid novit potest? Nimirum novit mala, nec potest mala. Constat item quod quidquid agit, potest, non tamen quidquid potest facit: nam pleraque in se considerata, bene fieri poterant, verum ad universitatem relata non fieri melius decet, quippe nonnulla quæ facta enitescerent, infecta mavult Deus, quoniam in ordine rerum aliud sedet: nimirum Deus, qui res ordinasse alias aliter poterat, hunc, qui fit, sua consultus ratione ordinem elegit, in quo sic magna parvis, sic mala contemperavit bonis, ut universitas perspecta, undique delectet intuentem, ut in quamlibet modico mutata decoloret speciem. Nam quæ nos inconsulte agimus, ad decorem decusque fabricæ **131** suæ consultus disponit Deus. Nos nunquam quiescimus agere perverse, ne quiescat Deus de malis nostris sua educere bona. Homo quia malus, operatur malum, Deus quia bonus, vertit in bonum; nec curat qui omnipotens est impedire mala, quoniam de malis oriuntur bona. Mala indubitanter a Deo contemnuntur, verum quoniam bona pariunt, merito tolerantur. Deus ergo mala quoniam contra prohibitionem fiunt, merito in nobis punit; quoniam vero de malefactis novit bene facere, consulta Dei severitas sinit fieri mala ut eveniant bona. Quando autem malis inter bona locus non est, quoniam aliam progressionem in rebus ordinavit Deus, raiseratione provida fieri mala non sinuntur, ne bona propinquitate sæda obfuscentur. Igitur dispensatio divina ordine glorioso universitatem rerum nobilitat, dum solum bona ad actum perducit, simul omnia more suo disponit taliter, ut cum bona nativo de splendore debeas venerari, mala quoniam tantum boni proferant, nequeas satis mirari. Id plane ad exaggerandam jucunditatem

(202) Vide Cassiod. ad hunc locum.

pertineat, quod loco tali, talique tempori singula aptantur, quo universitatis honori maxime conveniat.

Nunc ituc revertamur, ubi de Domino nostro dicebatur, quod etiam adhuc moriturus, quidquid oportuit voluit, quidquid voluit potuit. Quomodo enim quidquid oportuit voluit, si cum gloriosæ Trinitatis voluntatem, ut ipse pro nobis crucifigeretur, novit, nihilominus prudens contra Dei voluntatem non crucifigi optavit, dicens apud Marcum: *Pater, omnia possible tibi sunt; transfer calicem hunc a me?* (*Marc. xiv, 36.*) Cur enim transferri calicem hunc, id est mensuram suæ passionis a se rogat, si pati juxta voluntatem Dei desiderat? Hanc voluntatem Dei utique intellexit, cum apud Joannem percussori Petro ait: *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum?* (*Joan. xviii, 11.*) Sed hoc dicens non solum voluntatem Dei novit, verum etiam ad nutum Dei se calicem bibiturum indicavit. Quomodo igitur paulo ante quod oportuit voluit, si contra nutum Dei scias non pati concupivit? quomodo quod voluit potuit, si quam recusabat passionem non evasit? quomodo, inquam, quod antea recusabat, dicens: *Pater transfer calicem hunc a me* (*Luc. xxii, 42*): paulo post cupiebat, dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam?* (*Ibid.*) nunquid apud illum ex stupore est, et non erat? absit! Nam pro salute nostra mori utique semper desideravit, ita factus obediens Patri usque ad mortem. Quippe si stoliditatis more modo nollet, modo pati vellet, non solum obediens Patri, verum etiam inobediens fieret; quippe apud eum stupor locum habere non poterat, qui *capit pavere et tædere* (*Marc. xiv, 35*). Nostra fragilitas ex stupore errat, quam pavor et tædium in sciam præoccupat; Dominus autem Jesus ex pavore non obstupuit, quoniam nequaquam eum, ut nos, pavor ex improvise arripuit, consilio præventus timuit, ut errorem quem absque consilio pavor ingereret, consilii patrocinium excluderet: pavorem atque tædium passurus, sponte accivit, ne desperent sancti in passione, cum tædio ac pavore inscii præveniuntur: unde Domino in ipso pavore ac tædio, angelus de cælo apparuit, confortans eum, ut sancti in anxietate de cælo confortationem expectent. Nam qui juxta Evangelium: *Cæpit contristari et mæstus esse* (*Marc. xiv, 34*), mæstitia utique propria de voluntate innata, non exteriori molestia illata, id nimirum intelligitur, cum *cæpit mæstus esse* (*Matth. xxvi, 37*) auditur. Propria quoque de voluntate confortandus erat, quoniam consolatore angelo non indigebat. Ipsum ergo angelus sermone confortabat; re vero se ipsum ipsemet, ut opus erat, confortabat.

Spontaneus pavor, quem dixi, atque mæstitia, ut ipse ordo narrationis indicat, orationem illam, *Pater, transfer calicem hunc a me*, certissime expressit; oratio quippe talis mæsto ac timenti convenire videtur. Horrui ergo, ut natura exigit, mortem Christus; sed sponte, quod ultra naturam est, ex horrore

(205) Mag. l., iii, dist. 17.

tali, talem fudit orationem, ut non mireris cum **132** A sancti horrore mortis percussi, etiam in verba quæ administrat tremor, subito prorumpunt. Sancti pavorem ac mœstitiam, quæ imminente letho naturaliter ingeruntur, reprimentes, securi ac per rationem gaudentes affectant palmam martyrii, ex carnis fragilitate pavidi, ex consilio rationis securi: *Spiritus enim promptus est, caro autem infirma* (Marc. xiv, 58). Sanctus autem sanctorum nolens pati oraverit transferri calicem a se, fons charitatis offendens in dilectionem Dei passionem mandantis, in dilectionem proximi passione indigentis: absit! Nam in hac prece quæ ait: *Pater, omniaabilia tibi sunt, tolle calicem hunc a me* (ibid.), non ut non pateretur postulabat. Verum iste sensus est: *Pater, omniaabilia tibi sunt, atque ideo, quod tibi facile est,* B *transfer calicem hunc a me, si tamen transferri oportet.* Ut autem in his verbis hunc sensum habeamus, quamvis hoc totum non sonant, monent ea quæ sine intervallo apud eundem Marcum antecedunt, atque subsequuntur. Nam præmittitur: *Orabat, si fieri posset, transiret ab eo hora* (ibid.), id est, orabat ut si fieri oporteret, recederet ab eo passio, quæ licet horaria, attamen erat amara; quippe in nostro usu id fieri potest, quod fieri oportet. Id orabat, sed quibus verbis? utique illis quæ mox subjunguntur: *Pater, omniaabilia tibi sunt, transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu* (ibid.). Quid est enim: *Pater, omniaabilia tibi sunt, transfer calicem hunc a me, nisi: quoniam omnia potes, Pater, tolle* C *passionem? Quid est quod subditur: non quod ego volo, sed quod tu, nisi: si tu vis, ut sit summa: Pater, tolle mihi passionem si tu vis.* Hoc est quod apud Lucam legitur: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me.* Hoc idem apud Matthæum ita est: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. xxvi, 59).

Sed cum fixa atque immutabili sententia suam humanitas passionem placere divinitati nosset, ad quid pertinuit orare, ut si Deo placeret, passio non veniret? Nam quod scitur Deus nullatenus velle, quid prodest quomodocumque postulare? Sed dum modo orantis verba proferebat, affectum animi sui ex passionis horrore pavefacti nobis indicare curabat; qui talis utique erat, ut nisi obediendo Deo, compatien- D do proximo, astringeretur passioni, mallet eam tanquam amaram liberante Deo evadere: ac per hoc merito fieret Deo charus, homini gratus, dum quod displicebat ex se, placebat ex illorum consideratione. Unde postquam prædictum est: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste,* in quibus verbis procul dubio affectus ille animi, quem modo declaramus, manifestatur, mox quasi adversando subjungitur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* quippe quodammodo sibi adversari videntur affectus animi ex carne nati mortem renuntiantis, et voluntas Dei atque rationis mortem mandantis. Utraque voluntas, altera Dei sive rationis, altera carnis (quæ in hoc

(204) Magist., III, dist. 15.

A loco nihil aliud intelligitur, nisi horror quidam et tremor mortis) in hac paucitate verborum continetur, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nam dum dicitur: *Ego volo,* horror mortis demonstratur; dum subditur *sicut tu,* voluntas Dei manifestatur. Tota autem verborum comprehensio, qua dicitur, *non sicut ego volo, sed sicut tu,* id patefecit, quod non horrore mortis, sed voluntati divinitatis Dominus Jesus consentit. *Velle autem pro horrere,* et ibi Dominus posuit, dum Petro ait: *Cum autem semueris alius, te cinget et ducet quo tu non vis* (Joan. xxi, 18). Horror timentis primam occupavit partem orationis hanc, *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste;* devotio et voluntas orantis, postremam hanc, scilicet, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Non sicut horror ac timor monet, sed sicut Deo placet. Quamvis affectus carnis, et erga se et erga miseriam Synagogæ, aliud suadet, ita: *transeat a me calix iste, et cum modo tali, si possibile est;* verumtamen licet id velim quod tu, *fiat non sicut ego volo, sed sicut tu;* fiat non quia ego homo volo (nam sequi humanum velle non valet) sed quia tu, **133** Deus, id vis; nam sequi divinum velle decet, quo nihil sanctius dici potuit. In quo patet voluntatem in Christo aliam esse hominis quasi obedientem, aliam divinitatis quasi jubentem.

CAPUT VII.

Utrum Christus timuerit panis deputari.

(204) Sed qui mori timuit, num quoque tormentis gehennæ intrudi formidavit? Si enim gehennam non timuit, cur in Propheta ad divinitatem ita orationem fudit: *Ne simul tradas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me?* (Psal. xxvii, 5.) hominem sibi assumptum divinitas simul traderet cum peccatoribus, si juxta votum crucifigentium morti daret non revicturum. *Cum operantibus iniquitatem perderet,* si, sicut optabant Judæi, Dominum nostrum damnaret. Cur ergo sic oraret, si se nec in morte mansurum, nec post mortem perdendum timeret? Verumtamen quomodo id timere potuit, quandoquidem præditum atque plenum sapientia, veritas (præsertim hujusce rei) haud latere debuit? Unde in Propheta ad eum directo sermone, dicit: *Non derelinques in inferno animam meam, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (Psal. xv, 10). Sanctus iste quoniam in sepulcro non erat corrupendus, præmittebat: *Caro mea requiescet in spe* (ibid.): caro quippe in terra quievit in spe resurrectionis. Quoniam vero anima ab inferis reducta, corporique reddita integer homo ad dexteram Dei erat sublimandus, ita quoniam a dextris sibi erat, propterea lætatum est cor ejus: quomodo igitur perdi timuit qui de salute dubius non fuit? aut si perdi non timuit, cur ut non perderetur rogavit? quomodo replevit eum Spiritus timoris Domini, de quo dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini* (Psal. cx, 10). Et item: *Illum autem timete qui potest corpus et animam mittere in gehennam*

(*Matth.* x, 28). Initium quippe sapientiæ est illum timere, qui potest corpus et animam mittere in gehennam: qui timor quomodo eum replevit? num sicut nos plerumque fieri pertimescimus quod ratione docti minime futurum scimus: ut noctu occursum mortui trepidamus, quod natura præpediri haud ignoramus. Item in fastigio cujuslibet loci constitutos horror quidam corruendi totos solet percurrere, quos vestigio firmos vano concuti tremore consilium miratur. Sed si superstitione putatur, si quando hujuscemodi horrore percussus, quod fieri non posse scimus, id ne fiat postulamus, quomodo oratio Domini nostri rationabiliter processit (licet damnationis horrore permotum quis consenserit) cum damnationem sui obnixè sit deprecatus, et tamen de salute semper exstitit certus? Omnia quæ aut sibi ex Deo, aut suis ex se futura erant, futura quidem, sed non nisi merito obedientiæ, ac precum devotione, caput prophetarum Dominus noster Jesus prænovit. Atque ideo bene agens, religiose orans id obtinuit, quod utique alia via habendum non fuit.

Igitur innocenter vivebat, et sancte orabat, non quod de impetrando foret dubius, verum quoniam non aliter fore impetrandum constabat. Quoniam autem suæ suorumque salutis pulsa omni ambiguitate omnino exstitit certus, quomodo replevit eum spiritus timoris Domini; timoris, inquam, illius qui eum sit initium sapientiæ, illum facit timere qui potest corpus et animam mittere in gehennam? Quomodo tandem ab illo mitti in gehennam timebat, a quo se cum suis certissime salvandum sciebat?

CAPUT VIII.

Quomodo timor charitatem præcedat.

(205) Illic timor ante veniens locum præparat charitati; quippe dum tormenta Judicis timemus, tormentorum causam culpas evitamus. Sed dum solo timore id agitur, vitia non jam extrinsecus perpetrantur in opere **134** necdum intrinsecus expelluntur ex mente. Et quoniam mala actu dimittimus, mente amamus, initium sapientiæ jam adest, sapientia ipsa adhuc abest; adveniet autem cum male agere nolueris, quamvis impune liceret. Sed voluntas hæc cœlica charitati famulatur: quicumque autem, largiente Spiritu sancto, præventus fuerit timore, eo servato propter quem præcessit, ditabitur tandem charitate, per initium sapientiæ sapiens factus: nimirum recte amare id demum est sapere. Timor igitur merito initium sapientiæ nuncupatur. Unde quasi semine jacto charitas, quæ sapientia est, suboriatur. Charitas autem dum augmenta sumit, timorem imminuit: ex quo autem perfecta est, mox timor non est; quoniam, teste Joanne: *Qui timet non est perfectus in charitate* (*I Joan.* iv, 18). Ergo timere potes simul et amare; sed in amore, dum times perfectus esse non potes; quamobrem, serve Dei, quoniam dum vivis times, dum vivis perfectus non es. Times Deum dum vivis, pro-

(205) Aug., ep. 120, De gr. novi test., et tract. 9, in epist. Joan.

Aptereaque ipsi jugiter dicis: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11). In futuro lætaberis absque timore: nunc lætaris ut timeas, quoniam ita frueris spe beatitudinis per charitatem, ut re sperata timeas frustrari per fragilitatem: unde Apostolus inquit: *Qui stat videat ne cadat* (*I Cor.* x, 12). Ad justitiam trahit charitas accensa desiderio cœli, ab injustitia retrahit timor punctus horrore inferni. Et quoniam vir bonus non es, nisi declines a malo et facias bonum, merito in te comitantur sese timor et charitas, ut hinc pravorum motuum congressus evincas, hinc bonarum artium studia apprehendas. Quare dum moriturus es, sine intermissione et amas, et times, nisi forte tandem revelante Deo, tuæ salutis certus fias, ut qui ante castigabas corpus tuum, et in servitutem redigebas, ne forte reprobus efficereris, tandem scias cui credideris, et certus sis, dicens cum Apostolo: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* (*II Tim.* iv, 8).

Et quoniam jam nihil times, sed solum amas, jam in te perfecta est charitas; *Quoniam perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* iv, 18). Charitas ergo, dum gradibus suis accrescit, timor, ut dictum est, paribus in hac vita gradibus decrescit, donec charitas post mortem ad summum provecta, non amplius secum patiatur timorem. Talem quippe naturam habet charitas atque timor, ut quem nimium timeas, nihil diligas, quem perfecte diligas, nihil timeas. Ex quo autem vel ex parte quempiam amaveris, cum statim non nimis timeas: nimirum timorem charitas adveniens temperat, proveniens resecat. Quocirca quoniam *qui timet non est perfectus in charitate* (*ibid.*). Hunc timorem Christus habere non poterat, quoniam perfectione charitatis præminebat. Quare cum dicitur: *Replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* xl, 5), aut ad membra referendum est, aut alio de timore intelligendum (206). Nimirum est alius timor sanctus permanens in sæculum sæculi, qui in hoc sæculo nascitur, in sæculum sæculi pertingens consummatur: qui fortasse est reverentia, quæ merito subjectionis debetur superioribus, quæ in cœlo de incorruptione carnis certa, de honore Spiritus secunda, non angitur formidine, sed delectatur amore: interim autem quem diligit, offendere timet, carere timet, quasi pallio justitiæ amicta ex fragilitate, donec exuta lætetur ex virtute.

CAPUT IX.

De fide, spe, et charitate.

(207) Excellentissimam nobis viam ad Deum Apostolus demonstrat esse tria hæc, fidem, spem, charitatem. Cum quibus nemo est malus, sine quibus nemo est bonus. Fides quippe et spes necessaria est ante mortem; charitas autem post mortem. Charitas quippe est amor Dei atque proximi, amplectens Deum super omnia, proximum autem super cætera.

(206) Magister, l. iii, d. 54, § 8. Aug ubi supra.

(207) Mag., lib. iii, dist. 25, et seqq.

Proximus dicitur omnis homo vivens, quoniam omnes homines proximi nobis sumus, quia conditione naturæ, ad invicem cohæremus. Quare **135** quos natura sociat, charitas jungat, statu mortalitatis inchoanda, immortalitatis perficienda. Fides autem juxta Scripturam est: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Heb. xi, 1*); fide nimirum quæ nobis occulta est, condere arguimur, fide de æternis quæ sperantur bonis ambigere non sinimur, ac per hoc quodammodo certa in nobis firmaque subsistunt; bona autem quæ credendo futura exspectamus, bene vivendo adipisci speramus. Fidem in primis habere necesse est, sine qua nec quid speres, nec quid ames intelligis. Sed quid prodest more impiorum bona male credere futura, absque spe adipiscendi bona, effugiendi mala? Spes autem semper vana est, nisi merito charitatis digna est obtinere quod optat. Quare quoniam per fidem nondum cognita, quasi per speculum in ænigmate videmus; per spem autem nondum comprehensa exspectamus. Cum videbimus facie ad faciem, cum rem obtinebimus speratam, tunc in nobis procul dubio fides, quoniam ex parte est, evacuabitur atque spes. Altera cedens speciei, altera rei: *Verum charitas nunquam excidit* (*I Cor. xiii, 8*), quoniam naturam habens de mortalitate pertingere ad immortalitatem, perfectionem non refugit.

CAPUT X.

Utrum spem et charitatem Christus habuerit.

(208) Quare quoniam bonus simul ac mortalis nemo absque iis tribus esse potest, Dominus noster Jesus in quo erant omnes thesauri, etiam inter homines conversationem habente, num tria hæc quoque habebat? Sed procul dubio post mortem resurgere, post ascensionem ad dexteram Dei sedere sperabat, spe non confusus quoniam charitate diffusus erat. Sed quem constat dilexisse Deum, cui obediendo mortuus est, dilexisse etiam credituros pro quibus etiam deprecatus est. Nonne perditionis quoque filios dilexit, dum *videns civitatem, flevit super eam* (*Luc. xix, 41*), dum etiam traditorem amicum vocavit *ille in cujus ore dolus inventus non est?* (*I Petr. ii, 22.*) Alioquin si solos diligeret se dilecturos, quam mercedem haberet, cum ibidem ethnici faciant? D quippe non est homo charitate summus, nisi cum amicis amplectatur et inimicos.

Sed iudex vivorum ac mortuorum, Dominus Jesus, quomodo perditissimos dilexit, nisi si poterat a perditione liberavit? Sin autem id minime poterat, nonne stuporem voti conficiebat? quomodo, inquam, interminabili miseriæ involvendos amaret, si nec inde defenderet, nec saltem mala lenire curaret? aut si alterutrum curabat, neutrumque poterat, qualem Dominum dicam? qualemve iudicem, qui nec reos absolvere, nec servos juvare valet? nonne ex impotentia inglorium, ex voto frustrato desolatum esse

(208) Mag., l. iii, dist. 25, et resolvitur dist. 27.

(209) August., tract. 31 in Joan., et ser. 49 in Ap-

oportebat? quomodo tandem diligere, aut de cruciatu curiosum esse decebat eorum quos Deo noverat odibiles, ac in signum odii tormentis consilio Dei neque unquam terminandis, neque unquam vel in modico leniendis mancipandos.

Sed qui venit facere voluntatem Patris, voluntati ejus dissentire prudens non debuit; unde perfidos ipse quoque odit, redditurus unicuique juxta opera sua, eo pacto ut nullatenus pareat his quibus debet: *Judicium sine misericordia, quia non fecerunt misericordiam* (*Jac. ii, 13*). Quamobrem bonos cum perditis amare non debuit, quoniam quid de singulis Deo placeat ipse prænovit. Nos autem quemlibet flagitiosum amamus, dum quid de eo divina velit censura ignoramus. Unde quos scimus reprobos, sive jam mortuos, ut Neronem; sive adhuc morituros, ut Antichristum, ab nostro alienamus affectu; sicut bene volumus sive jam mortuis, sive adhuc morituris illis omnibus, quorum de salute ambigimus. Ex quo enim ambiguitate pulsa (quod utique in futuro fiet) certi erimus, jam magnum chaos inter nos et malos firmatum erit, ut ad eos compatiendo transire non possimus.

136 Cum autem Judam Dominus noster amicum vocavit, non qualis esset, verum qualis esse deberet, expressit. Id quippe apud discipulum benigna Magistri conversatio promeruerat, ut a discipulo Magistrum amari, imo et a Magistro discipulum reamari oporteret. Unde in Evangelio sub parabola inducitur Deus de perfidis ita loquens Judæis: *Verebuntur filium meum* (*Matth. xxi, 37*): non enim veriti sunt, sed debuerunt vereri. Quod autem mala civitati superventura deslevit, fortasse compassio erat ex contritione licet justa reorum, ut sit comparata iudici in loco passioni obnoxio adhuc commoranti. Aut sicut pro persecutoribus orabat (unde postmodum (209) veniam sunt consecuti), ita quoque flevit, quoniam malis intererant futuri boni, quorum mala merito deplangebatur. Quem quoniam constat charitate summum, spe fuisse certum, nonne præcallebat fide, sine qua impossibile est, juxta Apostolum, placere Deo? (*Hebr. ii, 6.*)

CAPUT XI.

Visione, loco fidei, Christus fruebatur.

(210) Sed si fide Dominus quoque Jesus cœlestia comprehendebat, cum sit fides, juxta Apostolum, *argumentum non apparentium* (*ibid.*); per speculum in ænigmate Dominus quoque Jesus videbat. Et ideo etiam eum, qui lux erat mundi, lux veritatis latebat. Sed cui minor est notitia Dei ex fide, amplificanda tandem in visione, ejus sine dubio propter minorem notitiam, minor est amor, interim cum crescente crescens, demum cum summa futurus summus. Unde Dominus in Evangelio ait: *Qui minor est in regno cœlorum, major est Joanne* (*Matth. xi, 11*), quoniam minimus angelorum, Joannem etiam (quo inter homines major non erat) adhuc inter homines

pend. tomi X. Vide notas.

(210) Magister, supra.

commorantem excedebat, quoniam quanto clarius summum bonum cognoscebat, tanto utique arctius amabat; excedendus tandem a Joanne, quando in cœlum translatus inter maximos est computandus. Hæc attendentibus fortasse videatur Dominus Jesus dum mortalis erat minus novisse, nosciturus longe plura atque apertius in immortalitate, si tamen nondum specie comprehendebat, fide futura credebat. Quod si fide futura obscurius, ut necesse est, cogitabat, bonitatem habere oportuit idoneam credenti, recepturum post passionem eam, quæ conveniret videnti, ut quantum fide species differt, tantum in specie sanctior extiterit: nam si credere Deum adeo dulcescit ut sis bonus, quanto magis ipsum videre delectabit ut sis optimus?

Si ergo Dominus noster ante mortem quasi in umbra Deum suum cogitare solummodo poterat, atque hujusmodi cogitandi caligini debitam bonitatem obtinebat; nonne etiam minimus angelorum, quoniam Deum cernere clara luce contingebat, atque huic luci obnoxiam bonitatem habere oportebat, nonne, inquam, minimus angelorum Domino omnium antecellebat et sapientia et bonitate? Sed qui, Propheta teste, minoratus paulo minus ab angelis (*Psal.* viii, 6), per solam scilicet nostræ mortalitatis passibilitatem esse debebat, jam nimium minor est. Si eo, non dico, majores, verum etiam minores angeli conceduntur religione insigniores, et veritatis capaciores. Sed utrumque tanquam rationi inimicum, tanquam auctoritati adversum mens sana respuit. Unde pater, quoniam Dominus noster fidem nunquam habuit, sine qua hominem purum atque mortalem impossibile est Deo placere. Verum loco fidei obtinuit visionem, quæ divinitatem sicuti est, perspicacissime, ut dignum est, intueretur, ac per hoc præcipue placeret. Quamobrem distamus Christo, et tanquam servi Domino per fidem, quoniam ipse, ut decet, Deum sicuti est videbat; per spem, quoniam quod præcipuum sperantes expectamus, ipse jam videndo Deum habebat per charitatem, quoniam amor ejus illos amplexabatur solos, quos divina bonitas judicat salvandos.

137 CAPUT XII.

Christus passibilis primam habuit stolam.

(211) Sed si Deum nemo vidit unquam (*Joan.* i, 18), utique homo purus in hoc sæculo; Christus autem licet passibilitati subjectus, nihilominus tamen Deum sicut est videbat, quandoquidem hæc est vita æterna cognoscere Patrem, et quem misit Jesum Christum unum esse Deum (*Joan.* xvii, 3), profecto Dominus noster Jesus simul vitam æternam possidebat, molestiasque hujus vitæ sustinebat.

Verum quæ beatitudo erat, si dolores secum patiebatur? Sed, sicut duplex contritio, altera corporis, altera animæ, Scriptura teste, creditur (*Jer.* xvii, 18); ita duplex stola, hinc animæ, hinc corporis speratur. Primam stolam, visionem scilicet Dei, animæ sanctorum exutæ corporibus mox accipiunt; se-

(211) Magist., iii, dist. 27.

cundam, quæ est glorificatio corporis, expectantes. Animam ergo Christi, quippe mole carnis minime aggravatam peccato aut ignorantia, et in carne passibili prima stola tanquam Deo unitam ornabat, secunda stola ad tempus dilata propter redemptionem. Salvatoris ergo anima ex visione Dei sine intermissione gaudebat; ex his quæ circa carnem gerebantur, interdum molesta ferebat. Unde patet, quod secunda adhuc deerat stola, prima necdum omnino consummata. Secundam passibilitas nostræ mortalitatis excludebat; primam dolor animæ illatus ex his quæ inter homines male fiebant, imminuebat. Unde patet vitam æternam, ex qua necessario proficiscitur beatitudo, Salvatorem ante obitum maxima ex parte obtinuisse, quoniam divinitatem facie ad faciem cernebat, nondum tamen omnino percipisse, dum in valle lacrymarum commorans, vias duras custodiebat. Unde nihil est quod miremur, si is, qui quod in vita æterna præcipuum est, imo fere totum, atque ideo nomine totius dictum, habebat, beatus dicebatur; qui tamen, quoniam plene beatus nondum erat, absurdum non est si adversa ferebat.

CAPUT XIII.

Cur adversa, cur talem et ab illis tulerit mortem.

(212) Adversa ferebat, et bene agebat, tum quoniam nostræ sic competebat redemptioni, tum ut nostræ præberet exempla fragilitati: morte tandem turpissima condemnatus. Non quod aliter redimere non poterat; verum ut quantitate pretii, quantitate nobis sui innotesceret amoris, nostrique peccati; passus in natura hominis, quoniam divinitas intacta permansit. Hic est Isaac, quem sacrificium non attigit passioni arietem objiciens.

Sed si Judæa Dominum suum crucifixum ire expavisset, num Deus homo frustra factus fuisset, quoniam captivum fuso hominem sanguine haud redemisset? Sed defectus nostræ mortalitatis a mediatore suscepti, sufficere utique poterant ad nos Deo reconciliandos, quippe diabolus in homine, quem malo dolo deceperat, nihil juris habebat, tanquam alienum in servam invasionem faciens merito spoliandus, imo etiam ex invasione judicandus; ac per hoc nihil erat necesse fieri, quare jus quod sibi in homine nullum erat (Deo tamen permittente hominem opprimi, quoniam credidit oppressori) rationabiliter amitteret. Quanquam Dominum tertio tentare ausus, merito potestate usurpata videatur privatus. Sed, ut dictum est, hominem Deus absque Incarnatione liberare poterat, atque incarnatus absque passione, nisi quia omnium præsciis animum Judæorum in necem suam pronum novit, quod ipsis quidem ad perniciem, mundo autem ad salutem, permisit fieri malum, ut veniret bonum, patienter ferens mala pro bonis illata. Justus, dum id volentes sordidos sordescere adhuc ferebat; misericors, dum illorum ex sorde sapienter totum mundum purgat mundum. Non ergo frustra Redemptor accedebat, qui

(212) Mag., l. iii, dist. 29.

promptissimam in id perfidorum vecordiam præsciebat.

Si tamen tantum facinus, quoniam id nulla cogebat necessitas, abhorrentes recusarent, frustra Deus hac causa factus fuisset homo; imo etiam frustra redemptionem hac via providisset. Sed ne quid ab ipso frustra fiat, mens conscia futuri procurat, qua consultus id providet atque instruit, cui eventus rerum nunquam dissentit. Atque ideo si Judæi Christum crucifigere renuissent, rectius diceretur id antea nunquam fuisse provisum, quam frustra provisum.

CAPUT XIV.

Christus non diabolo pretium obtulit, sed Deo.

(213) Redemptor ergo pretium dans pro captivis, ut dimitterentur sibi, cui hanc oblationem fecit? Num ei qui illos abduxit captivos, atque in captivitate detinuit? pretium namque redemptionis cui offerendum est, nonne ei qui redimendos in captivitate tenet? Sed omnino absit nefarium illud nefas, quod Salvator proditori diabolo Deus se inclinans pretiosam (quod utique idololatria foret) obtulerit mortem. Neque enim munus tale reciperet; unde se sciret potestate privandum; nimirum si cognovisset, nunquam Dominum gloriæ crucifixisset (*I Cor. II, 8*). Unde ex quo rescivit, Pilatum per uxorem aggressus passionem studuit impedire. Verum rabies Judæorum diabolo instigante prius stimulata, eo ipso jam sedante non poterat residere. Christus ergo factus obediens Patri usque ad mortem, cui sacrificium passionis obtulit, nisi cui patiando obedivit? nimirum cui quis obedit, ei obedientiam ascribit. Hujus autem oblationis pro pretio placuit Deo captivos reducere, calumniatorem humiliare. Christus ergo ignominiosa tulit et aspera, ut neutrum expavescas pati pro Christo ad commodum proprium, quod ipse haud est pati dedignatus commodum propter alienum. Unde dixit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur (Joan. XII, 26)*. Ecce labor: *Et ubi sum ego, illic et minister meus erit (ibid.)*. Ecce merces. Demum ex passione homo emisit Spiritum, ut mortuus esset, resumpturus eum die tertia, ut reviviscens resurgeret, potestatem habens ponendi animam et iterum sumendi eam (*Joan. X, 18*). Utrumque potuit homo per animam quæ id voluit. Deus incarnando factus est homo, id permansit usque ad passionem. Tunc autem Deus quia cœpit esse mortuus, desiit ad tempus esse vivus, non tamen Deus, verum homo; sicut cum desiit esse mortuus, factus est item vivus et homo novus, circa animam et carnem mutatione facta, divinitate nullatenus aliter et aliter utrique conjuncta.

CAPUT XV.

De efficientia mortis Christi et passionis.

(214) Christi autem passio cum morte id effecit,

(215) Magist. supra.

A ut delicta condonarentur, tam præcedentium quam sanctorum subsequentium; quoniam nostro tempore quando passio præcessit fidesque passionis successit, non ex operibus, verum Justus ex fide fit, in fidei justitiæque signum, conservationem atque incrementum suscipiens baptismum atque opus bonum; jam perfecte Sanctus tanquam passione redemptus, fide sanctificatus; altera nimirum absque altera nihil prodesset. Unde Apostolus de Christo ait: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius (Rom. III, 25)*. Unde nostri temporis sanctis merito passionis ac fidei plene mundatis, mox cœlestis regia patet. Antiqui autem ipsi quoque ea fide justificati sunt; quippe *corde creditur ad justitiam (Rom. X, 10)*, sed gradibus bonorum operum in justitiam promovendi: non fortasse quod justitia, quæ ex opere non nascitur, ex opere augeatur, cum potius justitia cordis causa, videatur operis verum fides justitiam, justitia opus bonum procreare **139** videtur; fide, nisi quis deficere malit, jugiter crescente, tum ut in cognitione boni perspicacior, tum ut in amore boni fiat ardentior; illa enim de fide agitur, non quæ est dæmonum, sed quæ charitate illustrata solum est sanctorum. Hæc enim, teste Apostolo, fides est *quæ per dilectionem operatur (Gal. V, 6)*, gradum autem fidei gradus prosequitur justitiæ, et operum, ut, juxta Apostolum: *Ex fide fit justitia, non ex operibus (Rom. III, 20; Ephes. II, 9)*. Augmentum ergo fidei argumentum sequitur justitiæ et operum. Unde Apostolus juxta mensuram fidei dona distribuit Spiritus sancti (*Ephes. IV, 7*).

Nisi verius est, quod sicut ex gratia initium est fidei, ex fide autem justitiæ initium, ex justitia vere et initium bonorum operum et prosecutio; ita ex bono opere merito obedientiæ et fides incrementum sumat, et justitia; Deo juxta augmenta mensuræ munera distribuyente, nec fiet quis justus nisi ex fide, fiet autem justior ex opere.

Sed si fides sine operibus mortua est, quomodo juxta Apostolum fides sine operibus justificat? Fides sine operibus præcedentibus, quæ etiam si præcedant (quoniam extra fidem, juxta Scripturas vana sunt) ad fidem non ducunt; fides, inquam, etiam ante opera justum facit. Unde ante tempus operandi de medio raptus solam salvatur per fidem: nec immerito, quoniam bonum opus necessitas excludit, sed voluntas optat et expetit. Et perfecta voluntas faciendi reputatur pro opere. Unde Apostolus fidem asserit per dilectionem operari (*Galat. V, 6*). Fides namque per se mortua (quoniam otiosa) per dilectionem semper operatur, dum aut si tempus habet suasu ac virtute dilectionis bona multa facit; aut si tempore careat, dilectio pro opere computatur. Fides ergo sine operibus mortua est, illa nimirum quæ charitate cassa, otiosa necessario est. Aut fides primo sine operibus justificat; si tempus habet operandi, jam fides sine operibus mortua est.

(214) Magist. l. III, dist. 19.

CAPUT XVI.

De perfectione antiquorum.

(215) Perfectos ergo antiquos fuisse sanctos necesse erat tanquam ex fide justos, atque in justitia magis magisque promotos, justis nostri temporis pares, ac plerosque plerisque majores; nisi quod vitia, quibus sine non vivitur, nondum dimittebantur; bona quæ merito fidei agebant, nondum recipiebantur.

Vitia nondum dimittebantur, quoniam id sacrificia vetera conferre nequibant, quoniam, juxta Apostolum, sanguine taurorum aut reliquorum impossibile erat dimitti peccata (*Hebr. x, 4*). Id quippe in adventu suo effecit Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quamobrem ad infernum descenderunt, tanquam culpæ nondum veniam consecuti: ubi nullas (nisi quibus opus erat purgatione) pœnas parcente ^B iudice sunt percipi, quoniam hinc Deo miserante in vera pœnitentia recesserunt. Quamobrem aliquid melius ibi quam hic adepti sunt, sumpta securitate futuræ beatitudinis, quam in cœlo per Christum obtinere sperabant: neque enim apud inferos fas erat videre Deum, alioquin adventum Christi optare adeo non opus erat.

CAPUT XVII.

De inferno, et quomodo justî ibi fuerunt.

Infernus equidem locus est tam deterior terra quam inferior, quem virtus Dei ita aptavit suis, ut ibi quam hic sibi melius foret; id tantum anxietatis habentibus, quod a gloria debita cœlicolis arcerentur. Neque enim id virtutis eorum merita habebant, ut quos mala ad inferna traxerunt, eos bona ad cœ- ^C los sublevarent, donec veniret Christus, cujus merita præcedentium Patrum insufficientiam supplerent; ut merita antiquorum per Christum accepta **140** Deo, digna tandem fierent munerari cœlo. Interim autem neque bona retribuebat, quippe tanto præmio non satis digna; neque mala condonabat, quoniam nondum pretium erat datum; sed neque puniebat quos fides venturi excusabat. Itaque quasi induciis positus, præcedentium delicta sustentabat, ut in morte Christi remitterentur, atque in hoc tempore justitia plena antiqui illustrarentur. Unde tempore gratiæ ab inferis regressi sunt tanquam culpa dimissa; ad cœlum conscenderunt tanquam completa justitia. Unde Apostolus Christum perhibet passum ^D *propter remissionem præcedentium delictorum in sustentationem Dei, ad ostensionem justitiæ ipsius in hoc tempore* (*Rom. iii, 25*). Antiqui itaque sancti quod prius non habent, tempore gratiæ consequuntur; eam videlicet perfectionem, quam nostri sancti nostro tempore adipiscuntur. Antiqui dum vixerunt, quoniam nondum Christus advenerat, nunquam tales exstiterunt, ut forent cœlo digni. Nostri, quoniam jam sunt redempti, jam sunt tales ut debeant in cœlum ascendere. Nostri ergo plene sunt justî, unde mox cœlo honorantur. Antiqui autem nequaquam tempore suo plene justificabantur, unde vita æterna differebatur. *Justus enim ex fide* (215) Magist., l. iii, dist. 25.

A vivit (*Habac. ii, 4; Rom. i, 17; Hebr. x, 38*), quod est, qui ex fide sit justus, ex justitia sit vita dignus: merces quippe justitiæ juxta Scripturam vita æterna est. Quamobrem dum merces negatur, semiplenum meritum æstimatur.

CAPUT XVIII.

Quomodo meritum antiquorum fuerit impletum.

(216) Meritum antiquorum tunc est impletum, quando merito Christi est adjutum, ut jam cum alio ad obtinendam gloriam sufficiat, ad quod ante (nimirum per se) non sufficiebat. Erant tamen antiqui secundum quemdam modum justî, imo quidam ex eis valde justî. Quomodo enim justî non erant, qui fidem Christi habentes placere Deo omnimodis satagebant? qui si quando offendebant, satisfactionem minime differebant; quorum merita sibi placere patefecit Deus, dum eorum prece multa fecit miracula; dum post obitum in regione miserorum exsortes miseriæ honoravit; dum misso Filio, inde ereptos, collegio angelorum beatificavit. Tanti ergo viri procul dubio justî erant. Veruntamen non tanquam Deo reconciliati, sed tanquam datis induciis adeo usque reconciliationem sustentati. Quare quos adeo veneratus est in induciis, quid contulit reconciliatis?

CAPUT XIX.

Cur Christus ad infernum descendit.

Quamobrem anima Christi ad tempus a corpore separata divinitati, tam nihilominus quam prius utique unita, corpus in sepulcro quievit, anima in infernum descendit; quo descendere opus non erat, nisi quia animæ sanctorum sibi detinebantur, sicut et impiorum; quod exigere quodammodo videtur colloquium illud, quod inter divitem sepultum in inferno, et patrem Abraham celebratur. Quod vero dives suspiciens vidit Lazarum in sinu Abraham (*Luc. xvi, 26*), nonne ad hoc videtur pertinere, ut perditis obtineant inferni novissima, juxta illud: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut. xxxii, 22*). Ignis igitur judicii, num hic succendetur, involvensque malos ardens ad inferni novissima trahet? et re alio torqueatur ignis iste, an sequitur: *Devorabitque terram cum germine suo et montium fundamenta comburet?* (*Ibid.*)

^D Sed longe aliam auctoritas huic loco dat expositionem, et juxta totam litteræ seriem multo convenientiorem. Si vero novissima inferni deputantur perditis, diversaque mansio debebatur sanctis, procul dubio prima, id est, superiora inferni sibi vindicaverunt.

141 CAPUT XX.*De mansionibus et situ inferni, et morsu.*

Quod autem apud inferos diversæ mansiones sint, non negat Abraham diviti loquens: *Magnum enim, ait, chaos firmatum est inter nos et vos* (*Luc. xvi, 26*); nimirum cum hæc parabola diceretur a Domino, utrumque in inferno fuisse certa res est. Veruntamen aliud parabola intendit, quippe dives est (216) Magist., iii, dist. 25.

Judaicus, Lazarus autem gentilis populus, sinus A in inferno detinebantur salvandis recte intelligatur, vero Abrahamæ requies sanctorum, quo Lazarus per fidem ab angelis portatur; dives autem propter perfidiam in inferno sepelitur: quos inter chaos firmatur, quod nec ii videndo, nec illi compatiendo transire valeant. Pars utraque statum alterius perpendit, sed altera lucide scit, altera pulsa dubietate credit: quod totum si non est modo, certum est quod erit in futuro.

Infernus autem subter est juxta Isaiam, quippe in inferioribus terræ collocatur (*Isai. xiv, 9*). Unde in psalmo: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal. lxxxv, 15*). Super hunc locum ita habetur (217): *Cælestis habitatio superna est, terrena infernus est, ab hac itur in infernum inferius; unde eruit Dominus animas misso Filio.* B

Num omnes? Absit! Nam ipse ait: *O mors, ero mors tua; morsus tuus, inferne* (*Osee xiii, 14*); mordendo (218) pars assumitur, pars dimittitur, assumptam autem ad partem quidam videntur pertinuisse, aliquandiu adhuc purgandi; quippe noviter defuncti, nec perdendi, quoniam pœnitentes de inter homines recesserunt, nec in sinu Abrahamæ mox locandi, quippe fructibus pœnitentiæ nondum peractis. Ubi ergo erant? nonne in tali loco ubi essent pœnæ? In tali utique. Num ergo in inferioribus inferni, quæ pars sceleratis deputatur? Sed de illa dicit Propheta Deo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal. vi, 6*.) id est, nullus. Unde alibi: *Quia non infernus confitebitur tibi* (*Isai. xxxviii, 18*), C id est, non te laudabit. Quare? *Quia non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam* (*ibid.*), id est, adventum a te verace promissum. Nimirum nec nostro tempore secundum desiderant, nec veteri primum, quippe commodi nihil laturum. Reges autem David atque Ezechias, homines novi tempore Veteris Testamenti, minime ignorabant defunctos ad infernum tam bonos quam malos transmigrare: quid ergo est, quod in inferno confessionem dicunt non esse, quando quidem nec in inferno decebat sanctos a confessione cessare, nimirum jam meliores quam prius atque beatitudinis securiores, tanquam onere carnis exutos?

CAPUT XXI.

Ubi purgandi fuerunt antiquitus.

Sed licet universa habitationis illius capacitas vocabulo inferni designetur, plerumque tamen superior pars nuncupatur sinus Abrahamæ, inferior autem infernus. Ubi ergo purgandi tempore antiquo erant? Num in pœnali regione cum perditis? *Sed in inferno quis confitebitur tibi?* (*Psal. vi, 6*.) atqui purgandos laudare necesse est. Dicemusne igitur illud: *Quia non infernus confitebitur tibi*, intelligendum de his qui inibi manent non discessuri, non de hospitibus inde transitoris? hospites quippe ex transitu non sibi nomen de regione sumunt, sed habitatores ex mansione. Cum enim de omnibus qui

A in inferno detinebantur salvandis recte intelligatur, vicinior tamen purgandis applicatur illud: *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam* (*Isai. xxxviii, 18*): quippe illis misericordia Dei opus erat, non veritate.

Quod si in regione perditorum, ut tormentis purgarentur, ad tempus detinebantur; nonne purgatione completa ascendebant in sinum Abrahamæ, videlicet in superiorem, ubi requies erat, regionem? Sic nostro tempore defuncti in quibus quidpiam exurendum restat, post mortem purgatoriiis pœnis examinantur, examinatione autem exacta ad Christum sublimantur. Nimirum 142 quos ab ipso reatus semovebat, expiatio conciliat. Si enim in quibus compunctio atque tribulatio præsens ad plenum noxas excoquit, ipsi licet apud nos jugiter delinquant, attamen de inter nos discedentes mox cælestium merentur consortium; quanto magis sancti in quibus nondum plena satisfactio est, post mortem non delinquentes, quoniam jam non corpus aggravat animam, atque ideo longe melius quam hic compuncti, sicut longe gravius quam hic afflicti, ac per hoc castigatione dura emendati debent cælo donari? Ignis quippe purgatorius, inter nostras et inferorum pœnas medius, tantum superat has, quantum superatur ab illis, quod Propheta intellexit, dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me* (*Psal. vi, 2*). Furorem dicit gehennam, quippe, docente Scriptura, omnes pœnæ mitiores gehenna; ignem purgatorium, tanquam furore minorem, iram appellat. Utrumque autem Propheta deprecatus, pœnam quæ inter homines est, siluit, quasi diceret: Mala futura expavesco, præsentia minime reformido, ipse enim optans præsentia ut effugeret futura ait: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis* (*Psal. lxxix, 13*).

CAPUT XXII.

Ubi sint modo purgandi.

Qui ergo in hoc sæculo, quod ærumnis plenum pœnitentiæ deputatur, minus se castigat, merito postmodum, quando retribuendi potius tempus est, ex intempesto gravi disciplina emendatur.

Sed disciplina hæc ubi fit? num in cælo? num in D inferno? sed nec cælum tribulationi, nec tartarus correctioni, præcipue nostro tempore, competere videtur. Nam si solum boni debentur cælo, nonne solum mali debentur inferno? Et si cælum omne excludit malum, quomodo infernus ullum recipit bonum? Sicut enim Deus cælum destinavit solis consummatis, pariter videtur gehennam solis addicere impiis, ut sit hæc carcer reorum, illud regnum amicorum. Ergo ubi sunt pœnitentes post mortem? in purgatoriiis. Ubi sunt ea? nondum scio. Quandiu ibi sunt? usque ad satisfactionem. Inde quo pergunt, si in carne pœnitentiam peregerint mox ascenderent. Ut ergo pœnitentiam peragant, inferius remanent.

(217) In Glossa ord.

(218) Greg hom. 22 in Evang. et in Append., tom. X. Aug., ser. 52. De divers.

CAPUT XXIII.

Quando purgati cælo donentur.

Quamobrem quos pœnitentia adhuc agenda detinet, peracta cælo restituat. Nisi si quis eos extra cœlum quietis in locis ponat, dicens pœnitentiam in carne tanquam loco suo exactam, tantum posse, ut sit digna visione Dei; pœnitentiam vero post corpus tanquam in alieno actam, id minime mereri ante resurrectionem. Sed qui tandiu arcetur a contuitu Dei, et a præsentia Christi, nonne interim satisfactione incompleta minime plene reconciliantur Deo? tempore fortasse apostolorum aliqui obierunt, qui si paucis adhuc diebus supervixissent, pœnitentiam consummassent. Dignumne igitur est, paucorum dierum pœnam prorogari usque ad resurrectionem? Deo moriuntur; unus multæ, longæque religionis, sed parum restat expiationi; alter minoris atque brevioris, sed nihil superest exurendum: quomodo ergo qui minus est bonus, mox donatur visione Dei, qui autem multo melior est tandiu a gloria detinetur? quare pro modo culpæ expiatio intelligitur; major minørve, longa sive brevis. Semper autem acrior succedit, quoniam tempore suo satisfactio in vita non præcessit. Unde peracta purgatione pœnitentes, tam nostri, ex purgatoriis (quæ extra infernum) ad cœlos, quam veteres ex purgatoriis (quæ in inferno) ad sinum Abrahamæ refrigerandi, jagiter conscendere videntur.

143 Sed magnum chaos firmatum inter bonos et malos, hunc transitum prohibuisse videtur (*Luc. xvi, 26*), nisi forte chaos istud inter cœlicolas (quod quidem absurdum non est) intelligatur et inferos. Si tamen et apud inferos idem chaos erat, procul dubio juxta verba Abrahamæ, nullus transitus inter bonos et malos erat. Purgandi ergo extra sinum Abrahamæ ab Adam usque ad Christum commorati sunt, an ut semper cruciarentur? Sed in vita fere purgatis, unde tam longi cruciatus? aut ut ibi tandem quiescerent? Sed quomodo in loco cruciatibus deputato absque cruciatu? quomodo in quiete erant? quamobrem ad superiora expiati videntur transire, si tamen transitum veritas rei patiebatur? alioquin dicendum videtur corrigendos quoque in superiori parte habitasse.

CAPUT XXIV.

Quomodo purgandi fuerunt in inferno.

Sed sicut inferioribus quies disconvenit, ita superioribus afflictio dissentit, nec in Scriptura tertium facile invenies apud inferos locum purgandis, deputatum. Quid ergo? num sicut in terra boni ac mali loco permisti, merito sunt discreti, ita quoque in inferno in unum habitabant, pœna ac quiete distabant? Quod utique plurimis placet. Nec mirum quod animæ corporeo igne torquentur ibi ac frigore, quæ idem pertulerunt in corpore. Nec mirum econtra, si sicut recoctum aurum in fornace detrimentum non sustinet, si sicut sancti in igne judicii resurgunt, per ignem ascendunt sine æstuatione;

(219) V. Aug., XII. De Genes., c. 55, ep. 99, et

A ita animæ puræ inter incendia gehennæ fuerunt absque anxietate. Absurdum enim videtur duas inferno dare mansiones, alteram quieti, alteram tormentis, et tamen asserere aut inter tormenta quietem, aut inter quietos laborem.

Si tamen juxta quietos oportuit esse purgandos, quomodo convenientius id diceretur, quam ut pœna atque quies sint insimul, prætermissa divisione locorum. Quidquid autem in Scriptura hanc videtur velle divisionem, retorqueri poterit ad quietem et pœnam, quæ licet loco non differunt, at natura dividuntur. Ubicunque autem salus aut confessio, aut cætera sanctis post mortem debita inferno tolluntur, infernus in damnatis intelligitur, aut ad nostrum tempus refertur.

CAPUT XXV.

Quid de purgandis factum sit, cum Christus descendit.

Christus ergo suam insinuans charitatem, qui sine descensu omnia poterat, sicut de cælo in terram, ita de terra ad inferos descendit, inde sanctos reduxit. De nondum purgatis quid fecit? num ibi ad tempus reliquit? Sed qui propter suos advenerat quomodo partem deserebat? quomodo carcer solis modo obnoxius reis conveniebat jam reconciliatis? Quippe per mortem Christi reconciliabantur et purgandi: neque enim potest ex fide Christi justus, juste post mortem Christi dici non reconciliatus; injustus ipse est inimicus, sed factus justus factus est Deo reconciliatus. Quantum autem adhuc sibi superest purgationi, tantum deest reconciliationi. Plene fiet reconciliatus; ante Christum autem reconciliatio non erat: de Christo enim ait Apostolus: *Per quem nunc reconciliationem accepimus (Rom. v, 11)*; quasi diceret: *Nunquam ante*. Ipse enim verus Salomon mediator Dei et hominum, in se unum angularem lapidem utrumque populum conjungens, ambos reconciliavit Deo. Sed hæc reconciliatio quando cœpit? cum justitia; justitia autem per sanguinem Christi. Unde Apostolus: *Justificati nunc in sanguine ipsius (ibid.)*, quasi diceret: *Nunquam ante*, qui juxta Apostolum valebat *in redemptionem earum pravationum quæ erant sub priori testamento (Heb. ix, 15)*.

144 CAPUT XXVI.

Quod Christus ab inferis purgandos abduxit.

Quamobrem quos apud inferos purgandos reperit, ab inferis Christus abduxit, ne inimici semiplenam potentiam calumniantes, de relictis gloriarentur. Sed quo perduxit? num ad purgatoriam pœnam? rationabiliter fieri potuit, rationabilius (219) dimitti. Nam quos visitare voluit præsentiæque sua dignatus est, misericors contristari, dum disjungeret a se, minime videtur voluisse: nam sicut mortalis a mortalibus, se a suis minime separavit; ita ex quo anima animas sibi assumpsit, minime, ut puto, eas a se disgregare convenit. Qui enim quæ latro rapuit, cruce exsolvit, eum mox in requiem assu-

l. XVII, De civit., c. II.

pturus, cur non idem pretio eodem captivos suos A latroni adunaret, ambosque secum regno beatitudinis induceret?

Sed qui ad inferna descendit, quousque pervenit? Revera qui languorem mundi medicaturus, incarnari non est dedignatus, ita sibi bonus bonos associavit, ut medicus ægros non effugeret. Qui ergo ad eos qui in requie erant veniendum judicavit prius expiandos ubi essent visitare forsitan non recusavit; sed dum inde suos liberavit, præcul dubio vacuam, si quæ ea est, superiorem mansionem dereliquit. Sed vacuata quibus necessaria usibus erat? num ut per eam tormenta jam diffundantur? Sed si modo ibi sunt et prius adfuisse credibilius est. Num ut illuc expiandi tempore gratiæ descendant? Sed ille locus quoniam caret pœnis, quomodo idoneus est flagellandis? Sed etsi ibi quis pœnas ponat, quomodo post redemptionem justis infernus debeat? Nec possunt negari justis qui ad justitiam

sunt jam conversi, nimirum quoniam post adventum Christi haud convenit regio inferni pœnitentibus, ideo dum infernus reticetur propter ipsos ignis purgatorius commemoratur. Unde sicut janua cœli prius ex peccato generi humano clausa, ascendente Christo serius, ocius sanctis reseratur; ita ab inferis regrediens ne quis suorum illuc ex tunc transmigraret, post se loci hujus introitum occlusit. Unde in Psalmo: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales* (Psal. xxiii, 7); nimirum quæ prius nullæ erant, in ascensione elevantur portæ, quibus in æterna bona intratur. Quid est hoc? potestas intrandi in cœlum datur. Sed principes inferi suas quibus ibatur ad infernum, in descensione Domini portas inviti sustulerunt, id est potestatem qua ad inferos omnes pertrahebant, perdiderunt. Impiis tamen perdurant inferi aperti, quemadmodum cœli clausi.

LIBER QUINTUS.

145 CAPUT PRIMUM.

Quando et qualis Christus resurrexerit.

Anima itaque Christi cum tota sanctorum multitudine animarum ab inferis egressa, corpus suum die tertia ingrediens donavit resurrectione, sicut egrediens decoloraverat morte. Reditu itaque animæ homo immortalis fiebat, et impassibilis: *Resurgens enim ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Rom. vi, 9). Præterea enim in tantum glorificatus est, ut instar solis coruscaret, quomodo in transfiguratione omnipotentia sua ante passionem, radiante conspectu apparuit, præmonstrans discipulis speciem resurrectionis, sed post resurrectionem celans; nam quos conturbavit figura, quanto magis res ipsa? Speciem itaque pristinam discipulis obtendens, contemperavit se infirmis, ut se cognoscere, et quadraginta dierum conversatione sustinere valerent.

Sed quomodo mortalis formam induebat immortalitatis? quomodo autem post mortem, quasi hominem se ostendebat mortalem, num simul inerat splendor majestatis, et deformitas nostræ mortalitatis, num dum alterum manifestabat, altero carebat? sed neuter status proprietate sua videtur privandus; neuter item status utriusque naturam, quippe nimis diversam, simul obtinere posse videtur. Quid ergo? num oculi apostolorum fallebantur, ut speciem in Christo putarent videre illam quæ minime videtur? absit, a fide præstigiū! species enim ostensa absque delusione oculis subjecta erat. Sic oculi duorum cum prius tenerentur ne eum agnoscerent, propter speciem quam incognitam cernebant, post cognoverunt in fractione panis (Luc. xxiv, 35), quoniam tandem species nota se

præsentabat. Christus ergo altera, atque altera in specie se ostendebat, propriam tamen non dimittebat; propriam in se habebat speciem, eamque celebrabat; altera in specie apparebat, nec tamen eam in se habebat. Sic cum se suis distribuit, oculis speciem panis prætendit, palato saporem panis ingessit, et qui virtute sua panem mutabat in se, virtute eadem panis speciem, et saporem extra panem servabat; ut se panis in specie et sapore præberet suis, qui eum specie in propria recipere horrerent. Itaque specie in sua, quam apud se habet, non se tradit; specie autem non sua, quam in se nunquam habet, se tradit.

146 CAPUT II.

Quid sentiendum de ab inferno eductis.

Quoniam ergo Christus resurrexit, de his quid sentiendum quos secum ab inferis reduxit? et quidem constat quod *multa corpora sanctorum resurrexerunt, et apparuerunt multis* (Matth. xxvii, 52), num ut plerique autumant, gemina stola jam accepta, ut sic idonei testes resurrectionis Dominicæ fierent, cum Domino revixerunt? Sed tanta testium reparatio, quibus magis competebat, quam David reliquisque prophetis, ac primo patriarchis, de quibus ait Apostolus: *Ii omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur* (Heb. xi, 39). Restitutionem ergo animæ et corporis nondum perceperunt, ut majus sit gaudium omnium dum simul consummantur. Unde credibilius est solum Christum in gloriam resurrexisse, cæteros autem peracto officii sui testimonio in terram absque molestia lethi iterum resolutos,

exspectantes modicum tempus quousque impleatur A numerus fratrum suorum (*Apoc.* vi, 11).

CAPUT III.

Quomodo et quando Christus ascendit, et quando descendet.

Quadragesima autem dierum spatio discipulis suis crebro apparens (*Act.* i, 5), ut eos in fide solidaret, sub cœlo moratus est, multa sanctorum numerositate stipatus, quos omnes in ascensione cœlo secum iniecit : *Ascendens enim in altum captivam duxit captivitatem* (*Ephes.* i, 8). *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini* (*Psal.* lxxvii, 19). Nam ab inferis eripi, nec cœlos ingredi, ante Christum fas erat. Sed Christus nec conscendisse nisi quadragesimario completo, nec post completum descensus, nisi in die iudicii æstimatur. Utrumque tamen fieri B posse verum est, neutrum vero fieri opus est, quoniam neque ratio requirit, et auctoritas dissentit : quoniam *ascendit ad cœlos, inde venturus iudicare vivos et mortuos* (220).

Nihil ergo ex nobis confingentes, tunc illum qui ascendit descensurum asseramus, quando iudicaturus adveniet, ne si iterum iterumque ascendere ac descendere astruimus fines auctoritatis transgressi, non jam duos, imo plurimos inducamus adventus. Quamobrem nec unquam ascendit diem ante quadragesimum, nec prius descendet usque ad iudicium : quippe si ante ascendisset et ante descendisset, quoniam cernentibus apostolis die quadragesimo erat ascensus. Itaque ex descensu isto C præter primum et ultimum tertius fieret adventus, imo juxta numerum ascensuum numerus quoque cresceret adventuum.

Nec ignoro sanctis post ascensionem Dominum nostrum Jesum nonnunquam apparuisse, sed aut in cœlo per se, aut in terra angelico ministerio videtur mihi apparuisse. Sic sancti non tam ipsi, verum vice eorum angeli, præcipue ii, quos divina dispensatio custodiæ sanctorum dum in carne habitarent, depuravit, hominibus apparuisse nonnunquam leguntur. Ipsis namque (ut ipso nomine insinuatur angelorum) in hujusmodi negotia admitti convenit. Sanctis ipsis Christo assistentibus, nihilominus loco quam contemplatione. Et cum aliud dici possit, id tamen magis credi convenit. Sed D cum in cœlo tam Christus quam sancti ejus proprias obtineant mansiones, nihil tamen prohibet si quando fieri oportet inferius eos apparere, sicut in iudicio apparebunt, et, ut aiunt, sæpiuscule apparuerunt.

CAPUT IV.

Quando Christus Spiritum sanctum misit, et quomodo.

Christus ergo ad dexteram Dei sedens, id est, in æqualitate Patris regnans, aut in potioribus 147 bonis post laborem quiescens, suum Patrisque Spiritum consummandis misit discipulis, quem eis et antea infuderat inchoandis. Nec aliud hic puto (220) In Symb.

Spiritum, qui ubique est, suis mittere, quam corporali in specie invisibilem demonstrare; nec tamen ipse, sed quæ ipsum signabat figura cernebatur. Pater ergo et Filius, imo etiam (ut sentiunt forsitan aliqui) Spiritus sanctus, Spiritum sanctum misit, dum quod Spiritum designaret intuentibus ostendit. Tota Trinitas, aut melius Pater et Filius, tertiam personam misit, sola tertia mittebatur, quoniam reliquarum neutra illa in specie apparebat : quippe species ea solum propter Spiritum sese intuendam exhibebat, sicut solius Patris vox audita est : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* iii, 17), sicut solus Filius in homine visus est.

Non tamen Spiritus sanctus speciei, sicut Filius homini in unam se conjunxit personam : nec immerito solus ille apparebat, qui septiformis munera daturus veniebat. Nimirum ejus venire, id est, munera largiendo bonos efficere; ejus autem inhabitare, id est, munera data conservando augere. Quamobrem ad discipulos merito advenit, quos antea vix initium boni consecutos, tanquam timidos sese reconcentes, jam vere bonos reddidit, tanquam terrena calcantes, solaque æterna captantes, adhibita scientia utrique rei necessaria. Spiritus autem, qui in specie columbæ super Dominum apparuit (*Joan.* i, 52), in igneis linguis discipulis se exhibuit (*Act.* ii, 5).

Sed an ignis iste, columba vero illa, utrumque quod videbatur id vere erat? Sed angelos humana in specie sanctis apparuisse crebro legimus : sed quod apparendo videtur homo, idne vera ratione est homo? Si autem est, nonne quasi unus, imo vere unus est ex filiis Adæ? Si ergo vere solumque homo, id est, quod cernitur, quomodo angelorum visio in humana specie prædicatur? num angelus indutus homine eo ad quædam utitur officia, ac propterea angelus in homine, merito pronuntiatur apparere? Sed nec auctoritatis transgressor, id ex me confingere audeo, nec quomodo homo hominibus, subito aut appareat aut evanescat, intelligo, præsertim cum nondum sint immortales. Sed et si quis esse ponat, minime tamen convenit, quod angelus hominem, immortalis mortalem sibi ad terrena assumat negotia, quoniam id operis explere posset aut homo per se, aut angelus corporali in specie. Sed si opifices opera alii alia machinantes, creaturas Dei aliter atque aliter informant; si magi in Moyse signa æmulantes, elementis Dei abusi fecerunt et ipsi per incantationes, et arcana quædam similia, utique rei effectum, aut sola oculorum delusione, patrum traditiones cur non teneamus, et credamus angelos, utpote scientia illustres, virtute præstantes, convenientia agendis ex aere sibi corpora aptare, quatenus subtiles atque agiles suæ naturæ concordia nacti nihilo præpediantur, quodocumque ubicumque subito aut apparere aut evanescere : apparere mox visibili specie confecta, evanescere mox eadem dissoluta? Nisi forte verius est eos latere cum libet,

etiam in corpore. Sic Dominus post resurrectionem, licet in carne permanens, attamen modo se exhibebat videndum, modo subtrahebat jam visum. Sed specie, non phantasmate; imo vere aspectibus hominum objecta, quoniam in usum hominum ex aere sumitur, peracto usu in aere deponitur; sic novam stellam novus rex nativitatis suæ nuntiam ex præjacente materia formavit, peracto autem legationis tempore ipsam item in suam materiam resolvit.

CAPUT V.

Quod nec vera columba, nec veræ linguæ apparuerunt.

Quare quæ super Dominum apparuit non columba, sed species columbæ fuit, juxta illud: *In specie columbæ Spiritus sanctus visus est.* Igneas autem linguas sicut linguas non esse scis, ita ignem esse **148** fortasse non credis; sed ignis speciem in modum linguæ formatam. Nam si illa vere foret columba, hæc autem lingua; hanc quodlibet animalium, vel potius hominum amisisset, illam quasi (221) ovum parentes peperissent, et in pullum fovissent. Esse tamen potuit vera avis virtute cœlesti ex aere machinata, sicut illa ortus Domini nuntia vera fortasse stella fuit; nisi quia superno volatu descendens super Dominum residere non curaret. Imo propterea vera avis non videtur, quoniam nec verus homo est qui apparendo cernitur, nec enim spernendam puto similitudinis rationem. Quamobrem sicut apparitio illa, animal rationale æstimatur, et non est, sed similitudo ejus; ita quoque hoc animal irrationale cernitur, nec tamen avem esse putamus, quam ut avem cernimus. Utramque speciem, imo et tertiam ignearum linguarum virtus cœlestis movet; utraque imo et tertia ex aere sumpta in aerem peracto officio redit.

Sed licet veram quis hanc columbam, verumque illum ignem posuerit, quomodo qui apparet verus homo erit (222)? nam nec ex Adam hominem, imo multarum homines facierum, qui nutu suo sive angelico modo se videndos exhibeant, modo humanis se obtutibus subtrahant natos oportet credi, nec alia ex materia quam ex Adam procreatos, licet homines videantur, homines æstimare fas est. Nam nec homo nostri generis (quippe corpulentia mortalitatis depressus) tantæ potest esse valentiæ, ut ex improvise conspiciatur, subitoque a conspectu subtrahatur; nec qui talis est, nostri generis esse potest, quippe nullam inter homines habens conversationem nusquam reperitur; ubi, et a quibus natus et alius, inter quos obversatus, nemo est qui sciat, imo nemo is est ut eum scias. Sic quoque similitudo columbæ, igneæque linguæ, potius ea videtur qua de agimus non ipsa res, nam si lingua, quomodo ignea? Si autem ignea, quomodo lingua? certe si ignis esset (ille nobis notus, dico) sedens super singulos eorum discipulos exureret, nisi virtus divina, cui nihil difficile est, naturæ obstaret. Quamobrem si ita Deo visum est, nihil nego ex aere ve-

(221) Aug., De agone Christian., cap. 22.

ram emicuisse columbam, verum super apostolos splenduisse ignem, tamen non qui combureret, sed luceret, sicut ille in rubo utique nec consumebat. Talis Spiritus in baptismo apparuit, quoniam columbinos requirit. Discipulis autem sese exhibuit in linguis igneis, quoniam quos propter varietatem gentium varietate instruebat linguarum, eos igne accendebat, ut rubigine vitiorum consumpta, et scientia splenderent, et charitate ferverent.

CAPUT VI.

Quibus prius, et quibus post prædicaverint, ei cur.

Quamobrem quos vita commendabat, doctrina illustrabat, merito aliis prædicabant, prius tamen Judæis, quatenus qui ex ipsis prædestinati erant ad vitam converterentur, cæteri autem suæ perfidiæ excusationem non haberent. Tandem autem non ferentes doctrinam, quoniam indignos se judicarunt Evangelio (*Act. xiii, 46*), et apostoli conversi sunt ad gentes, ut per eos interim ad fidem plenitudo gentium introiret; qua completa, prædicatione Eliæ et Enoch tandem omnis Israel salvus fieret (*Rom. xi, 25*). Gentibus enim convertendis apostolos destinavit Deus; Eliam vero et Enoch (in paradysum translatos, ut aiunt, refectione ciborum non indigentes, sicut nec vestium renovatione sciuntur utentes. Felices plus nobis minus cœlestibus) in hoc reservavit, ut tandem Judæos plene converterent.

Intentio prædicationis, religio est Christianæ conversationis. Origo religionis fides est, quippe juxta Apostolum ipsa spiritualis ædificii fundamentum est (*II Tim. ii, 19*). Nondum est otiosa; quoniam interim, sicut in dæmonibus, est mortua, sed cum illustratur charitate. Hæc namque **149** fides dum Deum diligit et proximum, operosa utique est, quoniam ea est quæ, Apostolo teste, *per dilectionem operatur* (*Rom. x, 17*). Fides autem ex auditu nasci in Apostolo docetur.

Sed quomodo ex auditu, si testimonio ejusdem ipsa non est ex nobis, *Dei autem donum est non ex operibus?* (*Ephes. ii, 8*.) utique eam caro et sanguis non revelavit, sed Pater meus qui est in cœlis (*Matth. xvi, 17*), id est, non natura hominis, sed gratia Dei manifestatur: quam enim antiquis, si non omnibus, at multis, insinuarat ex inspiratione, eam nobis declarat ex prædicatione. Nimirum prædicator verba fundit, verborum autem sensum, imo fidem menti Deus infundit; nam sensus exercitio Scripturarum perspicax sententiam plerumque ex verbis perpendat, sententiæ autem fidem non nisi per gratiam adhibeat.

CAPUT VII.

Cur omnibus necessaria, singulis sint divisa, et de fide et salute.

Fidem ergo quam largiri poterat Deus absque sermone, raro (et tamen aliquando, ut Paulo), id facit tempore gratiæ, ut doctore sit opus. Sic quæ sunt necessaria omnibus, singulis sunt divisa, ut

(222) Magist., ii, dist. 8.

quisque quod sibi deest, in altero reperiens, illi A obligetur amore. Auditores ergo prædicatores suos diligant, quorum per officium, Deo intrinsecus operante, irradiantur fide; non pro meritis parentum vel præteritis seu futuris: *Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur (Ephes. 11, 8)*. Non hoc Apostolus diceret, si quodlibet cuiuslibetve opus Deus consideraret quare cuiquam quasi ex merito fidem recompensaret. Jam enim fides non pure et proprie esset Dei donum; imo quædam fieret retributio propter meritum, atque haberet homo unde gloriaretur. Ergo, ut ne quis gloriatur, fides solum est gratia, non ex operibus nata, verum pariens opera. Opera nimirum quamvis magnifica nihil sunt ante fidem: *Nam non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Psal. XIII, 2)*, id est, nemo facit bonum, usquequo veniat ad Christum: ipse enim est unus, id est solus, in quo bene fiat. Unde in Job: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nomine tu qui solus es? (Job XIV, 4)*. Ubi Apostolus memorat promissiones Saræ et Rebecæ factas, talis expositio invenitur (225): *Promissio facta Saræ ostendit, quod propter genus nemo salvatur; ita Rebecæ quod propter nullum suum meritum vel parentum aliquis eligitur, sed sola gratia (Rom. IX, 9)*. Sed si nemo meritis parentum aut eligitur, aut salvatur, nec propter merita parentum quisque fide donatur. Fides namque electionem inter et salutem medium sortita locum, nascitur ab illa, istam parit. Quare si merita parentum in filiis operarentur fidem, conferrent quoque salutem; constat enim quod ex fide est justus, ex justitia salus. Sed si meritis parentum aut suis habet quis fidem aut justitiam, utique juxta Apostolum: *Ex operibus justificatus habet gloriam, sed non apud Deum (Rom. IX, 2)*, id est, vitam æternam sibi aut parentibus, non Deo ascribendam. Nullius ergo meritis neque suis neque alienis fidem obtinet aut justitiam, sed Deus cui vult miseretur (Rom. IX, 18).

CAPUT VIII.

Cur patres pro filiis, et Ecclesia roget pro convertendis.

Quid est ergo quod parentes pro filiis, imo tota Ecclesia pro convertendis orat, orantem pro credituris imitata Dominum Jesum? quid, inquam, pro nondum credentibus aut facinorosis orat, si nec illis fidem, nec istis justitiam impetrat? Sed sanctorum supplicatio filiis, imo et aliis et infidelibus fidem, et pravis æquitatem promeretur. Unde archisynagogus Jairus pedibus Jesu provolutus rogat pro unica (Marc. V, 22), diciturque patri mortuæ filie: *Noli timere: crede tantum et salva erit (Luc. VII, 50)*.

(224) Archisynagogus doctorum chorus habens unicam, plebem Judaicam cui spiritualementem curam debebat Jairus, id est illuminans vel illuminatus, a Deo propterea illuminatus, ut unicam doctrina et

exemplo illuminaret; hic ad pedes Jesu cadit, dum ipsum sibi anteponit **150** et comprehendit per fidem illum, quem Redemptorem expectat, etiam secundum hominem omnibus præferendum. Hac fide præditus summum rogat medicum ut curet a peccatis ægrotam, ab infidelitate mortuam, inspiraturque patri id paternæ fidei promereri supplicationem, ut filia tandem, id est, post gentium vocationem, a morte animæ suscitetur. Sic centurio pro servo morituro Dominum rogat; Dominus autem centurionis fide laudata, ipsi ita respondit: *Sicut credidisti, fiat tibi (Matth. VIII, 5)*. Centurio hic centum militibus stipatus, hic est Christianus populus qui, dum ad æterna solus suspirat, virtutum perfectione munitur: is prærogativa fidei conspicuus minori turbæ quæ timore Deo servit, moritura utique nisi sibi ad justitiam charitas subveniat, supplicando salutem animæ obtinet. Unde Maria et Martha Lazaro sorores vivæ fratri mortuo (Joan. XI, 5), videlicet viri contemplativi atque activi proximo in pravitate torpenti salutem a Domino præcurant. Ipse quoque homo sibi supplicando prodest, tam incredulus ad fidem, quam corrigendus ad emendationem. Unde Augustinus diu dubius quid in fide teneret, cupidus veræ viæ meruit tandem invenire. Sic qui in vitiis degit supplicando eruitur, quem Deus exaudit in abscondito tempestatis (Psal. LXXX, 8): tempestas quippe est servitus peccati, quæ in abscondito cordis dominatur, ubi cum incepisset mergi clamantem Petrum assumpsit (Matth. XIV, 30), multiplicatis infirmitatibus accelerantem. Si ergo servus peccati modo propria, modo aliena supplicatione liberatur, quid est quod nemo in fidem aut justitiam meritis suis aut alienis adjuvatur?

Sed supplicatio pro emendatione cujusquam Deo oblata suscipitur nonnunquam, quoties rogatus virum commutat malum in bonum. Merita autem quando alio inclinantur, nec eo spectant, ut Deus quemquam fide donet morumve honestate, nunquam ut id Deus conferat, sicut modo mihi videtur, efficiunt. Et constat quod nequaquam illud conferre ipsa per se possunt. Hujusmodi ergo ex meritis nunquam, ex supplicationibus nonnunquam fides obtinetur, et justitia cum salute. Singule tamen trium habentur ex gratia. Ipsa namque trahit ad fidem, et pravitati implicitum ducit ad emendationem. Et utramque agens modo in id, per se nativa dulcedine incitatur, modo supplicationibus (quas etiam gratia parit) provocatur: neque enim supplicationes cujusquam id promereri queunt apud Deum, ut ex debito necesse sit aut credituris, aut vitio purgandis gratiam suam conferre, quod utique non jam esset gratiam dare, sed debitum reddere. Nimirum supplicationes haud quidpiam quasi sibi debitum postulant. Verum quibusdam incitamentis misericordiam implorant, unde universam Christianæ religionis studium supplicatio potius quam

(225) In Glossa ord.

(224) Non dissimili commentario hunc locum illustrat, Gratianus, d. 1, De pœnit., c. 87.

meritum rancupari debet, quoniam *non sunt condignæ passionēs hujus temporis ad futuram gloriam* (Rom. viii, 18). Merita ergo hominum haudquaquam sibi Deum distractione iudicii obligant, verum devota supplicatio pium iudicem movet, ut gratuito beneficio suo, idololatræ fidem, distorto æquitatem, bono in proposito perseveranti, largiatur salutem (225). Et sicut de bonis quæ tu facis certissime scio, ita de bonis quæ alius facit id præcipue puto, dum neutra salutem obtinendæ tibi tendunt, neutra salutem habendæ tibi prosunt. Quod si tuæ nullatenus prodesse possunt salutem, quomodo tuæ profuerint iustitiæ aut fidei?

CAPUT IX.

Unde filiis prospera et adversa, et de fide et salute.

Sed filii sæpe parentum aut in dolorem miseris modis divina dispensatione torquentur, aut fortasse in iucunditatem gloriose magnificantur. Num merita parentum in filiis coronat aut punit? nequaquam. Immo severitas ac pietas dispensatoris in filiis parentes consolatur ac desolatur. Verumtamen quamvis fides atque salutem utraque ex gratia originem trahat, tamen fidei illustratio, vitæque correctio proprie ascribitur gratiæ; salutem autem meritis **151** bonæ vitæ. Nam licet ex supplicatione hominis surgat nonnunquam fides ejus atque castigatio, licet ex sola gratia ut in parvulis salutem plerumque proveniat, at in adultis meritum bonæ vitæ exigit ut salventur. Unde *reddet unicuique juxta opera* (II Tim. iv, 14). At sæpius absque hominis supplicatione fides ejus oritur, et persæpe vita subito mala mutatur. Et quidquid quisque dum malus est bene agit, quasi in nihilum redigitur, ut si fides aut bona vita secuta fuerit, non merito, sed gratiæ tribuatur. Quidquid autem vir bonus bene agit, quoniam id viget dignumque est præmio, recte tale dicitur, propter quod salutem ex merito plane data intelligatur. Conversio ergo recte datur gratiæ, quoniam si quod bonum antecedit, ita ex sanguine est, ut meritum conversionis dici haud debeat. Salutem autem rite imputatur meritis, quoniam ex thesauro viri boni vere bona proferuntur.

Rectius tamen si rem profundius rimemur, non solum fides, verum et ipsa salutem ex gratia est; nam si pretium fidei pensaveris atque salutem, quidquid pro fide habenda agitur quasi pro nihilo reputabitur; quidquid pro salutem insufficientis nimium reperietur, ut sola sit gratia Omnipotentis tanta largitione digna. Qui ergo proprietatem rei loquendo exprimere voluerit, is dicat: Fides est ex gratia; nullatenus dicat: Fides est ex meritis: *Dei enim donum est, non ex operibus* (Ephes. ii, 8); merito ex iustitia debetur præmium. Nihil autem tale agitur, unde ex jure fides debeatur: fides ergo ex meritis non est: *Dei enim donum est, non ex operibus*. Nam quamvis ex supplicationibus hominum fides iustitiæque plerumque surgat, tamen quoniam Deus et voluntatem supplicandi inspiravit, ex quo est: *Et velle, et perfi-*

(228) Ista leniantur capite sequenti.

A cere pro bona voluntate (Philip. ii, 6); nequaquam ex operibus nostris est fides, aut iustitia, sed ex Deo. Ex operibus hominum esset, si ex ipsis per se absque gratia proveniret; et tunc quisque ex operibus iustificatus, haberet gloriam, sed non apud Deum (Rom. iv, 2). Nullus ergo meritis neque suis, neque alienis fidem obtinet, aut iustitiam, sive beatitudinem, sed Deus *cui vult miseretur* (Rom. ix, 18). Tria ergo hæc et secundum quemdam loquendi modum, minus utique proprium, ex meritis proveniunt, et secundum quemdam loquendi modum, magis utique proprium, ex meritis non proveniunt.

CAPUT X.

Quomodo non salvetur quis nisi baptizetur.

B Sed ex fide iustitiam, ex iustitia beatitudinem provenire nemo ignorat, qui Apostolum sive Evangelium intelligat. Quomodo ergo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum?* (Joan. iii, 4.) Quoniam enim ex necessitate iustus quisque est ex fide, per fidem autem ad baptismum acceditur, liquido constat ante lavacrum hominem fuisse iustum, nec enim poterat fidem, *quæ per dilectionem operatur*, obtinere, et iniustus esse. Quoniam autem post discretionem baptismum efficaciam sortitur ex fide (quoniam absque fide lavacrum nihil valeret), cur non et ante ablutionem aquæ, fides quod sui juris est, secundum Scripturas, iustitiam operetur? Unde Dominus beatum Simonem Barjonam iudicat (Matth. xvi, 17), sed propter fidem. **C** Eadem de causa latroni dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 43). In utroque fidem amplectens, nec latronem sacramento regenerationis astringens, alterum beatitudine, alterum donat requie: licet enim latro in carcere, aut ante, baptizari potuerit, minime tamen id videtur, tum quia lex baptismi nondum adeo divulgabatur, tum maxime quia videtur cum altero blasphemasse, et post admiratus quæ fiebant in cruce credidisse (226). Sicut ergo sanctorum Patrum Abraham prius ex fide iustificatus, post sacramentum circumcisionis in signum interioris jam perceptæ accepit, ita filii ejus per fidem, ex fide prius iustificantur, post sacramentum ablutionis in signum interioris jam perceptæ assumunt. **D** Et sicut ille in percepta **152** iam iustitia non permaneret, si mandatum Dei negligens circumcidi respiceret; ita isti prius iusti mox fierent iniusti, si contra obedientiam baptizari recusarent. Sic cordi contrito et humiliato mox venia conceditur peccati, necesse tamen est postea confiteri. Si quis tamen corde contrito ante confessionem morte fuerit præoccupatus, ne pereat compunctio intercedit. Quare qui iam iustus est ex fide, ne pereat de via iusta, baptizetur in fide; si enim lavacrum spernit, iam ab ea fide excidit quæ per dilectionem operatur. Quod si morte præventus a lavacro regenerationis præpeditur, quia extra fundamentum non est, perire non potest.

(226) Vide Aug., lib. Quæst. super Lev. l. q. 84.

CAPUT XI.

De efficacia fidei mixtæ charitati.

Fides quippe mixta charitati quia Deum amat et proximum, reminiscendo se offendisse utrumque, necessario tantum commissa deslet, et deslenda cavet quantum amat, ac per hoc remissionem peccatorum amando impetrat, quoniam *Charitas operit multitudinem peccatorum* (I Petr. iv, 8); juxta illud: *Dimituntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* (Luc. vii, 47). Fides ergo quæ per dilectionem operatur, sola virum bonum parit, quoniam ipsa vitiiis evacuat ac justitia ornat: nam *qui non diligit fratrem manet in morte* (I Joan. iv, 20); quanto magis qui non diligit Deum! quippe quandiu quis est talis, quoniam manet in morte, non meretur reviviscere, id est, veniam peccati obtinere. Tantarum autem virium esse fidem Dominus insinuat, dum dicit mulieri: *Fides tua te salvam fecit* (Luc. vii, 50). Item: *Secundum fidem vestram fiat vobis* (Matth. ix, 29), quod duobus cæcis dixit. Et alibi: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* (Matth. xv, 28). Non id meretur fides otiosa quæ est dæmonum, sed diligens quæ est sanctorum. Fides ergo complet voluntatem, obtinet salutem: *Corde enim creditur ad justitiam* (Rom. x, 10), atque ideo ad salutem. Fides ergo salvat etiam quem baptismus non lavat. Unde: *Loquente Petro, cecidit Spiritus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcissione fideles qui venerant cum Petro, quia in nationes gratia Spiritus sancti effusa est; audiebant enim eos loquentes linguis et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur ii qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? Et jussit eos baptizari in nomine Jesu Christi* (Act. x, 40). Ergo ante baptismum Spiritum sanctum acceperunt, ut magnificent Deum, ac per hoc jam credentes justii erant: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. i, 4). Sanctus enim Spiritus, *discipline effugiet fictum, et auferet se cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (ibid.). Sicut enim ante baptismum quibusdam se infundit Spiritus sanctus, ita et post baptismum. Unde Petrus et Joannes oraverunt pro Samaritanis, *ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super ipsos, et accipiebant Spiritum sanctum* (Act. viii, 15).

CAPUT XII.

Sicut in martyrio, in fide aliquando salus sine baptismo.

Non ergo baptismum, sed Spiritum sanctum per fidem comitatur justitia atque salus; ex martyrio quoque est salus, ubi non antecessit baptismus.

Sed dices: *Martyres in sanguine suo baptizari, quid si igne cremantur, aut aliter absque sanguine violententer moriuntur? Num in igne atque violentia ipsi quoque baptizantur?*

(227) V. Mag., iv, dist. 17 et 18.

A Dominus tradidit (et Ecclesia consuevit) ex aqua et spiritu, trina mersione, Trinitatisque invocatione baptismum celebrari. Quomodo igitur baptismum asseris, ubi nec aqua, nec immersio, nec Trinitatis est invocatio? Quod si quos negare non potes glorificatos, et non tamen audes dicere in aqua baptizatos, vice **153** baptismi judicas martyrium pertulisse, cur mireris si fides quoque vicem baptismi obtineat, cum a lavacro non voluntas, sed necessitas excludit? Si enim martyrium quod vires sumit ex fide, complet locum baptismi, cur non etiam fides? Cum ergo nonnulli per martyrium, et fortasse aliqui per fidem non renati ex aqua intrant in regnum cælorum, cum audimus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (Joan. iii, 4), intelligamus quod *littera occidit, spiritus autem vivificat* (II Cor. iii, 6). Nonne Dominus Jesus, cujus hæc verba sunt, non renatus ex aqua in cælum intravit? Ipse enim non suo, sed Joannis baptismum lotus est; quippe suus fiebat in remissionem peccatorum, atque ideo nihil ad se pertinebat; Joannis non regenerabat, atque ideo illi competebat qui immunis a peccato renasci non indigebat. Illud ergo decretum veteres excludit, Dominum Jesum non comprehendit; neque de illis agit quos fide præclaros necessitas a sacramento disjungit. Sic cum dicitur: *Omnis qui petit accipit* (Luc. xi, 10), excipiuntur illi qui nec pie nec perseveranter petunt. Item cum dicitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (Marc. xvi, 16), de illis intelligitur solis, qui ita credunt ut ament, ita amant ut perseverent, atque in hunc modum pleraque reperies.

CAPUT XIII.

Cur baptismus sit institutus.

Sed si ex fide justitia habetur, ac per hoc remissio peccatorum, quid opus est aqua lavari; lavacrum ipsum quomodo in remissionem peccatorum percipitur? Opus est lavacro, quoniam Dominus ita instituit. Institui ita oportuit, ut superbia retunderetur, dum rationalis homo insensibili se humiliaret elemento. Unde Jordanis, qui baptismi figuram gerit, descensum de superbia designat. Quemadmodum autem post compunctionem, ubi ab ipso Domino suscitatur Lazarus, necessaria est confessio, ubi officio ministrorum ligamentis mortis, id est, corpore peccati absolvitur; ita post fidem qua mors propellitur, succedit baptismum, ut vita vegetetur (227). Et quomodo quolibet tempore *charitas operit multitudinem peccatorum* (I Petr. iv, 8), ne sint ultra ad damnationem; compunctio vero, quam charitas parit, atque satisfactio, quam importat compunctio, eadem operit, ne exigantur ultra ad pœnam; ita homini peccata remittit fides, ne damnetur; baptismus, ne puniatur (228). Quod fides facit, baptismus ostendit; fides peccata delet, baptismus deleta docet, unde sacramentum dicitur.

(228) Consue notas.

CAPUT XIV

Quid baptismus, quid Spiritus sanctus efficit et baptismus, quomodo sit institutus.

(229) Recte ergo in remissionem peccatorum baptismus sumitur, quod a pœna peccati solvit, et absolutum insinuat, et vitam ex fide natam confortat. Qui ergo Spiritum sanctum recipit per fidem, cum magis obtinet in regeneratione, præcipue habiturus eundem in confirmatione, hoc namque est Spiritum quasi quibusdam gradibus suscipere, per augmenta promoveri bonæ vitæ. Unde Spiritum non semel discipuli acceperunt : Spiritus nimirum per fidem vivificat, in baptismo contra vitia confortat, in confirmatione ad bene agendum aptat. Fides more pœnitentiæ suscitatur, baptismus more confessionis sanat, confirmatio more satisfactionis vegetat. Primo, post mortem vivum; secundo, post languorem sanum; tertio, post salutem robustum. Qui ergo ex sanguinibus, id est parentibus nati sunt ad culpam, denuo in aqua per Spiritum ex Deo renascuntur ad vitam : nascuntur veteres, id est filii iræ, renascuntur novi, id est filii Dei. Regeneratio tamen inchoata fide, aqua promovetur, cumulanda confirmatione.

Sed si adventu Spiritus sancti remissio **154** peccatorum, ipsa demum regeneratio etiam ante lavacrum obtinetur; quid est quod lavacro specialiter describitur? Sed quandocunque hæc accidant, quoniam accidere baptismus signat, merito ad baptismum pertinere judicantur.

Baptisma autem non alium liquorem, aliudve elementum recipit, præter aquam, auctore Domino, qui ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* (Joan. III, 4.) Neque aqua sufficit sine invocatione Trinitatis; unde Dominus mandavit baptizari omnes gentes : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. XIX, 28). Baptizari, id est lavacri trina mersione, sicut Trinitatis invocatione. Tantum lavacrum invocatione Trinitatis dicendum, auctore Scriptura novimus; trinam vero mersionem usu et ratione suscipimus. Verum baptismus negamus, si Trinitatis desit invocatio; et non negemus, tametsi trina defuerit mersio. Invocationem Trinitatis necesse est adesse, trinam mersionem minime decet abesse. Absque eo quod necessarium est, baptismus non est; absque eo quod convenit, esse potest, negligentia autem culpam habet.

CAPUT XV.

Lavantis et loti perversitas baptismis non derogat.

(250) Solus ergo ille aut baptista aut baptizatus æstimatur, qui juxta hanc traditionem, aut baptizat, aut baptizatur. Nec obest quidquam quominus baptismus dicatur, aut lavantis perversitas aut loti. Lotus nullomodo nocetur aliena, aliquo modo propria; non quidem ut non baptizetur, verum ut baptizando non emundetur.

Quid ergo? *Joco atque risorie unus baptizat, alter baptizatur, nunquid hujusmodi dicemus baptismum?*

(229) Magister, IV, dist. 5, § penult.

(250) Magister, IV, dist. 5.

PATROL. CLXXXVI.

A Sed dum ille joco baptizat, iste serio baptizatur, quid inde perdit? Nonne quod ad se pertinet facit, dum more ecclesiastico lavacrum suscipit, licet ille in hoc offendat quod irrisorie lavat, cum tamen regulam baptizandi non excedat. Sic si quis peccata confitentem sacerdos irrideat, nihilominus tamen irriso recte consulat, reus discrete confitens diligenterque satisfaciens a reatu nihilominus absolvitur. Contra si quis catholice per omnia baptizat, baptizandus autem irrisorio animo accedat, nonne irrisio sicut fictio rem sacramenti tollit; ipsum tamen sacramentum tollere nequit? baptizatus ergo non mundatus videtur. Sic licet quis conjugium quasi ludo contraxerit, nihilo magis tamen ludi objectio conjugium initum separabit. Sic ergo hinc inde tota baptismi actio irrisorie agitur, tantum ordo sacramenti rite teneatur, cur ea quæ per se sacramento nihil officiant, conjuncta extinguant? Aliud nimirum est sacramentum ipsum videre; aliud quid sacramento agatur inspicere. Sacramentum oculis se offert, res ipsa mente vestigatur. Sacramentum fit in corpore, virtus autem sacramenti in mente. Corpus demum aqua lavatur, anima vero Spiritu mundatur.

CAPUT XVI.

De natura lavacri et significatione.

(251) Sacramentum ergo baptismi, quod totum extrinsecus agitur, integram sui obtinens naturam, nullum omnino videtur suscipere detrimentum, quidquid irrisionis cujuslibetve erroris in mente versetur, aut baptizantis aut baptismi suscipientis. Munditiæ, propter quam sacramentum suscipitur, quoniam et ipsa intrinsecus agitur, interior error, nec alienus sed proprius jure noceat. Sic si exterius in actione sacramenti erratur, tunc demum sacramentum ipsum periclitetur. Si autem periculum sacramenti nihil nocet animæ, quando ipsam fides sincera integre curat, nec corruptio animæ corrumpat sacramentum, quando et ipsum sua absolute perficitur.

Quid ergo si balneantes se baptizent? Si quis balneans in parvulis loco **155** sacramentum baptismi compleat, neutrum eis audeo negare neque sacramentum, neque sacramenti fructum. Quod ergo concedo parvulis, quomodo negem adultis? Et licet illos, quoniam irreverenter suscipiunt, merito suscepti mysterii privas utilitate, attamen quoniam quoquo modo suscipiunt, qua ratione abalienes a baptismo? Tantum ergo tunc neges baptizatos, quando quod suum et proprium est baptismi, id præteritur.

Christum super baptizatum in columbæ specie Spiritus sanctus descendit (Joan. I, 32), non quod unquam defuerit Christo, quippe ex Spiritu concepto, verum ut in baptizatos Spiritus sancti designetur adventus (cujus in designatione baptismati solet ignis interesse) nimirum non sibi, sed nobis baptizari voluit, et Spiritum sanctum descendere cœlos.

(231) Magister, IV, dist. 4 et 6 § 5.

que reserari super se. Exterior ablutio significat A interiorem, ut sicut aqua lavat carnem, Spiritus sanctus cogitetur mundare mentem. Lavacro plerumque ignis adjungitur, ut perfecta purgatio intelligatur. His nimirum elementis sordes dilui solent; absque igne tamen aqua declaratur nonnunquam spiritualium permundatio sordium. Et quoniam aquæ solum est lavare, lavandis spiritualiter hominibus aquam merito Scriptura assumit, cæteros liquores, imo etiam cæterae limenta, huic negotio sufficere non credit. Aqua dum lavat, Spiritum sanctum mundantem designat; corpus dum lavatur, mundatio animæ designatur. Aqua ergo Spiritum, lavatio remissionem peccatorum designat. Nimirum instar aquæ Spiritus sanctus agit, instar lavationis remissio peccatorum fit, auctore Paulo: *Quicumque B baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (Rom. vi, 3)*. In morte Christi, id est, in similitudine mortis ejus, aut per mortem ipsius baptizati, id est purificati sumus. Nam sicut Christus mortuus est vitæ mortali, ita mors Christi nos mori facit per baptismum pristinae conversationi: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, id est per baptismum vitiis mortui, in baptismo quoque ad similitudinem Christi sumus sepulti, ut non solum mortui a pristina conversatione cessemus, sed quasi sepulti atque longius C amoti non eam amplius appetendo cogitemus. Sed quid prodest veteri carere vita, nisi promoveamur in nova, Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus?*

CAPUT XVII.

De convenientia baptismi et passionis.

Sed ut apostolicam collationem interius perscrutemur, videamus quid in baptismo morti, quid sepulturæ, quid demum comparandum sit resurrectioni. Dum baptizandus aquæ immergitur, mors Christi insinuat; dum sub aqua latet mersus, sepultura Christi representatur; dum sublevatur ex aquis, resurrectio Christi declaratur. Mersio repetitur tertio, non solum in reverentiam Trinitatis, D verum etiam propter triduanam Christi sepulturam. In sepultura Domini dies noctem tertio sequitur, in baptismo quoque trinam trina mersionem emersio comitatur. Ante adventum Christi dies sequenti cum nocte computabatur, in passione Domini ordo computationis mutatur, et dies antecedenti cum nocte numeratur. Prima computatio a die in noctem terminatur, quoniam primus Adam a die creationis lapsus corruit in noctem transgressionis. Secunda computatio a nocte in diem terminatur, quoniam secundus Adam veteris caligine prævaricationis depulsa, luce suæ novitatis mundum illustravit. Terni dies in sepultura Domini sequuntur tres noctes,

(252) Magister, iv, d. 6, § 6.

quoniam qui cogitatione, locutione et opere, caligaveramus, in eisdem tribus emendati, morte Domini jam lucemus. Horum Dominus miseretur **156** dicens: *Misereor turbam quia triduo perseverant mecum (Matth. xv, 32)*. Eadem significatio nobis se offert in trina mersione, parique numero consecuta emersione. Nimirum Christiano ordine prius es moriturus, sepeliendusque tripliciter peccato, postmodum pari numero tibi surgendum est ut promovearis religiosa conversatione. Recte igitur aqua designat Spiritum sanctum, quoniam ipse mortificat sepelique peccatum. Jure immersio insinuat remissionem peccatorum, quoniam id est immergi quod peccato mori atque sepeliri. Et quid est peccato mori aut sepeliri, nisi non solum culpa expiari, verum etiam molestias pravæ consuetudinis sedari? Merito quoque per emersionem regeneratio declaratur, quoniam sepulto peccato nihil aliud restat, nisi ut ad justitiam exurgamus, ut qui peccato jam mortui sumus, denuo justitiæ vivamus, ac per hoc qui nati fueramus vetustati, renascamur novitati. In baptismo ad modum aquæ antecedit Spiritus. Similitudine mersionis subsequitur remissio, imitata emersionem. Extremum tenet locum regeneratio. Nimirum causa prævenit, primo purgans habitaculum malo, demum reformans bono.

CAPUT XVIII.

Cur usque ad festivitatem differatur baptismus.

(252) Sed baptismus nisi necessitas urgeat ad aliquam, præcipue vero paschalem usque solemnitatem differri solet, ut interim catechizati, id est in fide instructi, tandem in ecclesia abrenuntiantes diabolo, a sacerdote celebriter baptizentur. Catechizantur prius, quoniam absque fide aut nolent, aut etiamsi vellent baptizari non deberent, quoniam nihil prodesset. Quoniam ergo ex necessitate catechizantur adulti, ratione consuetudinis, absque necessitate tamen, catechizantur et parvuli. Nam, sicut adulti si morte præpropere excludatur baptismus, sola ex catechizatione credentes salvantur, ita parvuli licet catechumeni absque baptismo certa ratione damnantur. Stare tamen debet lex catechizandi et in parvulis, non solum quoniam in adultis antecessit, verum multo magis quoniam quædam est expellendo diabolo præparatio, ut pro baptizandis supplicatio, valens quidem, non sufficiens tamen saluti. Quippe ut salvetur quis, aut necessaria fides est adultis, aut sacramentum fidei, qui est baptismus, parvulis. Nam absque utroque nemo salvari potest.

CAPUT XIX.

Cur patrini puero in baptismo sunt necessarii.

(253) Puer ergo quoniam credere nescit, sacramentum credendi requirit. In hac ætate opus est patrinis, quorum ministerio sacerdoti puer præsentetur, quorum testimonio, ne deinde quæstio de baptismo oriatur, puer baptizatur. Nam quoties baptismus ambigitur, si puer est, quoniam absque lava-

(253) Magist., iv, d. 6, § 7.

cro perderetur, omnimodis baptizetur. Sancti (254) A enim haud judicant iteratum, quod ignoratur patratum. Si adultus est fidemque habet, nihil periculi est, si non est baptizatus, dum aut domestici mentiuntur renatum, aut tacent verum; nam more omnium se in pueritia baptizatum credit. Item ad patrilinos pertinet et pro pueris respondere, et pactionis per responsionem Deum inter et hominem initæ sponsores esse. Unde curandum est eis ut quod pepigerunt pro parvulis, laborent fieri in adultis. Cur enim aut sacerdos interrogaret, aut pro puero patrilinus responderet, se credere et diabolo abrenuntiare, nisi quia id sacerdos requirit, idque patrilinus promittit quod tempore suo puer credet, viasque fidei inconcessas declinabit? in vanum enim et ille puero nihil intelligenti sermonem dirigeret, et iste B qui nondum fidei capax est, fidelem responderet.

157 CAPUT XX.

Quomodo patrilinis dirigitur sermo, et de patrilinis.

(255) Patrilinis ergo dirigitur sermo. Verum quia pro puero fit, ita pronuntiatur quasi puero diceretur. Quare dum a presbytero hujusmodi interrogatio auditur: *Puer, credis in Deum? Abrenuntias diabolo?* hoc profecto intelligitur: *Patrilini, num pro puero spondetis, quod vita comite sit diabolo abrenuntiaturus?* Augustinus tamen ita responsionem patrilinorum exponit: *Credo, id est sacramentum credendi percipio.* Quare dum audis interrogationem: *Puer, credis in Deum?* et responsionem: *Credo;* id profecto intelligis: *Patrilini, quorum officio puer præsentatur Deo, num sacramentum credendi percipiet?* C *Percipiet.*

Sic ergo catechizatio pernecessaria est magnis, potest quoque deesse parvulis; ita patrilinorum officio, quo egent parvi, carere possunt magni. Patrilinis eget infantia ea causa, ut plerique autumant, ut salventur fide aliena quibus deest propria. Prodest quidem aliena fides puero: quippe sine ea non induceretur sacramento. Sed tametsi nullus adesset patrilinus, imo nullus omnino foret in mundo qui crederet, tantum vel paganissimus morem Ecclesiæ tenens baptizaret, nihilominus virtute sacramenti servatus, apud Christum, qui solus baptizat, misericordiam inveniret. Non enim ad eum qui ore ac manu sacramentum conficit intuendum est qualis D quocumque sit, quoniam nec a bono melius, nec a malo pejus peragitur. Verum illum inspiciamus cujus est solius suo vim conferre sacramento. Unde cum fictus aut immundus accedit, quod hominis est sacramentum ab homine percipit; quod Dei est, purgationem a Deo non percipit. Quam cum magnus est fide præsumit ante sacramentum, parvus quoniam fidei expers est, in sacramento eam recipit (256). Itaque res sacramentum suum comitatur in pueris antecedit in adultis.

(254) Leo Pap., epist. ad Rust. Narb. Idem Leoni Ravenn. ep. 57, et concil. Carth., De cons. dist. 4.
(255) Magister, III, d. 6, § 7.

CAPUT XXI.

Cur differatur baptismus, et de maioribus baptizandis.

Sacramentum hoc solet catechumenis usque ad solemnitatem differri, et coram populo recipiatur, ad honorem Deo, ad exemplum proximo. Nec est periculosa expectatio his qui catechizando justis sunt ex fide. Verum parvulis quibus licet catechumenis nihilominus gehenna impendet, nimium periculosa mora est, quorum de vita ambigere infantia comes languor cogit. Unde eos quantocius baptizari apud prudentiores mos est. Majores autem natu facti prius catechumeni, tempore suo regenerantur abrenuntiantes diabolo (257). Ideo namque sacerdotes interrogant, ut ipsi abrenuntians respondere deant, nec solum locutione, verum multo magis voluntate; nam ad id tendit: *Interrogatio bonæ conscientia in Deum (I Petr. III, 22).* Nam si aut fornicatores, aut ebriosi, aut alio quovis in flagitio perseverare malunt, indigni lavacro refutantur: quamvis enim admittantur lavacro, admittuntur absque commodo; quippe illis in culpa merito denegatur venia, quos vitio obligatos indurat impoenitentia. Ergo percipiunt sacramentum nec percipiunt sacramenti fructum: percipient autem cum mollita mente abscedet impoenitentia, nunquam tamen iterato sacramento. Nam sicut mors, sepultura, resurrectio Christi, una est; unum quoque esse decet sacramentum, quod harum rerum in similitudinem sumitur.

CAPUT XXII.

De baptismo et confirmatione non iteranda.

(258) Una quippe mors Christi cum sepultura, ac resurrectione similiter una, unum per baptismum quod in nobis ipsa designat, etiam operatur quoties amore mali non resistitur operationi. Cum ergo una **158** sola morte Christi uniusque solius efficacia baptismatis, venia tibi præsto est, quotiescunque poenitentia haud abest; sicut mors Christi nunquam repetitur nec mortis similitudo baptismata, unquam repetatur. Quippe *una fides, unum baptismata* prædicatur (Ephes. IV, 5). Quamobrem, quoniam baptismata nunquam repetitur (quod quidem solis modo debetur presbyteris, nisi cum ex necessitate quilibet accitur, ne sine sacramento ex hac vita exeatur. Modo presbyteris sacramentum hoc Ecclesia commendat, quoniam tempore apostolorum indifferenter fiebat); quoniam, inquam, baptismata nunquam repetitur, nec confirmatio, quoniam et ipsa semel sumpta sufficit, repetatur. Quæ recte confirmatio dicitur, quoniam super hoc quod peccata ipsa quoque dimittit, in bono etiam confirmat, et quasi athletam contra spiritualia nequitia præarmat. Et [*melius, sed*] est sacramentum baptismatis magis necessarium, sine quo non est salus parvulis. Unde cum necessitas

(256) Consule notas ad cap. 13 hujus partis.
(257) Magist., IV, dist. 6, § ult.
(258) Magist., IV, d. 7, § ult.

cogit, potestas baptizandi nulli interdicitur. Sacramento autem confirmationis non tantopere opus est parvulis; quippe quo carere possunt absque periculo salutis. Confirmari tamen debent et ipsi, maxime ad opus futuri. Unde cum parvuli ad Dominum deferrentur ut eos tangeret, *imponebat illis manus* (*Marc. x, 15*). Ipse quoque de confirmatione parvulorum decretum ponens ait: *Sinite parvulos ad me venire.*

CAPUT XXIII.

Quando et cur parvuli sint confirmandi.

Debent ergo parvuli in parvitate sua confirmari. Quamobrem negligentiae reatus judicatur, quoties his, qui interim mori possunt, sacramentum istud per desidiam differtur.

Sed quid opus est manus cito imponi aut nostro tempore baptizatis, aut praeferito circumcisis, cum sacramentum jam perceptum usque ad annos discretionis ad salutem obtinendam sufficiat? Nam exinde contra laborem luctae opus est confirmatione. Sed impositione manuum Domini aut ejus ministri, credibile est, gloriam vitae aeternae prius concessam postmodum auctam. Et est confirmatio dignior baptismo, quanto dignius est athletam fieri, quam a morbo curari. Hoc namque sanat, illud sanatum vegetat. Unde soli episcopo confirmatio nunc conceditur, sicut tempore apostolorum quoque concedebatur. Confirmatio igitur impositione manuum episcopi data, sicut et eucharistia consecrante presbytero confecta, quanto difficilius obtinetur, tanto pretiosior aestimatur, quippe inter sacramenta quod difficultate quadam adipiscimur, magis est dignum minusque necessarium; quanto enim minus quodque difficultatis habet, tanto utique plus necessitatis obtinet. Provida institutio, ut id sine quo non est salus ubique sit praesto; id unde certior fiat aut curatior, tanto sit rarius, quanto ab acquisitione salutis remotius.

CAPUT XXIV.

De sacramentis iterandis, et virtute baptismi.

Sed licet non liceat sacramenta quaedam iterari, quoniam semel sumpta ad omne sufficiunt tempus, sunt tamen alia quae nisi saepius percepta, non sufficiunt illi qui supervivit. Unde confessionem et eucharistiam crebro repetimus. Quoties enim peccamus, emendationis gratia confessione egemus; quoniam autem infirmitas carnis infirmare spiritum non cessat, utrumque confirmare subsidio eucharistiae non cessamus; ea nimirum jure habita, et peccatum dimittit et robur infundit. Sicut e contra male sumpta culpam augmentat, reumque debilitat.

Ergo Christianae legis auctoritatem amplectamur, dum quodque sancit aut semel fieri aut repeti. Tectum paries et fundamentum tria haec in robur sunt domui; quod pingitur, quod sculptur, in ornatum. Illa reddunt **159** aedificium, ista conspiciunt. Spirituali quoque in templo trina ex meritione, Trinitatisque invocatione, virtus constat aedificii, caetera autem decorem faciunt sacramenti.

A Virtus enim Trinitatis adest sacramento baptismatis, quod dum Christus baptizaretur nobis est insinuat. Ei namque baptizato: *Aperti sunt caeli, et vidit Spiritum Dei descendantem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de caelo dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui* (*Matth. III, 16*). Filius baptizatur, Spiritus Dei sicut columba super baptizatum descendit, dignitatem baptizati paterna vox innotuit.

CAPUT XXV.

Quales baptizati, et cur caeli sint illis aperti.

Ecce baptismo beata adest Trinitas, lotos efficiens columbinos, ac per hoc filios Dei dilectos, tanto nunc placentes, quanto prius displicentes, qualibus merito caeli reserantur. Et quamvis ista adultis per fidem prius adsunt, tamen dum obedientes lavacro se humiliant, cumulatus eadem se infundunt. Sed propterea haec ad nos per baptismum retorqueo, quoniam ea nec nata sunt, nec creverunt per baptismum in Christo. Verum insinuat in baptismo capitis, quid ex baptismo debeat membrum.

Sed quid est quod baptizatis caeli aperiuntur? num quod jam sunt digni visione Dei, adeo ut quantumlibet antea foedi fuerint, nihilominus baptismo mundati, si forte mori mox contigerit, indilate caelo invehantur. Sed de his minime intelligi potest, qui suscepto lavacro ante passionem Domini morte praeventi sunt: nam caelum antea clausum, Ascensio Domini reclusit. Ad inferos ergo descenderunt. Quale ergo baptisma est, quod virtute sua cassum caelos non aperit? aut quomodo circumcisioni praevalet, dum qui baptizatur, sicut qui circumciditur ad inferos descendit?

Sed tempora divisa sunt circumcisionis atque baptismatis. Tempus namque circumcisionis sicut et legis usque ad passionem Domini, quoniam imminente passione ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (*Matth. xxiii, 35*). Vitis populus est Judaeorum, quoniam *vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (*Isa. v, 7*); genimen fructus est observationum. Hic ergo sensus est, de hoc genimine nihil bibam, sed totum respuam amodo, id est ex tempore passionis. Ex modo autem bibam, id est jucunde accipiam genimen non hoc, sed novum, nec solus sed vobiscum. Nemo ergo ex quo passus est Dominus Judaicis se subdat institutis, quae omnia Apostolus reputat ut stercora (*Philip. III, 8*), quoniam qui ea tractante fedi, fetidique fiunt. Tantum ea quae per figuras signantur, tanquam nova novus quisque reverenter arripiat, nullum novae legis recusans decretum. Tempus ergo circumcisionis, quoniam veteri homini proponitur, in morte Domini terminatur, baptisma autem sicut novo homini destinatum, finita circumcisione proprium obtinet locum, unde Dominus post resurrectionem discipulis ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (*Matth. xxviii, 19*).

CAPUT XXVI.

Unde sit auctoritas baptismo et catechizationi.

Dominus, post resurrectionem, universale de baptismo decretum sanciens, post resurrectionem baptismo proprium tradit locum. Sed quoniam catechizatio præparat locum baptismo, prius dicit, *Docete omnes gentes (ibid.)*. Post, paucis verbis, quid sit opus baptismo, comprehendit, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, etc.* Sed quoniam post sacramenta bona vita requiritur, tertio gradu subjungitur: *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.*

160 Veram ne tantum opus disidentiam pareret infirmis, certitudine promissorum incertitudinem fulcit titubantium, inquiens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (ibid.)*. Sed ut auctoritas baptismi post resurrectionem privatim injuncta claresceret, ante resurrectionem sacramentum lavaeri coram Domino publice celebratur. Nihil igitur mirum, si quid defuerit baptismo tempore non suo suscepto. Et prævalebat etiam tunc circumcisioni, quoniam, cum circumcisio non sufficeret nisi post resurrectionem baptisma sequeretur, baptisma ante sumptum non postmodum erat iterandum, quippe nihil minus post resurrectionem vigeat, propterea quod ante resurrectionem sumebatur. Item baptisma tanquam propositum adultis actualia etiam contra peccata (præterita tantum) sumitur remedio, in tantum fortasse ut nullam expiationis gratia requirant pœnam post lavacrum. Circumcisio vero tanquam veris oblata solum originalem excusat noxam.

CAPUT XXVII.

Quæritur quid sit baptizatis cœlos aperiiri.

Sed digressi redeamus, et inquiremus quid sit, quod baptizatis aperiuntur cœli. Nonne ea ratione cœlum reseratur, ut baptizatis patere introitum loci illius intelligatur? Sed ad quid patet, si intrare non licet? si quis baptizatur et propter anteactam scditatem, quoad pœnitentialem compleverit satisfactionem, ab ingressu cœli detinetur, nonne ei janua est clausa dum arectur ab ea? quod si virtute baptismi statim cœlos introeunt ii qui paulo ante in carne commemorantes flagitiosissimi exstiterunt, quomodo nullum peccatum impunitum? Audi Apostolum: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei (Rom. xi, 29)*. Quod expositor ita explanat (259): Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planetum, vel epus aliquod, nisi solum fidem, et omnia gratis condonat. Dona ergo Dei, id est remissio peccatorum in baptismo facta, non requirit pœnitentiam, id est purgatoriam pœnam post remissionem. Nimirum cor contritum quod baptisma prævenit, et humiliatum quod sacramento obedientem submittit, ita reum purgat, ut pro pœna sufficiat. Tanti apud Deum est compunctio cum humilitate per obedientiam. Spiritus ergo sanctus super catechumenos descendit, et condonat culpam (240). Item super ba-

(259) In Glossa.

A ptizatos descendit et condonat pœnam, catechizatio namque meretur veniam, sed nondum evacuat pœnam; sicut confessio pura culpam quidem tollit, sed satisfactionem requirit. Baptisma vero, quoniam venia peccati jam antea habetur, satisfactionem de peccato condonat, sicut martyrium, dimissis omnibus peccatis, omnem etiam molestiam post se de habitaculo suo eliminat. Unde cum tricesimus sexagesimusque fructus obtineat lævam, centesimus qui martyrium est, transitum facit ad dexteram. Quare? quoniam merces martyrum non differitur post mortem.

CAPUT XXVIII.

Quibus et quando cœlum aperiatur

Baptizatis igitur, et non ante, merito cœlum patere pronuntiatur; quoniam noxarum per catechizationem dimissarum satisfactio nondum expleta a visione Dei prius secluderet. Verum rite baptizatos solum mortalis status a gloria semovet. Flammam vero versatilem, quæ nos ab ingressu paradisi reos detinuit (*Gen. iii, 24*), unda plene reconcilians Deo, ut introitus pateat, exstinguit

Notandum tamen quod si quem fidelium inter Resurrectionem et Ascensionem ex hac vita contigerit decessisse, eum Domino Jesu interim associatum expectasse Ascensionem, antequam janua cœlestis reserari non debuit. Unde apparet quod **161** non eis qui ante, sed solum his qui post ascensionem baptizati sunt, patet janua cœlestis. Nisi forte quis ponat cœlos renatis apertos, non quod mox liceat, verum quod illuc tempore congruo scandere licebit. Sed ea ratione: Justis ab origine mundi sunt aperti, quando potius leguntur clausi, sceleratissimis quoque sed convertendis, pœnitentibusque, sed nondum condignos per fructus emendatis, quia omnibus cœlum aperit non perspicuitas providentiæ, verum Redemptoris morte comparata dignitas vitæ. Neque enim Deus intuitus providentiam suam cœlum claudit aut aperit, sed vitam nostram. Neque dum hoc facit, futura contemplantur, sed præsentia; neque enim id modo attendimus quid de singulis providentia sentiat, verum quid sententia Dei, merita non ut erunt, verum ut sunt discutiens, de uno quoque discernat. Nam si providentiam spectas, quæ exitum rei metitur, inter baptizatos pauci sunt, quibus cœli aperti sunt. Sententiam ergo contempleris, quæ omnem baptisma rite suscipientem, quoniam in præsentem dignum cœlo considerat, cœlo adjudicat; alioquin quos providentia excludendos judicat, si nec sententia Dei licet lavaero sanctificatos, quoniam restat adhuc satisfactio, dignos vel in baptismo cœlis putat, quomodo talibus cœlum aperiatur, qui nec modo intrare digni sunt, nec unquam erunt. Nam de illis modo agimus qui per baptisma boni fiunt, sed cito ad vomitum redeunt. Num ideo cœli aperti asseruntur, quod eam in baptismo, illi qui ante scelerate vixerant; gratiam consequantur, quam si ad finem usque

(240) Vide notas ad cap. 15.

prosequantur, propter ipsam cœlo donabuntur tamen, a fœditate gentilitatis, pœnitentiâ emendatione prius expiati, aut in hoc sæculo aut in futuro? sed secundum hoc non jam cœli supradictis asseruntur aperti, sed creduntur sub conditione quadam aperiendi. Simili quoque ratione in confessione cœli aperiuntur.

CAPUT XXIX.

Cur in confessione cœli non dicuntur aperti, et de eorum apertione.

Cum igitur cœli dicantur aperti in baptisate, cur etiam id non dicitur in confessione, nisi ideo quod post confessionem restant fructus pœnitentiæ, post baptismum non restant? Merito igitur cœli dicuntur aperti in baptismo, quod ipsum, Scriptura duce, fieri creditur in martyrio; quippe in utroque præsto est regnum cœlorum. Et quamvis apertos cœlos mystice intelligamus, non tamen a vero dissentit, quod ita eos corporales oculi dissiluisse conspexerint, sicut inde Spiritum sanctum corporali specie descendere conspexerunt. Unde apud Marcum Dominus statim: *Ascendens de aqua vidit apertos cœlos et Spiritum tanquam columbam descendentem, et manentem in ipsa* (Marc., 1, 10). Et apud Joannem: *Testimonium perhibuit Joannes, dicens, quia: Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo et mansit super eum* (Joan., 1, 32). Quid est quod ascendens de aqua vidit apertos cœlos, nisi quod corporeis oculis apertio corporalis se tunc ingerebat, nam spiritalis apertio spiritalibus oculis et capitis, et membrorum præsto semper est. Quid item est quod ascendens de aqua vidit apertos cœlos? quid hoc insinuat; quod ascendens apertos cernit, nisi quod existenti in aqua apertio fiebat, quæ ascendenti de aqua jam facta apparebat? Quid sibi vult quod postquam cœli visi aperti pronuntiantur, post Spiritum de cœlo visum descendere supponitur, nisi quod apertionem descensio est subsequuta? ordo decens, ut antecedit apertio, unde visatur columbæ descensio: quam enim de cœlo constat descendisse, unde potius descenderet, quam ex apertione, cum id maxime conveniat mysterio? Id nimirum cœlum est aperi, indeque columbam venire, de supernis gratiam hominibus **162** dispensari, propter quam post hominem liceat cœlestibus interesse civibus. Cœli ergo aperiuntur, ut hæc columba super baptizatos descendat, reduxque eos januam per apertam in alta transvehat.

CAPUT XXX.

De confessione.

(241) Quoniam pactum baptismi subditi adhuc vanitati non servamus, secundum post naufragium nobis refugium constituitur confessio. Unde Propheta de Deo loquens ad nos sermonem dirigit instruendos: *Effundite coram illo corda vestra* (Psal. lxi, 9), id est confitemini peccata. Et sub eodem

(241) Magist., iv, dist. 14.

(242) V. Aug., ser. 19 De verb. Apost. circa finem.

A sensu item: *Revela Domino viam tuam* (Psal. xxxvi, 5). Sed ante confessionem, ubi virus vomitur ore, necesse est virus ipsum separari a corde. Quid est enim *effundite corda vestra*, nisi extra vos fundite quæ latent in conscientia? et quid est *extra vos fundite*, nisi ab intrinsecus ejecta extrinsecus annuntiate, juxta illud: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo?* (Psal. xxxvii, 19.) Nihil ergo valet confessio oris, nisi pretium sumat ex affectione mentis. Ante omnia ergo opus est ut malefacta confessurus ex malefactis ingemiscat, quoniam cor contritum et humiliatum Deus non despicit (Psal. l, 19). Quod si cordis contritio origo est correctionis, qui de noxa nondum dolet, aut, quod nequius est, de commissa gaudet; nondum quod nondum odit confitendo accusat; proprio de judicio se condemnat. Non enim confitetur adversum se injuriam suam Domino, quod faceret si quam confitetur, adversam voluntati sentiret. Sed qui vere gemit, ab his unde denuo gemat cessare disponit, juxta illud: *Peccasti, quiesce* (Eccli. xxi, 1). Nimirum gemitus ille sordet ante Deum, qui fœditatem antea deplorat, futuram exoptat. Non quod deploratio per se displiceat, sed quod ex adjuncto vigere non queat. Sic Judam satis superque pœnituit, sed pœnitentiam desperatio comes inquinavit, utrinque enim quod bonum esse poterat in proprio, contaminatur ex alieno; unde magnopere cavendum est, ne quis vitam correcturus, dum conscientiam fida discussione evertit, aliquid tale post se deserat, unde conscientiam perniciose premat. Nam qui in uno offendit (Jac., 11, 10), nolens inde emendari, reus est omnium, unde corde contrito se putabat liberatum: reus est omnium, quia propter unum quod retinet, cætera omnia quæ ipse dimittit, ipsi Deus non dimittit. Medico omne unde vult curari delictum suum cognitum facit, unam in qua ægrota- re mavult, injuriam abscondit, contra Prophetam: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injuriam meam non abscondi* (Psal. xxxi, 5). Hunc pro peccatis rogaturum, iniquitatem si aspexit in corde suo, non exaudiet Deus (Psal. lxxv, 18), ipse enim in *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordatur* (Ezech., xviii, 22).

CAPUT XXXI.

Qualiter et quibus peccata condonentur

Cum ergo scelerum veniam dat, non aliqua, imo omnia condonat, nam quem omnium pœnitet, peccato jam sibi Deo, omnium veniam obtinet: qui autem vel in uno impœnitens perseverat, ab irato munera Deo, reconciliatis potius danda, non impetrat.

Sed pœnitentiam plerumque parit timor in illo qui timet ardere, non peccare. Vir (242) certe malus, quoniam vir bonus plus horret culpam quam gehennam. Ille prævidens pœnam reprimit culpam; si (243) impune liceret, repressam exerceret. Nec

(243) Qui timendo non facit male, mallet facere, si liceret.

potest bonus esse, quisquis illicita vellet si auderet. A (244). Quodam enim modo id cujusque voluntas affectat, quidquid solum ex necessitate recusat. Nam quod coactus facis, id te facere verum est, id te velle falsum est. Voluntas nimirum universum supergressa violentiam, jus propriae libertatis intactum defendens, servitute[m] **163** corporis grassator [forte, grassatoris] opponit injuriis. Qui ergo ex timore pœnitet, adhuc est servus, quoniam flagra formidat; nondum filius qui patrem amans sperat hæreditatem. Servus autem de habitaculo Saræ eicitur, quippe hæres non futurus (*Gen. xxi, 19*). Quamobrem quisquis dum pœnitet, solum timore angitur, nondum per pœnitentiam veniam meretur. Verum qui largitur timorem ut ex timore pœnitendi necessitatem incutiat, is cum pœnitentia largietur B amorem, ut sit pœnitens venia dignus; tantum initio sapientiæ præventus largitori suo prout decet gratus existat. Ut quid enim timor Domini initium sapientiæ nuncupatur, nisi quia quisquis debitis officiis timorem Domini amplexatus, consequenter sapientia, quam incomitatam charitas non deserit, pristinam triumphaturus conversationem, divina miseratione præarmabitur, nimirum et lamenta pœnitentiæ, et operum claritas, tanquam insipida respuuntur, nisi charitas utrique rei condimentum beneplaciti administret. Unde Apostolus charitatem non habenti nihil putat si præcellat scientia, si corpus suum anxietati tradat, si facultates suas in usus pauperum distribuat (*I Cor., xiii, 3*). Unde nobis innotuisse voluit omne illud fore C Deo ingratum, quod quantumlibet fulgere visatur, ideo sordet quoniam charitate non conditur.

Sed qui diligit iniquitatem odit animam suam (*Psal. x, 9*), qui vero animam suam odit, is profecto charitatem nec habet, quam si haberet, animam suam amaret utique. Nimirum recte diligere, id demum eo animam suam amaret. Qui ergo diligit iniquitatem, jam non habet charitatem, sed quod extra charitatem fit, prodesse nequit; quare, dum quis diligit iniquitatem, non id agit unde præmium ferat. Nimirum iniquitatem diligere, id utique est malam arborem esse: mala autem arbor non potest facere bonos fructus, sicut nec bona malos, quid ergo? qui vel unam iniquitatem diligit, nullum interim bonum facit.

At ipse est in oratione devotus, in jejunio sedulus, severissime apprehendit disciplinam; magno cum affectu impendit misericordiam, solam libidine vexatus maculam trahit. Quoniam ergo propter unum vitium quis mala arbor est, nec mala arbor bonos fructus facere potest. Quid dicemus? Num ubi est unum vitium nullum est bonum? Quis hoc astruere conetur, cum aliter esse et ratio consulta discernat, et experimenti declaratio convincat? Constat virum justum saltem venialiter delinquere; cur

non etiam constet virum iniquum in multis bene agere? Quare ubi unum est malum, non ideo omnia ibi sunt mala, sicut nec ubi unum est bonum, omnia statim sunt bona. Sed plerumque sunt et bona inserta malis, et mala bonis.

Bona tamen et mala aliter et aliter pensantur, dum attendimus quid in natura sunt, aut quid in efficacia possunt. Virtus et vitium, si utriusque naturam consideras, nec illa unquam esse bona desinit, et istud semper malum existit. Sin vero utriusque rei vires metiris, tunc vera ratione unumquodque bonum est, cum illum in quo est virum aut bonum, aut meliorem efficit, dignum jam gloria. Econtra illud rite malum putes unde quisquis malus fit, aut in malo crescit, merito multandus pœna. Cum vero virtus quælibet seu vitium proprietate virium destituitur, jam illa nec bona est, quoniam nihil prodest; nec mala, quoniam nihil obest. Istud vero pari ratione, nec natura utitur ut noceat; nec contra naturam id fieri potest ut valeat.

CAPUT XXXII.

Ut bona nulla nocent, sic mala nulla juvant.

Notandum tamen quod videntur nocere bona, cum quis inde extollitur, et prodesse mala cum quis inde humiliatur: nunquam tamen vera ratione nocet bonum, nocet autem semper vitium, vitio hominis ex bono natum. Sic econtrario quod iniquum est, nunquam prodesse potest; verum Spiritus Domini qui omnia cooperatur in bonum, **164** ex malo bonum educit. Sola charitas ea virtus est quæ virum bonum creat. Charitatis pro initio, aliarum quoque virtutum accessio [forte, accessu], jam natam bonitatem accumulatur, scientia Scripturarum per omnia præstante ducatur. Dum regnat charitas, vitium quidem in homine est, sed sine viribus est; illud quippe solum interim admittitur, quod aut ex fomite peccati invincibile germen erumpit, quam propassionem aiunt (contra hujusmodi remediatur baptisma, juxta illud: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*) (*Psal. xxxi, 2*), aut veniale est; sine quo non vivitur. Contra hujusmodi quotidiana mala, quotidiana sunt bona, ut elemosyna, oratio, confessio, juxta illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra ut salvemini* (*Jac. v, 16*). Invisibilia minus sunt mala, quoniam caveri et vinci in hac vita non possunt (245). Hæc omnia cum fomite, unde quasi ex mala radice pullulant, ante lavacrum, sicut de concupiscentia perhibet Augustinus, ad damnationem trahunt, in baptismo a reatu solvuntur, post baptismum ad agonem relinquuntur.

CAPUT XXXIII.

De concupiscentia, veniali peccato, et invincibili.

Concupiscentia ergo quoniam ipsa invincibilis est, cum tota germinatione sua, quoniam ea quoque vinci non potest, post baptismum derelicta in bap-

(244) August., in psal. xxxii, medio. Aug., ser. 15 De verbis Apostoli

(245) Lib. ii De peccat. meritis, c. 4; lib. i De nupt. et conc., cap. 25; lib. vi, contra Julian., cap. 19.

tismo excusatur. Venialia autem quoniam quodammodo vitari possunt, non (more invincibilium) cum fiunt absque reatu sunt; sed veniam satisfactione, levi tamen, exspectant. Venialia autem, sive invincibilia sicut et criminabilia, ortum sortiuntur in mente. Singula autem tria nominibus suis servatis increseunt, quotiescunque prout suadet natura, corporis sibi membra infectant. Humana nimirum corruptio varios menti ingerit motus; mens mota eadem varietate tabefacit corpus. Singulis in peccatis quiddam invincibile est, primus videlicet motus, quem aut suggestio diaboli, aut fomes peccati occasione oblata suscitatur quiddam veniale, idem videlicet motus, quem jam quadam cum mora delectatio tractat et amplexatur. Delectatio cui ratio dissentiat, nec tamen exstinguat, delectationis modum excedit, flagitioque proxima est, quoties eo usque vagatur, ut an agendum sit quod suggerit deliberetur. Discussio inquirens quid sit bonum, quid vero malum probatur. Juxta illud: *Omnia probate* (I *Thess.* v, 21). Sed quod discussione pravum cernitur, inde deliberare fietne necne, merito accusatur, propter illud: *Quod bonum est tenete* (*ibid.*). Qui ita deliberat, jam non vivit, necdum mortuus est; quippe dum de utroque disceptat, utrum velit ignorat; neutrum enim adhuc vult. Nam si alterutri consentiret, deliberatio jam non foret, is animum nec avertit malo, nec advertit bono. Et quoniam utrumque novit, dubius tamen utrum daorum eligat, non mox malo præfert bonum, non statim spernit malum, veneratus bonum; sine dubio injustus est. Quamvis enim ei vitio unde deliberat, ratio nondum consenserit; attamen hujusmodi deliberationem statim non abominari, hujusmodi in deliberatione immorari, eique favere, plane est pravitati consentire. Nec putes illum quem affectus mali undique perterritant, licet quodammodo affectum, ideo affectibus præbere assensum: nam vir bonus affectionum procacitatem tolerat invitatus, quod non vult illud agens: qui enim pravo motui favet, ac per hoc fovet, is quamvis dissentiat actioni, ejus prævæ jam consentit radici, factus utique malus, quoniam amat malum. Is si pravi motus impetum mox oppressisset, sine vulnere de hoste triumphasset. Nam quoties quisque assultus patitur vitiorum, toties numero si viriliter resistit triumphator existit, tot acquirens coronas quot victorias. Econtra pravum adversus motum quanto quisque mollius se habet, tantumdem confusionis obtinet. Veruntamen quisquis Deo defensus ab amore vitii voluntateque peccandi se abstinet, dicens cum Apostolo: *Quod nolo id ago* (*Rom.* vii, 20), suisque demum a finibus, gratia confortante adjutus, invisum propulsat languorem, tropæum diu optatum vix quidem, at tandem adipiscitur. Et hæc quidem sunt propassiones quæ, dum citra consensum sunt, veniales sunt. Ex quo enim assensus adhibetur, damnabile fit quod admittitur. Est autem consensus, quoties aut

(216) Magister, iv, d. 15, § 5.

voluptate, aut amaricatione incitati, sive per deliberationem, sive per impetum, pravitati acquiescimus, non jam libidinem animi reprimentes, sed frena laxantes, ut voluntas jam nihil desit malitiæ, licet aliquando frustretur effectione; idque est quod virum aut malum creat, aut in malo cumulat. Homo dum talis est, mala arbor est, quæ bonos fructus non facit. Interim tamen plerumque multa agit quæ si secundum naturam attendas, bona utique sunt; si secundum effectum, jam non sunt. Nimirum vicinia mali bona enervantur: *Quippe modicum fermenti totam massam corrumpit* (I *Cor.* v, 7), donec pœnitentia succurrat, ut ea quæ mortua fuerant, reviviscant.

CAPUT XXXIV.

De bonis mortuis, et malis mortuis.

(216) Bona ergo dum sunt corrupta, imo mortua, quid prosunt? profecto jam nec vere bona, nec boni fructus dicenda sunt; quoniam virum bonum, bonamve arborem, nec creant, nec cumulant, nec præmio digna sunt, quoniam juxta Apostolum nihil prosunt (I *Cor.* xiii, 3). Homo ergo nec malus, propter bona sua est bonus; nec bonus propter mala sua est malus: atque ideo expressæ locutionis sectator, nec illa dignabitur nuncupare bona, nec ista mala, quoniam moribus suis cassa a nativo vigore degenerant. Nimirum quæ per se regnarent, fortiori superveniente, torpentia subjacent. Recte Dominus quibusdam ait: *Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?* (*Matth.* xii, 34), nam qui mali sunt, nec bona loqui possunt. Sic mala arbor non potest facere bonos fructus, quoniam *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* xlii, 4). Nemo enim facit bonum, donec accesserit ad unum, id est Deum; sic bona arbor non potest facere malos fructus. Potest fortasse arbor bona fieri mala, quoniam contra mala arbor fit bona; sed neutra arbor alterius usurpat fructus.

Humano forsitan sensui aliter videatur; verum qui non fallitur Deus, iniquitatem si aspexit in corde, ipsum cor corruptum judicat, atque ideo quidquid in depravato corde continetur, aut inde extrinsecus profunditur, id quoque quantumlibet in natura sua excellat, divinum examen vel unam propter maculam cordi hærentem corruptum decernit. Sic quoties Pilatus sanguinem Galilæorum miscet cum sacrificiis eorum (*Luc.* xiii, 1), eorum Dominus reprobatur libamen. Quid est hoc? Pilatus, qui *os malleatoris* interpretatur, diabolus est, qui est malleus universæ terræ, vasa figuli probans. Galilæi transmigratores exponuntur, hi sunt Christiani, quorum est propositum ab incolatu hujus vitæ in regnum futuræ transmigrare. Sanguis, qui quasi ex latibulis erumpens inquinat et debilitat, concupiscentia est, quæ, dum ad usque consensum prosilit, spiritum foedit et labefacit. Sacrificium opus est bonum.

Sed si bona quæ a malis fiunt, mortua sunt, et quoniam charitas deest, nihil prosunt, quid est

quod nullum bonum irremuneratum perhibetur, unde diviti jam damnato dicitur: *Recepisti bona in vita tua?* (*Luc. xvi, 25.*) Sed iniquus et deliciosus dives, quid tale in vita facere potuit, cui compensatio præmii deberetur? quomodo bona pravorum mortua, nihilque proficientia asseruntur, si vel hac in vita remunerantur? num dicemus ea mortua, nihilque prodesse post hanc vitam, eadem vivere atque prodesse in hac vita? unde: *Recepisti bona in vita tua.* Ad quod fortasse pertinet, quod obstetricibus Ægyptiis quæ timore Dei contra præceptum Pharaonis mares servaverunt, quæ etiam postea timore mortis Regi mentitæ sunt, benefecit Deus (247). Et quia timuerunt Deum ædificavit illis domos (*Exod. i, 21*), id est aliquas rei familiaris idoneas facultates

166 CAPUT XXXV.

Unde quædam mala, et utrum vere mortua prosint bona.

(248) Exilia ergo atque corrupta bona, num brevi atque mala in vita dicemus valere, vera autem bona vera in vita? Nulla tamen ratione bona sunt, quæ nulla aut mala de intentione prodeunt: bona fortasse apparent, sed aut absque intentione bona non sunt, aut malam per intentionem mala fiunt: affectus enim tuus operi tuo nomen imponit. Unde Dominus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosus erit* (*Matth. vi, 22*). Quare quoties intentio mala est, opus ejus, licet bonum videatur, ipsum quoque malum est. Similiter ex luce intentionis, lux procreatur operationis. Nam quod revera male fit, id non intentio bona, sed boni similitudine delusa, nonnunquam parturit. Est plerumque intentio bona, sed adjacente malo corrupta producit fructum utique non malum, quoniam ipsa est bona, sed nec quidem bonum, quoniam est corrupta. Tali de intentione ait Dominus: *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint* (*ibid.*): scilicet ne intentio ex natura lucens per accidens tenebrescat.

Sed nec prodesse nihil, nec vere mortua videntur quæ iniqui faciunt bona, si irremunerata quoquo modo relinqui non debent. Sed fugitivus cruce dignus reducem dum non habet animum, quid gratum Domino suo aget? quis pro eo quod non habet gratum rependit donum? Nam *victimæ impiorum abominabiles Domino* (*Prov. xv, 8*). Unde Isaias Dominum impiis inducit loquentem ita: *Si extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; si multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plene sunt* (*Isa. i, 15*), quippe quoniam manus sunt sanguineæ, id est operationes flagitiosæ, etiam extentæ manus, id est opera per intentionem directa, displicent. Nisi quis asserere malit manus extentas ob hoc displicere, quoniam sunt sanguineæ, easque victimas impiorum fore abominabiles Domino. Sed nec victimarum nuncupatio, nec extensio

manuum, imo rectius contractio, sordidæ actionibus videtur assignanda.

Dicemusne igitur divitem illum et finaliter malum (unde *sepultus est in infernum*) et ad tempus antea exstitisse bonum; unde: *Recepisti bona in vita tua* (*Luc. xvi, 25*), et ita justorum non solum in bono perseverantium, verum et eorum quorum charitas refrigescit nullum bonum irremuneratum esse? Perseverantiæ fit recompensatio et nunc et in futuro, quoniam, Apostolo teste: *Pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ* (*I Tim. iv, 8*). Unde Salomon: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant. ii, 6*); quasi diceret: Temporalia Dei beneficia supernis intentam mentem confortant, æterna autem totum hominem undique munitum reddent. Qui autem ad tempus bene agit, ad tempus et donatur, is nihil speret in futuro; nam infernus quo properat, nulli pensat præmium, nec cœlestis mansio supplicium, unde cruciandus cerruit diabolus. Nimirum dives flamma cruciatus, stilla saltem exoptans refrigerari, audit apud inferos non solum munera negari, verum nec pœnas per merita mitigari, dum dicitur: *Recepisti bona in vita tua.* Nam si quominus ex antea bonis apud inferos torqueretur, quodammodo recepisset bona post vitam suam. Sed mandatis resistentem ab inferis negat Dominus exiturum, donec reddat novissimum minutum, id est minimum peccatum; quasi diceret: Tunc de inferno exilis, quando pœnas vel minimo peccato debitas persolveris. Quare quem constat nunquam exiturum, constet quoque nunquam debita persolaturum. Culpis ergo quas hinc secum impœnitens portat, nec minimis apud inferos per vitæ bona veniam sperat, nimirum impœnitentia sicut veniam tollit, ita pœnam temperari haud sinit. Unde dicitur in Ezechiele: *Si conversus 167 justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem, in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit* (*Ezech. iii, 20*). Cur postquam dixit *in peccato suo morietur*, mox subjecit, *et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit*, nisi quia ei qui justus aliquando exstiterat, si in peccato mori contigerit, nihil postea proderunt justitiæ quæ ante exstiterunt? Ergo si quid prosunt, in vita prosunt. Quomodo tamen in vita prosunt? Nam si sequentia mala anterioribus bonis infecunditatem important, ut nihii prosint post mortem, quomodo juvabunt viventem? teste enim Gregorio, postquam justus a justitia deficit, et iniquitatem facit, statim justitia ejus vertitur in oblivionem, nec differtur usque post mortem. Unde tota cujusque justitia tunc videtur fieri infructuosa, quando bene gestis scelera superveniunt, ut extunc non sint in memoria justitiæ ejus quas fecit, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi forte mortua per pœnitentiam reviviscant.

Quidquid ergo respicientibus retro, ac deinde in malitia perseverantibus prosunt, dum boni sunt,

(247) August., contra Mend., c. 15.

(248) Magister, ubi sup.

prosunt. Potest enim fieri ut interim vel temporali-
liter munerentur qui perseverantes et æternaliter
damnantur. Quod si justitiam justis, sed deficientes,
oblivioni iudex post mortem tradit; quanto ma-
gis bona in justorum? Gregorius super illum locum
(249) : *Non erunt in memoria justitiæ ejus, ita ait :
Hoc nobis maxime considerandum est, quia cum mala
committimus, sine causa ad memoriam bona transacta
revocamus, quoniam in perpetracione malorum, nulla
debet esse fiducia præteritorum bonorum. Quam-
obrem supervenientia mala præterita extinguunt
bona. Nimia ergo vis mali, quoniam tanquam pes-
simum fermentum non solum quæ fiunt, sed et quæ
antea præcedunt bona corrumpit, ac mortua reddit,
nec reviviscent, nisi per pœnitentiam fermentum
ipsum, unde origo mali est, diluatur. Dives ergo
qualiscunque aliquando præcessisset, in fide tan-
dem malus, qua ratione bona in vita recepit? Sed
fortasse dum bonus exstitit, pro bonis suis bene sibi
fuit, aut si malus semper mansit, docetur apud infe-
ros malis nunquam bene esse, in hoc sæculo plerum-
que; sicut e contra bonis nunc male est ut Lazaro,
bene autem erit in futuro. Obstetrices quoque for-
san ante mendacium receperunt præmium (*Exod.*
1, 20), aut si, ut litteræ series exigit, id post factum
est; dispensatio divina malis supervenientibus inte-
rim nequaquam respondere curavit, potius beneficio
lectores ad opera misericordiæ provocare studuit.
Nullum ergo bonum (vero tantum nomine sit bo-
num, id est quod nec dum sit per præsentem, nec
postquam factum est per subsequentem contamine-
tur malitiam, aut si ita contigit fœdari, contigerit
quoque per satisfactionem mundari) nullum, in-
quam, bonum si hujusmodi est, irremuneratum est*

CAPUT XXXVI.

De remunerationibus et meritis.

Sunt autem quædam bona quæ solum remunera-
tiones sunt, ut æterna non parvulis, sed adultis ex-
hibita; sunt alia quæ solum munera sunt, ut divi-
tiæ cum reliquis corporum commodis, quando exhibentur
immeritis. Timor quoque gehennæ cum cæ-
teris, quæ ut a malitia exeatur ideo a Deo donantur.
Inter hæc duo gratiarum genera medium tenent me-
rita locum. Atque hæc quidem ea bona sunt, unde
dicitur : *Nullum bonum irremuneratum.* Quædam
enim prima dat Deus bona, quibus quasi suppli-
cando ad id reus ascendat ut Deo reconcilietur, re-
conciliatus, Deo cooperante, id agit, unde debeat
præmio donari. Merita ergo recte inter utraque col-
locantur, quoniam muneribus ad meritum, merito
venitur ad præmium; meritum quoque Dei semper
est donum, nonnunquam autem et præmium. Sed
oculus rationis inter beneficia distinguat auctoris.

168 CAPUT XXXVII.

Quod justus possit cadere

(250) Notandum autem quod possit justus cadere.

(249) Hom. 11. in Ezech.

(250) Magister, *Sent.*, l. III, dist. 31.

A Unde in Ezechiele duo justis reperiuntur, unus qui,
quia doctorem non audivit, periit; alter qui, quia
audivit, vivens vixit (*Ezech.* III, 18). Sed nemo jus-
tus est nisi per charitatem. Charitatem ergo habens
cedit; aliquando autem perit; quomodo? quoniam
charitatem amittit. Unde Dominus : *Refrigescet cha-
ritas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Sed qui charita-
tem habuit si perit? omnis autem periens a condi-
tione supernæ Jerusalem alienus est. Quomodo
charitas fons est in quo alienus non communicat?
(*Prov.* V, 17.) Sed qui perit, charitatem perdit. Quo-
modo ait Apostolus : *Charitas nunquam excidit?* (*I
Cor.* XIII, 8) (251). Sed alia habere, et malus nihilo-
minus esse potes. Charitatem autem habere et ma-
lus esse non potes. Itaque *Fons est in quo alienus
non communicat* : dum enim charitate quis illustra-
tur, concivis Jerusalem non negatur.

Sed quid illud sibi vult apostolicum : *Ex nobis
prodierunt, sed non erant ex nobis?* (*I Joan.* II, 19.)
Sed si providentiam cujus est exitus rerum pensare
consideras, mali perditique homines nec de consor-
tio sanctorum unquam fuerunt, nec inde, nimirum
ubi nunquam fuerunt, unquam exierunt. Quod si
quid iudicium sentiat attendis, cujus discussio præ-
sentia tantum examinat; unde : *ubi te invenero, ibi
te iudicabo.* Jam profecto de bonis esse, et a bonis
exire mali nonnunquam cernuntur, modo inscripti,
modo de libro viventium deleti.

CAPUT XXXVIII.

De providentia, iudicio et charitate.

(252) Ergo quem alienum providentia iudicat,
eum plerumque non alienum sententia iudicii pro-
bat. Apostolus fortasse, quoniam fides atque spes,
aliaque complura hoc in sæculo pretiosa, post hanc
vitam evacuantur, in præconium charitatis ait :
Charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8); quippe
nunc inchoatur, in futuro consummatur. Non enim
id ita intelligi voluit, ut semel habita nunquam recedat,
sed ut hic nata in futurum usque sæculum se
extendat. Licet tamen non absurde intelligi quod cha-
ritas circa bene vivendi primordia quamdam soleat
obtinere teneritatem, jam quidem digna cœlo, gravi
tamen nondum idonea bello, aut tentationis, aut per-
secutionis : hæc est de qua Dominus ait : *Refrige-
scet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Qui per
hanc ductus est, plerumque cadit et perit. Hic est
qui a bonis exit a regno alienus.

Ex quo autem charitas maturitatem nacta est, et
sive serius, sive ocius robur soliditatis adepta est,
jam *fons est in quo alienus non communicat* (*Matth.*
VII, 25). Qui hanc habet fundatus est supra firmam
petram : irruant ergo venti, irruant flumina, non
movebitur domus illa : quare? quoniam munitur
charitate quæ nunquam excidit. Unde charitas hoc
etiam in sæculo illum videtur emereri gradum, quem
quisquis vel semel attigerit, nunquam postea cri-
minaliter delinquit, neque perit : quoniam enim

(251) August., tract. 6 in *Ep. Joan.*

(252) Magister supra.

Charitas non agit perperam (1 Cor. XIII, 4), qui semper perseverat in charitate, nunquam male agit. Quippe si sponte peccaret, charitatem, cujus non est excidere, fugaret. Quis ergo est qui charitatem interdum non vulneret, aut potius enecet, quoniam aut nullus est, aut nimis rarus, ratio cujus semper pravitati resistat, et non persæpe consentiat.

CAPUT XXXIX.

De perfecta charitate.

(253) Quamobrem charitas illa quæ nunquam excidit, quæ non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt (*ibid.*), et cætera quæ Apostolus annumerat, perpaucorum est, et fortasse inter religiosiores religiosissimorum. Nisi forte **169** quis tenere malit, quod charitas etiam matura plerumque quidem cadat, non tamen excidat. Cadit quoniam plerumque abscedit, non excidit, quoniam semper reditura abit. Ex quo autem abiit, jam non ipsa; verum abitus ejus perperam agit, quærit quæ sua sunt, similiaque admittit. Unde David, atque Salomonem, Petrum quoque, quos jam illum charitatis gradum apprehendisse nefas credere non est, sed nec fas indubitanter affirmare, constat viros optimos pessime deliquisse.

Sed charitatem Quæ vitio pulsata fugit, quoniam ea erat quæ vel semel habita, postea hominem perire non sinit, quamdam post se sui credibile est deliquisse radicem, unde reorum conscientia puncta atque repuncta, quietem haud unquam permittat, donec sua de radice charitas per gratiam pullulans inquietum refoverit. Quisquis ergo charitatis assecutus est firmitatem, licet ab ea plerumque dissiliat, quoniam ad eandem semper resilit, alienus non est; quippe super firmam petram fundatus, nec afflatu ventorum, nec ab incursu fluminum dejicietur: impellitur quidem persæpe, et vento tentationum, et flumine oblectamentorum, ut titubet, sed nunquam movetur ut corruat, quoniam *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Matth. XVI, 18). Valent quidem in multis ut nostram recognoscamus fragilitatem, sed non prævalent ut Dei magnificemus bonitatem. Prævalerent, si qui cecidit non resurgeret. De hujusmodi charitate ita habetur in Canticis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (Cant. VIII, 7). (254) Nominine charitatis, non de tenera agitur, sed matura, quam tentatio major vel minor debilitare potest, omnino eradicare non potest. Usque eo tamen nonnunquam debilitari videtur, ut si interim quempiam contigerit mori, contingat quoque damnari. Verum charitatis illud aiunt esse meritum ex maturitate, ut suos mori non sinat in crimine.

CAPUT XL.

De damnabilibus, et consensu, et negligentia

Sed ad illa redeamus peccata, quæ post invinci

(253) Magister supra.

(254) Magist. III, *Sent.*, dist. 31.

(255) Magist., ut infra.

(256) Aug. ser. Dom. in monte I. I., c. 12, et ser.

abilia atque venialia, tertio gradu appellavimus damnabilia. Horum quædam clauduntur in mente, imputabilia propter consensum. Consensus autem majoris est culpæ, quam negligentia, quoniam consensus id vult quod est malum, negligentia autem non providet malum. Et est longe corruptius mala velle, quam per incuriam ignorare. Negligentia tamen quæ per consensum subaudiri solet, quasi consensus fieret, et in malum opus prodiret, redarguitur, quoties per eam in id noxa incidimus, quod adhibita diligentia præcavisse poteramus (255). Sed, sicut in vitio minor est negligentia, quam consensus; ita consensionis operibus merito minus accusatur negligentia opus (256). Sed consensio et incuria dum in opus pravum non prorumpunt, hæc mors est in domo; quando vero feras ad actum usque ebulliunt, hæc est mors in porta; quando vero ab actu usque ad consuetudinem quæ exemplo nocent protenduntur, sit mortuus jam more Lazari fetidus.

CAPUT XLI.

De negligentia, et vi mortis.

(257) Dixi negligentiam mortem esse etiam cum actum noxium non parit; quoniam quisquis intelligentius se habens committit unde scandalum quantum in se est oritur, licet in actu non oriatur, is merito reus convincitur. Mortuum primum suscitatur Jesus in privato et sine difficultate: secundum in porta, id est in publico, quantulacunque cum mora, quasi aliqua cum difficultate. Tertium multis astantibus magna cum mora, magna quoque quasi difficultate, de sepulchro redivivum vocat.

170 Loca observat Dominus modosque distinguit, certumque numerum non transit, videns hujusmodi non ingrata significationi. Nimirum primus mortuus in privato leviter a Christo suscitatur. A Christo, quoniam per te potes invincibilibus infirmari, venialibus morbo aggravari, tandem per consensum mori. Non per te, sed per suscitatore ad vitam potes redire. In privato fit suscitatio, quia privata non sunt publicanda, sed privatis remediis curanda, facileque remittitur quod in sola mente versatur. Secundum suscitatur Dominus mortuum in porta coram multis nonnulla cum mora, quoniam scelus a domo cordis in portam exsiliens operis, feriendum est pœna certe gravi, tanquam patratum in porta, graviori si coram multis. Tertio præstatur vita jam fetido, ubi mora, labor, atque lacrymæ exhibentur (258). Nam ubi fetore consuetudinis morbus trahitur pravæ imitationis, dupliciter in reum vindicandum est, et quoniam in se scelerate egit, et quoniam pusillos diutina fedaque conversatione, quantum in se est scandalizavit. Quoniam ergo gravissimam non præcavit offensam, gravissima animadversione, mora, labore, lacrymisque emendatur,

44. De verbis Domini.

(257) Mag. I. IV, dist. 16.

(258) August., ser. 44. De verbis Domini,

Et sicut qui occultam admittit offensam, occulto curatur remedio, ne medicina publica depublicet vulnus filii in dolorem matris Ecclesiae, dum alios insultare cernat, alios applaudere sibi, id in alio divizantes quod reperiunt in se; ita qui publice peccat, non privatim, sed publice poeniteat. Ut qui sanctam Ecclesiam aperto reatu vulneraverit, aperta satisfactione medeatur vulneratae.

Gradus autem satisfactionum gradum requirit culparum: unde mors prima tanquam reliquis levior levius curatur; secunda autem quoniam magis imputari debet quam prima, longe vero minus quam extrema, difficilius curatur quam prima, longe facilius quam extrema. Ille qui omnipotens est nullam omnino patiebatur difficultatem, ut aliter et aliter mortuos suscitaret, sed nostrorum volebat exprimere naturam defectuum, qui juxta gradus progressionum, duo suscipiunt, ut in reatu crescant, ut magis magisque nobis haereant. Unde circa primordia peccati, facilius est resipiscere, sed consuetudo dum fit, difficilius resipiscitur.

CAPUT XLII.

Cur quartum non suscitavit, et unde omnis culpa judicatur?

(259) Quartum mortuum suscitare Dominus noluit, quoniam servus quartum gradum peccandi non admittit. Nimirum culpa omnis post baptismum damnatione digna judicatur, aut consensu, aut opere, aut demum consuetudine. Culpa in consensu incipit, in processu vires acquirit, unde in testimonio Domini: *Qui irascitur fratri suo, quod est ex commotione fratri male velle, reus est iudicio; qui autem dixerit raca, quod est ex ira malae voluntatis in vocem indignationis prorumpere, reus erit concilio* (Matth. v, 22), quod est gravius iudicio: quippe iudicium est cum ad causam agendam concilio coit; concilium est, cum jam accusatione probata, de poena damnati disputatur. *Qui autem dixerit fatue*

(259) August., ser. 44. De verb. Domini.

(*ibid.*), quod aperta est contumelia, reus erit gehennae; quando jam discussam suscipit poenam. Latens ergo odium malum est; effrenatio indignationis inde nata, deterior; cum non parcitur probris id pessimum est; quod liquet, quoniam latens odium multatur iudicio; indignatio poena graviore, scilicet concilio; probrum, gravissima, scilicet gehenna.

Sed qui animum delinquendi habet, nec omnino habet, atque ideo ab actu pravo retardatur, plane minus offendit, quam qui ab animo prorumpit in opus. Verum qui totus haeret delicto, solaque necessitate praepeditur ab actu, quoniam quod pleno corde optat, solum ideo non facit, aut quia non potest, aut quia poenam formidat, quomodo apud Deum quem nullatenus reveretur (horret fortasse poenam; sed dum **171** justitiam odit, inhonorat iudicem) minus reus est contumacis pertinacia voluntatis, quam esset facto, quod ipsa proponit, ordinat, demum, quantum in se est, totum peragit? Jesus in uno patrefecit, quid de omnibus intelligi velit, dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, moechatus est eam in corde* (Matth. v, 28).

Hac edocti sententia astruimus perfectam voluntatem faciendi, reputari pro opere. Sed dum Dominus concupiscentem, affectuque in moechiam prono, volentem obligat moechiae cordis, quis decretam Domini transgressus illum astringet moechiae operis? Nam perfecta voluntas faciendi reputatur pro opere, ideo fortasse quod rea est tartari sicut opus, non tantum quantum opus. Vera Domini sententia est, quod ex corde exeunt furta, adulteria, homicidia, blasphemiae, caeteraque flagitia (Matth. xv, 19). Nam juxta naturam affectuum, qualitas pensatur actionum; quippe *bonus homo de bono thesauro profert bonum; sicut contra malus homo de malo thesauro profert malum* (Matth. xii, 36). Ergo extrinsecus bene et male agitur, sed de interiori bono aut malo nomea utrumque sibi sortitur.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De consideratione ante baptismum, et post.

(260) Notandum autem considerationem alteram et alteram esse ante baptismum, et post. Nam ante, delictum damnabile judicatur fomes ipse peccati cum suis sordidis fetibus: damnatur enim parvulus, quoniam naturalem habet concupiscentiam, quanto magis adultus, quoniam et concupiscentiam habet et concupiscit? Quare ante lavacrum fomes ipse peccati imputatur, imputantur quoque motus mali ex fomite nati, qui cum sint valde valdeque multi, multum multumque damnandis coacervant cruciatum. Sed post baptismum: *Beatus vir cui non*

(260) Aug., lib. ii. De peccat. meritis, c. 4, et alibi.

D imputavit Dominus peccatum (Psal. xxxi, 2): habet utique peccatum concupiscentiae et motuum, sed non imputatur, nisi ad consensum usque deviat; virtus enim baptismi id efficit, ut hujusmodi solum jam sint ad infirmitatem, quoniam prius erant et ad mortem. Hoc ergo non imputat Deus baptizatis ad damnationem, et imputat fortasse ad poenam. Et merito quae nomine mortis censentur, poena damnationis multantur, et quae nomine languoris, poena anxietatis; unde Apostolus postquam ait: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (Rom. vii, 25), **172-182** id est tantum venialia ago; subdidit: *Nihil nunc damnationis esse his qui*

non secundum carnem ambulant (Rom. VIII, 1); quoniam caventes crimina, committunt solum inevitabilia, a quibus dum damnationem solam tollit, pœnam forte concedit, damnationem nunc a levibus amputat, quoniam ea in paganismo damnabilia æstimat.

CAPUT II.

De prava voluntate, et ejus effectu, et ignorantia.

(261) Sed, sicut paulo ante dixi, bina se nobis bona aut mala ingerunt. Prima radicantur in cogitatione, altera ut opera fiant pullulant ex radice. Merito unum et alterum appello, quoniam idem esse non potest, id quod latet in cogitatione, quodque apparet in actione. Plane ergo peccatum unum est voluntas prava; est peccatum alterum, affectus ejus operatio inordinata: hæ enim sunt duæ mortes.

(262) Sed utrum culpabilis? Macula utique secunda; quippe cum prima sit plerumque semper cum altera, nam cum prima noxia sit ex se, secunda nihil nocet nisi ex altera: operatio enim quæ secundo succedit loco, quantumcunque horrenda videatur, sine culpa est, si animus insons est: nam si cor est mundum, *beati mundo corde* (Matth. v, 8), quoniam tali ex corde flagitia non exeunt. Utique quæ foris apparent, plerumque flagitia videntur, non tamen sunt, quoniam ex corde non exeunt. Si enim vere scelera essent, juxta sententiam Domini ex corde exissent.

Animus maculam trahit, quoties aut contra conscientiam illicitæ rei consentit, aut per incuriam nescius minime resistit, de hoc dicitur: *Ignorans ignorabitur* (I Cor. XIV, 58). Qui enim ita ignorat, ut ex ignorantia non sit reus, quoniam eam nec negligentia procreavit, nec pravitas vitæ promeruit. Is ex eo quod ignorans, aut facit, aut dimittit, reatum nequaquam trahit. Sicut contra qui bene facit et nescit, præmio indignus æstimatur. Homines atque bestię pleraque admittunt eadem, quæ in hominibus criminalia, in bestiis naturalia nominantur. Quare? ira, et concupiscentia; has absque ducatu rationis in præceptis trahunt; nec culpantur, quoniam discretionem carent. Illi accusandi sunt, quoniam contra conscientiam agunt, aut si ita non est, per culpam nesciunt, quod scisse potuerunt. Unde Dominus: *Ille servus qui cognovit voluntatem Domini, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis* (Luc. XII, 47). Quid est autem quod non cognovit, tamen fecit digna plagis, nisi quia ex culpa ignoravit, et ideo ignorans fecit digna plagis? nam qui ex natura et creatione ignorat, sine culpa atque gratia videtur esse, in eo quod ignoranter patrat. Unde homines Christi gratia regenerati, quos natura sensu intelligentiæ privavit (aliter enim sese res habet in eo qui sensum aliquando habuit, sed vitio suo amisit), quasi modo

geniti infantes videntur, quos certa salus qualem baptisma exigit, exspectat, neque augmentata per meritum, neque diminuenda per vitium, licet more pecorum multa utique fœda, multa quoque crudelia ira concupiscentiaque stimulati committant. Hi si baptizati non fuissent, et hujusmodi culpam haberent, verum mali eorum motus et actus non imputarentur, quoniam ut bestię sensu carent.

Sed si concupiscentia nocet et innatis, cur non potius natis et adultis, licet male sanis? quod si amentes ante lavacrum gehennæ addicit concupiscentia, quanto magis ejus motus ipsa pejores, actus quoque nequiores. Sed hujusmodi licet grandiusculi ætate, tamen quoniam parvuli sensibus permanent, fere parvulorum subeunt judicium: in ejusmodi exim sive lotis, sive etiam illotis, alterius aut beneficium attendo, aut maleficium, quoniam actualia ac propria bona sive mala apud eos invenire nescio; quippe thesaurum conscientię non habent, unde bonus homo profert **183** bonum, malus malum. Hi nimirum nec boni nec mali sunt ex sese, et tamen id sunt aliunde.

CAPUT III.

Utrum minus peritis minus imputetur.

Post lavacrum ergo si hominibus omnino brutis nihil imputatur, quoniam nihil utuntur ratione, nonne minus peritis minus suæ imputantur noxæ, quoniam minus utuntur ratione? Et, sicut naturalis ignorantia brutos per omnia excusat, quoniam omnia ignorant; nonne eadem alios quoque excusat ubicunque naturaliter ignorant, ut quidquid in quocunque naturalis ignorantia occultat, id factum aut infectum, nec prosit nec noceat. Ignorantia enim quam incuria aut culpa infundit, in eo quod agitur veniam petat, dicens Deo: *Ignorantias meas ne memineris* (Psal. XXIV, 7), nimirum ignorantia nostra, effectusque ejus uterque culpandus est. Ignorantia naturæ effectusque ejus uterque dolendus est; ipsa enim quædam in fide moribusque subtilia, Dominicæ videlicet passionis fragmenta celat simplicibus, grossiori alimento pascendis, reservanda perfectis; unde simpliciter turba minus valet in fide, laxius se habet in opere: sed dum viribus sibi datis fideliter utitur, si quod nescit non præcavet, expers culpæ videtur; in eo utique facto in quo ab intelligente criminaliter delinqueretur. Dominus enim ait: *Omni cui multum datum est, multam quæretur ab eo* (Luc. XII, 48). Generale sine dubio mandatum, non solum de scientia: verum etiam de virtutibus atque pecunia, omni demum de commodo hominis, tam interioris quam exterioris.

Sed si cui multum datum est, multum quæretur ab eo, nonne cui minus datum est, minus quoque quæretur ab eo? Nonne tandem cui aliqua in re nihil datum est, eadem de re nihil quæretur ab eo? Si tamen sua culpa non est, quod sibi nihil datum

(261) Magist., II, dist. 42.

(262) Confer caput 49 hujus partis, et notas ad ipsum.

est? Itaque certa res videtur eum minime accusandum cui pecunia data non est, quod eam non dederit; cui salus virtusque corporis exhibita non est, quod more sani robustique viri in agone non contenderit. Cui ergo auctor per omnia sensum negavit, num requireret quod morem sensati excessit? aut qui aliquo in negotio, consilio providentiæ naturaliter destituitur, num quoniam sibi minime præcavet, præcipue Christianus, tanquam noxius arguetur?

CAPUT IV.

Quod Judæi et gentiles non excusantur.

Judæi excusationem non habent in peccato suo, quo in Christum non credunt, quia ad eos venit; ergo gentiles habent, quibus de eo nihil annuntiatum est. Sed quomodo excusationem habent? Num quod in Christum non credunt peccatum est eis, quomodo et Judæis, sed in peccato suo excusationem habent, et Judæi non habent? Sed levia peccata, verbi gratia, baptizatis et conjugatis præcedentium virtute sacramentorum excusari solent, ut non imputentur. Sed ubi nullum est remedium, præsertim in tenebris gentium, quod vere delinquitur, quomodo excusatur? num apud fideles remedia culpam excusant, apud infideles id excusatur quod culpa non est, sed putatur? Verum quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr. 11, 6*), anne inde gentes Deo displicent quoniam fidem non habent? utique non placent, quoniam justus non sunt, nimirum sine fide justus esse non possunt. Imo displicent, quoniam *qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom. 11, 12*). Non possunt non peccare quia munimen non habent ex fide, quippe *hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra* (*I Joan. 4, 5*). Igitur non placent quia justus non sunt, et displicent quia peccaverunt; non fortasse quia in Christum non credunt. Nimirum licet sine fide contingat displicere, potest tamen id non inde fieri, sed aliunde. Ergo si inconjugatus, dum generat filium, offendit Deum, non tamen quoniam generat, verum quoniam stuprat; num similiter quispiam qui est sine fide, Deo minime placet; et tamen non quia non credit, verum quoniam **184** non credendo contra conscientiam male vivit. Quod si in Christum non credere nulla culpa est, quibus de eo nihil intimatum est, quoniam id per se intelligi nullatenus potest, nonne quidquid similiter latet absque culpa esse debet? Si qua ergo culpa eo modo ignoratur, ac per hoc minime evitatur, num reatus faciendo contrahitur? Sic qui Christum absque culpa ignorat, quæ culpa est si debitum obsequiis non honorat?

Siccine igitur hujusmodi imperitos, et apud gentes ab idololatria, et apud omnes quantævis a reatu maculæ absolvimus, ut quibuscunque quantacunque flagitia nequaquam imputentur, quoties ea, nec alio intimante norunt, nec per se (quippe sensu pusilli) novisse queant; ex aliis tamen quibus conscientia rea tenetur iudicium subituri? Hoc si quis

A affirmaverit, non tam ab humano sensu, quam a sententia consueta discordabit, quam si quis tenere maluerit, aut dicet aliter se habere ignorantiam, qua nec Christus creditur, nec debitis modis honoratur. Aliter illam qua crimina admittuntur, ut altera non credentem defendat, altera delinquentem decipiat.

Sed qui ita dicit, cur ita dicat ratione ostendat, aut hac aut alia. Sensum humanum si depravari non contigisset, id omnino caperet quod religioni conveniret, atque ideo viribus destitutus, dum sordes coacervat, merito redarguitur. Verumtamen etsi primariam proponas reverti puritatem, non tamen *mysterium absconditum a sæculis* (*Coloss. 1, 26*), absque revelatione valebit comprehendere; atque ideo fides incarnationis sine culpa ignoratur, dum nihil inde auditur. Aut demum parem utrinque statuet rationem, ut hinc ignorans ignoretur, inde qui non credit, jam iudicatus sit.

Sed quomodo tunc præ Judæis excusatur gentilis? num id est excusari quod culpam minus imputari, ut quia non credit damnetur paganus, amplius vero Judæus, usque adeo ut, collatione facta inter ambos, gentilis peccatum non habeat, et peccatum Judæus habeat?

Sed quod malum sciri nequit, atque ideo contra conscientiam non sit cum ex corde exeant furta, homicidia, cæteraque punienda, qua ratione arguitur? num et hoc ratio habet, sed inter occulta Filii latet? num sicut omni tempore alias ex auditu, alias ex instinctu misericorditer illustrat fide, fideique merito data notitia valentium ad salutem, valentium ad damnationem, spoliat pravo, ornat honesto, in omnibus gratia præveniente, libero arbitrio cooperante; ita quoque occulto utens iudicio, prava propter merita, mentem excæcat, aut ut non credat, aut etiamsi crediderit, ut indiscretionem boni malive desipiat, modo autem in discussis virtutem bene agendi negat? quare autem huic miseretur, illum vero indurat (*Rom. 11, 15*), non prius speres nosse quam beatus esse.

CAPUT V.

De ignorantia.

Constat ergo ignorantiam quam culpa facit, nec defensionem habere, nec præcipitanter acta defendere. Sed et ignorantia cognoscendorum, et oblivionis cognitorum causa est, transgressio prima utraque enim noxam comitatur, et cum adveniente advenit, et cum abeunte abibit.

Quid ergo? *Nihilne est quod excusetur per ignorantiam, quando ea habet esse per culpam?* Verum permulta differentia est, utrum ignores ex alieno, an ex proprio vitio. Nam ignorantia, sicut et macula quæ ex parentibus est, minus utique rea est, quam quæ ex te est. Igitur sicut utraque culpa imputatur ante baptismum, post tantummodo propria; ita fortasse ignorantia neutra apud gentes excusationem facit, altera apud Christianos facit; illa videlicet quæ tibi ita est, quod ex culpa tua non est, non etiam altera,

quæ ex tua tibi est culpa, quam, ut dictum est, constat nec defensionem habere, nec præcipitanter acta defendere.

185 Sed sicut ratio est ut quem culpa excæcat, ignorantia non defendat, ita quæstio est: *Cur vel pagani, seu parentali ex hæreditate, seu corporea aggravatione, suo absque commisso quolibet in negotio nescii, de nescienter gestis recte debeant accusari?* Sed sicut gratia hujusmodi inscitiae succurrit, ita fortasse et ita pravum propter opus derelinquit. Nisi magis oporteat arbitrari originale maculam et ejus comitem ignorantiam naturalem, pariter se habere, ambasque, occulto Dei judicio, modo incusari per iram, modo excusari per gratiam. Accusatur imperitia quam culpa parit actualis, sed amplius; cur non accusetur et illa quam parit originalis, at minus illa quæ ex mole carnis nascitur, medium nacta locum?

CAPUT VI.

Unde nascatur ignorantia et aggravetur.

Jure hæreditario ignoramus, ignorantiam terrena inhabitatione aggravamus, aggravatam interminatis excessibus cumulamus. Est differentia inter hæreditarium atque proprium. Item inter propria aliter se habet quod ex corporis complexione est, quod naturæ, sed vitiatæ deputatur; et aliter quod ex mentis deviatione, quod arbitrio datur. Afficimur nimium quidem hæreditatis infirmitate, magis vero complexionis corruptione, maxime autem animi dissolutione. Est combinatio originalis maculæ sua cum ignorantia. Est altera motuum carnis, item fortasse cum sua. Est tandem, absque forsitan tertia, qua malefacimus, et malefaciendo prave intelligimus. Omnes tres imputat Deus ante conversionem, duas quidem occulto judicio, tertiam vero manifesto: ultimo autem, soli, regeneratione suscepta, intendere videtur, nisi per apostasiam prævaricato fœdere fœderis, gratia subtrahatur.

CAPP. VII, VIII, IX, X, XI.

Varii casus referuntur.

Vallum, fures timens atque hostes, domui meæ circumdo, aquam in necessarium molendini usum, cavata terra, deduco. Illic pater, illic mater de longe filium visentes incauti incidunt; num ego parentum ignorans adventum rite arguor parricidii?

Manducaturus cultello in usum vescendi, ut fit, cibos præparo, dominus interim ad se celeri gradu servum properare, item itemque proclamando, imperat. At ille facto impetu ut via erat, per juxta me transit, casu in ferrum, quod escæ intendens manu tenebam, corruit, obit. Quis trium homicida est, nonne unusquisque se a reatu defendere potest?

Mater causis præpedita idoneis, curam nati gerere non sufficit, nutricem procurat; satis, ut ipsa experiri potest, accommodam; altricis negligentia parvulum necat, aut diligenter agenti infortunium obstat; exempli gratia, dum alumno præbet obsequium, aut ipsi lymphaticus canis ex insperato irruens, mortiferum vulnus infligit, aut repente orta tempestate pars corruens habitaculi infantem obruit. Quid hic

A parentes peccaverent, quid denique nutrix, non dico negligens, sed diligentiae studens?

Vir suo secum in stratu uxorem habens, de nocte consurgit, ventrem purgaturus prodit. Ipsa interim (qua malarum artium sunt mulieres) ad acuum festinat. Et ne id viro compertum fiat, consciam sibi famulam suo supponit loco. Ille nihil minus ratus quam hujusmodi submissionem, post reditum sociam lecti amplexatur, et quoniam nulla talis rei suspicio, nulla in tactu distinctio se ingerebat, res incomperta manet. Viro somnolentia gravato, domina diluculo regreditur, famula elabatur. Quid ergo? num virum dicemus **186** adulterasse? aut si propinqua genere illa fuit, etiam cognationem incestasse, an potius quantum in se erat conjugis sua usum?

B Puerum in cunis furtim prædones subripiunt, moriuntur ipsi, puero superstite. Is adolescens effectus, nulla invenit patriæ suæ indicia, sed neque mater fatis quid de nato actum sit investigans, quidpiam vel suspicionis audit. Forte ambo in unum conveniunt, pari tandem consensu ex auctoritate Ecclesiæ conjugium incunt, nuptias celebrant mater atque filius, scilicet sibi incogniti. Sed fortasse nec illam cuiquam nubere, nec illum quamlibet ducere oportuit, unde dubitare potuissent, aut hic de matre, aut illa sobole, fiat. Sed jam factam conjugii copulam quis rumpet, cum id nunquam agat suspicio, sed solum certa atque probata cognitio?

Sed quem mater a se projectum latenter exposuit, vir iam factus quid agat? continens esse non potest: *Meliusque est nubere quam uri (I Cor. vii, 9):* (nimium omnes non capiunt hoc verbum, quod continentiam prædicat, sed tantum qui potest capere capiat.) Quid igitur? nullamne ejus ætatis ducet, unde mater ne sua sit dubitet? Sed ea ratione omnem caveat ætatem, majorem natu ætatem ne ducat, ne sua mater vel matertera sit: par sibi, sive minor ipsa sibi, soror esse potest. Sic nullam denique ducat, nam saltem, ne de sua cognatione sit, esse potest omnis suspiciosa sibi.

Quid, ergo quoniam ille raptus, isteque derelictus, uterque incertus est, quis aut unde ipse sit, num neutri licebit consortem tori undecunque sibi procurare, hac de causa ne ex copula sordescat incestu?

D Sed jam nemo conjugem accipiat, potest enim fieri ut quam genere putat alienam, habeat propinquam, idque frequenter experimentis compertum emendatur, nihilominus tamen solita conjugiorum frequentantur. Sanctio namque divina cœlibatum nulli præcepit, nisi tantummodo illi qui sponte elegit. Qui ergo novit cujus generis sit, is sibi talem provideat, quam cognatio sua consanguineam nesciat. Qui autem de tribu sua nihil scit (omnes enim aut ignorant, aut sibi celant) is quam petat, quamve fugiat minime novit; quid agat? libere agat: quam sibi opportunam invenerit, eam absque dubitatione sitne bonum an malum, ducat. Quem enim in actu suo quantumlibet bono conscientia accusat, is reus est, non propter malum quod faciat, verum propterea quod opus suum

malum putat? dicit enim Apostolus: *Omne quod non est ex fide peccatum est* (Rom. xiv, 23), nimirum quidquid facis, si male fieri credis, culpa est.

CAPUT XII.

Ex corde opus judicatur.

(263) Si quos ergo statuta Ecclesie jugo conjugii copularunt, licet consanguinei convenerint, dum id ignoratur, prorsus non imputatur, exempli causa quaedam pramisi. Sed similia reperiuntur innumera, quibus in omnibus quiddam solet contingere, quod in se attentum dura animadversione dignum videatur. Sed quoniam animus, penes quem omnium quae aguntur laus et vituperium continetur, ipse nullius sibi malignitatis est conscius, si deceptus non est, nec opus ipsum malignum est; nimirum nisi morte desoletur domus, unde in porta appareat mortuus? (264) Si mortem primam tollis a corde, quomodo secundam invenies in opere, quomodo tertiam, in consuetudine? Sicut autem cum purus est animus, nulla ex parte impurum est opus, ita mens quando est immunda, est quoque actio ex necessitate sordida. Trahit ergo opus ex corde qualitatem, trahit et quantitatem. Nam quia simplex est oculus, lucidum est corpus, et quam simplex est oculus, tam lucidum est corpus (Matth. vi, 23; Luc. xi, 34). Unde paupercula mulier plus divitibus misit (Luc. xxi, 5), quia quod minus erat in re, pensabatur ex voluntate par ratio ex opposito: saepissime enim actio juxta naturam suam, aut parum est mala, aut est etiam bona, sed quoniam pessimo de corde prodit, pessimam **137** examen **C** divinum decernit. Interdum quoque quod apud nos nimis crudele, ut cum filius pestilens duro, sed correctorio patris verberare turbatus sese in necem praecipitat; nimiumve flagitiosum aestimatus, ut quod mater improvida immoderate incumbens operi praemortuam abortit, aut legitime natum, nihil tale meditata dormiendo opprimit, apud Deum quoniam affectum ipse inspector est, alterum imputatur justitiae, alterum ad plus negligentiae.

CAPUT XIII.

Juxta operis eventum non est judicandum.

Si quis tamen id astruere conatur, quod supradictis ex eventibus, eorumque similibus, quoties contingant, fontes ii fiant, quos ego exsortes culpae supra aestimabam; scire velim quare: ideo ne quod ex ignorantiae negligentia hujusmodi accidant, proptereaque ex vitio affectus imputentur eventus? an quod animi puritate intacta casus ipsi tales sint ex se, ut merito non impune ferantur? Sed si fortuita propter se requiruntur ab eo, unde qualemcumque sumunt existendi occasionem, certe nec viri boni etiam dum bene agunt, quoniam et de bene gestis mala plerumque oriuntur, extra culpam sunt. Quippe et apostoli dum mundum caelesti doctrina instruunt, salutaribus exemplis informant, aliis sunt odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem, et in utroque bonus odor Deo Jesus Christus (II Cor. ii, 15), ut

(255) Magist., ii, dist. 40 et 42.

(264) Aug. ser. Domini in Mont. lib. i, c. 12.

A ipsemet testatur, si Judaeis locutus non fuisset peccatum non haberent (Joan. xv, 22); ejus nimirum venerabilis sermo, admirandaque vita, versa sunt contemptoribus in reatum, sicut et (265) resurrectio traditori in suspendium. Omnes ergo sagaci perspicacitate rem uti est rimati, oderint mala propter se, suspecta habeant bona, imo vitent ea, ne propter bona contingant mala. Odibile decretum, nec nisi a male sano servandum; quoniam cum quis ratione consultus, providet non solum bona coram omnibus hominibus (II Cor. viii, 1), ut hinc honoretur Deus, inde aedificetur proximus; si tamen scandalizatur stolidus, non est in culpa vir providus. Hic quod debet facit, et prodest: ille alterius in bono offendit, et nocet. Nam si tu bene ac discrete agis, quidquid **B** inde proveniat, tu reus non teneris.

CAPUT XIV.

Multis eventibus nemo tenetur.

Eventus ergo nec proprio decolorantur fuce, eatenus ut omnes macula afficiant, unde originem trahunt; nec quasi ex ignorantium negligentia pestem suscipiunt, ut ipsis pestiferi fiant: nam si non possunt hujusmodi contingere sine crimine illorum, quos absolutos nos arbitramur, quoniam ignorantia ingerat negligentiam; negligentia vero eventibus culpam, dupla utique inclinatio hominem contaminat: prima per vitium cordis, secunda per vitium eventus. Unde patet quod quicumque id agit, unde supradicti eventus nasci possunt, bis scdatur si contingunt, semel si non accidunt; quippe quantum in se ipso est eveniunt, qui id admittit unde evenire queunt. Utique reus, quoniam ex ignorantia tanquam negligens delusus, tale quid non praecavet, unde malum nasci non potuerit. Amplius ergo nemo manducet, ne id sumat unde sibi mortem inferat: nemo non manducet, ne abstinendo certam mortem inveniat; insipiens est qui dormit, quoniam et somnus periculis occasionem praestat. Insipientior est si id evitat, quod evitari natura non sinit. Stolidus ruricola quoniam parat in agro latibulum insidiatori, in domo sufficientiam ingluviei; longe stolidior si desidia torpet, quoniam famem cum letho non praecavet. Denique stultus erit quisquis quidquid agat, quoniam nihil fiat unde periculum timere non debeat. Stultus et insanus si desidiae se dederit, quoniam sic et **138** quae agenda **C** sunt dimittit: imo is demum sapere videtur, quisquis quod ratio suadet et usus, id non solum inchoare, verum et consummare satagit; non in vanum curiosus, quid infortunii possit contingere praedivinat, tantum quid fieri debeat, et fiat attentus. Nemo enim cura sua, aut eventuum diversitates suis in actibus providere, aut provisas, ex parte saltem, ullo poterit modo evitare.

Quae est ergo negligentia mea, si dum convenienter me habeo, aut id ignoro, quod a natura sinere non sinor, aut id non praecavero, quod aestimare si

(265) Auctor lib. quæst. Veteris et Novi Testamenti; quæst. 94, apud August.

datur, effugere non datur? multa enim sunt quæ nec studiosis occurrunt, quibus indagandis animum occupare superfluum est. Quod si quando animo pervagante, quis, quid, qua de re contingere queat, fuerit præmeditatus, nihil tamen videns quare id eventurum credere debeat, num id quo opus est reformidans, inania quædam quasi somnia captabit? sin autem illud quod agendum æstimat hujusmodi cernit, quare scandalum in futurum timeat, imo timere debeat, quoniam *væ homini per quem scandalum venit* (*Matth. xviii, 7*), damnum alterius totis viribus fugiat. Verum interim dum propriæ salutis damna non incurrat, ne enim alter scandalizetur ipse benefacere debet, malefacere non debet.

CAPUT XV.

De negligentia, ignorantia et infirmitate.

Quamobrem nulla negligentia est, nisi dum desideria tua, aut quod oportet nescis, aut quod nosti non sequeris. Potest quidem esse ut per culpam nescias, cum tamen labores ut scias. Hanc non ego proprie negligentiam, imo pœnalem puto ignorantiam. Potest quoque contingere, ut cum sententia tua non concordet vita tua, non tantum quia nolis, sed quia id efficere non possis. Nec hanc puto negligentiam, sed infirmitatem. Infirmitas autem hæc, si ex mali consuetudine est, sive ex ira Dei, rea est, sed ut curetur clamet: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (*Psal. vi, 3*). Si ex natura est, absoluta est, ut cum vis non concupiscere, non irasci, et similia, nec potes: de his Apostolus conqueritur, quia quod non vult id agit, quæ jam non ipse operatur, sed peccatum quod in se est, in quibus nihil damnationis est, his qui non secundum carnem ambulant (*Rom. vii, 15*). Hanc autem natura secum fert simul cum ignorantia infirmitatem, cum insuperabili insuperabilem. Quas non aio naturam sequi, eo quod eas induxerit creatio, verum quod eis ex prima inobedientia natis, nostra nunquam careat conversatio. Ignorantia quod scitu dignum est occultat; infirmitas etiam ab eo quod scitur separat. Sed quid inde? occulta detegit, infirma reficit gratia Redemptoris, magna ex parte, etiam post fidem, remanent, sed jam nihil nocent, imo et paganismo quid nocerent? Scio quidem quod nocent ut pœnæ, sed inquiri noceantne ut culpa: culpa autem omnis aut originalis aut actualis est. Originalem trahit homo primo de prævaricatore, actualem ex se. Sed ignorantia sive infirmitas, unde modo agimus, non fit homini ex se, verum ex necessitate naturæ: quare aut culpa non est, aut originalis est (266). Sed si culpa originalis est, imputatur pagano, condonatur Christiano. Vere quod sit originalis satis scio, sed an etiam sit culpa, vestigo. Homo prudens, utilium cognitor, fortis eorumdem exsecutor creatus, prævaricatus est. Qui peccavit ex se, punitus est in se, in auctorem intumuit, ab auctore data amisit, abusus est scientia, multatur ignorantia,

(266) August., lib. II De peccat. merit. c. 4.

(267) August., l. III De lib. arbitrio, cap. 4, 19.

Abusus in malo viribus, in bono est debilitatus. Homo ergo quod non oportuit ipse peccavit. Judex quod oportuit pœnam irrogavit. Culpa non nisi ex homine, pœna non nisi ex iudice.

189 CAPUT XVI.

De ignorantia et infirmitate.

Quoniam ergo constat munditiam Dei immunditiam peccati nulli inferre; si similiter constat iram Dei, reo homini indidisse ignorantiam atque infirmitatem, constet quoque necesse est duas has rei esse pœnas, nullo modo culpas. Culpa nimirum reddit sordidum, infirmitas cum reliqua, miserum: quas ex Adæ culpa tam sibi quam successioni irrogatas scio, ipsas tamen, si iudicis manus reo infundit, peccata nego (267). Sed si propter inobedientiam punivit Deus Adam, ita ut foret quam prius imperitior atque infirmior, nonne pari ratione, quisquis incidit in peccata, incidit quoque, puniente Deo, in ignorantiam atque infirmitatem, ita ut, præter naturales horum nominum defectus cum originali peccato ab Adam traductos, suscipiat proprio cum peccato accidentales, gravatus ex origine, pessundatus ex sese?

Nimirum sicut factor legis in bono confortatur, ita transgressor illius in illo infirmatur. Item sicut templum Spiritus sancti tanto inhabitatore corrumpat, ita cum Spiritus effugit fictum, mente caligat. Dicis Deo in Psalmo: *A mandatis tuis intellexi* (*Psal. cxviii, 104*). Quippe si vis intelligere legem, serva mandata. Unde ex opposito apparet, quod qui legem non custodit, legem non intelligit. Contingit tamen plerumque transgressorem in multis intelligere legem. Sed quasi nihil est intelligentia prævaricantis comparatione ejusdem obedientis.

Ignorantiam ergo sicut et infirmitatem, quam ex Adam suscepimus, in quantum delinquimus, in tantum et cumulamus. Quas si in Adam non peccata, sed pœnas judicamus, cur non eandem et in nobis rationem teneamus? ut sine Deo quisque sordeat tam originaliter quam actualiter, ex Deo quisque propter sordes exuratur tam originaliter quam accidentaliter (268). Nimirum ex Patrum traditione didicimus, et experti sentimus, quod sicut Deus ad retundendam hominum elationem, ipsos post lapsum et hebetudine repressit, et ægritudine (adhuc enim ex tantillo commodi quod restabat, vano tumore erectos, atque ideo secunda persecutione humiliandos) ita post diluvium ætatis atque staturæ quantitatem imminuit, vires quoque tam animi quam corporis in dies contrivit. Dum ergo corpus aggravat animam plus minusve, sive secundum naturam suæ complexionis, sive, quod deterius est, secundum quod ejus desideriis ipsa se implicat, ex hujusmodi corporis aggravatione, placet Deo infundi animæ, aliter atque aliter hebetudinem atque languorem, nisi cum gratiâ

(268) Aug., l. xv De civit., cap. 9.

Creatoris interiorē confortat hominem, contra exterioris invectionem.

Sed si hebetudo universa universo cum languore, non peccatum, sed solummodo pœna est, quid dicemus? num ignorare bonum quod opus est fieri, atque malum quod opus est dimitti? num tandem ignorare Christum, non solum ex vitio vel indigentia naturæ, verum etiam ex malitia vitæ, id peccatum atque culpa non est? absolvemus a reatu Judæos, a reatu paganos, qui vetustate inebriati, novitatis poculum fastidiunt? absit! Sunt enim quædam apud se satis bona, aut nihil mala, quæ tamen quibusdam adjectionibus mala fiunt. Orare, eleemosynasque dare, omnes laudant, comedere atque dormire nequo accusat; attamen dum opus esset vigilia, dormire, id desidia est: humanas vorare carnes, id inhumanum est; erogatio vanam gloriam captans facinorosa est; idola adorare, nefas est. Sic ergo ignorare ægrumque esse non incusamus, sed dolemus. Ex culpa autem aut ignorare quod non oporteat, aut non resistere cum oporteat ea utique gravis est culpa. Sic ergo ignorantia ex Deo est, ut execrabilis ignorantia ex Deo non sit; sicut largitio eleemosynarum ex Deo est, exhibita autem pro vana gloria, ex maligno est. Execrabilis autem ignorantia non est, **190** quæ aut naturalis est, aut si qua ex culpa provenit, culpa non est; aut si verius est ex corporis aggravatione naturaliter quoque innatas, ignorantiam, atque infirmitatem, non solum peccati pœnas, verum etiam culpas, non quidem proprias sed originales nuncupari; nonne eas provenire dicemus nullatenus ex Deo, verum sicut quæ accidunt per proprium, ita naturales per originis vitium? Quod si ita est, ante lavacrum ad damnationem animæ pertinent ipsæ procul dubio; ea quoque forsitan quæ ex ipsis prodeunt. Sed si etiam ea habentem reum reddunt, aut inter originalia computabuntur, et erit apud quemque nimia originalium copia; aut inter propria peccata, et erit homo in multis peccator absque actu peccati, aut cum actu absque peccato rationis, ut sit malus homo, nec de malo thesauro proferens malum. Utrumlibet duorum sit, ipsa suis cum causis ante baptismum imputantur, per baptismum condonantur. Semper quidem remanent, et nunquam nocent.

CAPUT XVII.

Quæ mala a Deo sint.

(269) Sed propheta nobis insinuare volens omne genus afflictionis ex Deo prodire, docuit non esse malum in civitate quod Dominus non fecerit. Non ait: *Non esse peccatum in civitate quod Dominus non fecerit, sed malum (Amos III, 6)*, intelligens quidquid non est peccatum, et est malum, a Domino esse factum. In qua sententia forsitan comprehendit ignorantiam atque infirmitatem, quæ nomine atque re distant forsitan peccatis, et mala sunt; hæc Dominum fecisse forsitan propheta intellexit, dum ait: *Formans lucem, et creans tenebras (Isa. XLV, 7)*. Lux quippe a Deo fit, et

(269) Magist., II, dist. 57, et I, dist. 46.

A tenebras ignorantiae, si credi debet, et ipse facit. Nam et de cæteris quæ mala sunt, et peccata non sunt, propheta subjunxit: *Faciens pacem et creans malum (Ibid.)*. Quod per malum intelligere debes inquietationem, insinuatam tibi est præmissam per pacem. Inducit Deus bellum, inducit et homo, alter bene, alter male. Homo bellum plerumque parat, nunquam tamen contingit nisi cum Dominus vult, ejus velle est efficere. Fit bellum, quod utique justitia Dei facit, rabies hominis committit. Ipsum ergo belligerare, si Deum intueris, justitia est; si hominem, rabies; atque ideo culpa est.

Scio conflictus certantium nonnunquam juste, sancteque ab hominibus fieri, verum eo mihi modo opus est qui prave subitur. In dextera Dei longitudo B dierum est, in sinistra vero divitiæ et honor (*Prov. III, 2*). Homo unus et alter furto, rapinis, fraude, item perjuriis, sacrilegiis, superstitionibus, omnibus denique actibus, quibus aut avaritia, aut vexat ambitio, divitias, honores, sive potestates, ambo pares, mala arte, jugi labore sectantur. Unus apprehendit, alter nequit. Quare? is cujus in sinistra divitiæ et honor, is a quo, juxta Apostolum: *Omnis potestas est (Rom. XIII, 1)*, alteri donare, alteri placet negare: homo male sequitur, male apprehendit, Deus bene tribuit.

CAPUT XVIII.

An ignorantia et infirmitas in nobis a Deo sint.

Mundana ergo interdum prave prosequimur; sed assequendis bene Deus viam pandit: assecuta prave possidemus, sed possidere facit Deus, utique non prave. Ipsum ergo possidere ex Deo est, scilicet bene, ex nobis est, scilicet male: quoniam nobis est peccatum, Deo autem sanctum. Nonne simili ratione fieri potest, ut ignorantiam sive infirmitatem Deus in nobis faciat, quantum ad ipsum qui reum punit, justam; quantum ad nos qui eam male vivendo meremur, culpam. Dum male vivimus, ad ignorantiam infirmitatemque festinamus, ut illud ignoremus quod non oportet, illud non possimus, quod oportet. Festinamus quidem hos ad defectus, **191** eosque nobis objiciens tradit Deus, nisi cum sua usus misericordia, nostræ dementiæ impetum retundit. Hos ergo defectus a nobis habemus, et a Domino suscipimus; a Domino pœnas, a nobis culpas. Quidquid autem horum excursu defectuum delinquimus, non per ignorantiam infirmitatemque defenditur, quoniam ad utramque vitio nostro venit. Quam quoniam ex Deo habes, pœna est; si non meruisti ut haberes, jam tibi culpa non est. Dum ergo naturaliter inest, et pœna est et culpa non est (270). Quidquid autem naturaliter, aut per ignorantiam nescis, aut per infirmitatem nequis, si omnino nescis et nequis, omnino in hujusmodi non delinquis, quoniam regenerationis expiatio invincibilia excusat. Ante lavacrum autem, quoniam originalis culpa exigitur, merito quoque supradictorum, quos parit ipsa, defectuum pullulationes requiruntur. Unde propassio-

(270) August. I. III, De lib. arb., ca. 22.

nales animi motus quos evincere nemo potest, ante baptismum puniuntur; quod patet, quoniam per baptismum remittuntur.

Sed hujusmodi mitissima omnium puniri pœna puto. In eo autem quod inordinate agis, quantum notitiæ habes, quantumque resistere potes, tantum procul dubio nocentior es. Unde primus homo ex prævaricatione, sævissima increpatur animadversione, quoniam eo plane erat præditus ingenio, eisque dotibus, ut absque difficultate veritatem agnosceret, agnitæque hæreret.

Quoniam nonnulli faciliorem amantes sententiam, asserant in sinistra Dei divitias esse et honorem, ad dandum sive permittendum, prout homines digni sunt, sive indigni. Malas ergo per partes ad culmen aspirantes, sive cuilibet voluntati pravæ satisfacere conantes, iratus nonnunquam non impendit Deus; quod cum fit, dicitur Deus id facere, quoniam non fieret, nisi ipse permisisset. Sic namque Deus convertit corda malorum *ut odirent populum ejus, et dolos facerent in servos ejus* (Psal. CIV, 25).

CAPUT XIX.

In bellis quid Deo, quid homini sit imputandum.

Quoniam autem Deum bella inducere diximus; per eum namque fiunt inter homines, sicut fames atque pestes. Videamus quid in bellis Deo, quid homini sit imputandum. Romanos indignatio plena elatione, atque avaritia movit contra Judæos tributa negantes, quorum destructionem, atque captivitatem pravitati morum non indebitam Justus volebat Judex. Quod autem bene volebat ipse, idem velle nequiter videbat Romanos. Uterque enim Judæam destrui atque captivari, alter ex justitia, alter ex insolentia parabat. Unde placuit Deo voluntatem suam bonam, per illorum impleri voluntatem pravam. Sed neque voluntas prava, neque pravæ executio actionis, quoniam utraque injusta erat, justo placere potuit. Verum quod eorum pravam per machinationem, bene evenit, id Deo gratum exstitit. Mens ergo furibunda Judæam delere gestiens, mentis quoque furibundæ apparatus, apparatus etiam prosecuta dimicatio; illud tandem quod positam vastant, quod vastatam captivant, universum utique hoc exsecrabile est Deo, quoniam prava actio placere non potest Deo bono. Nimirum ipsum ignorare atque infirmari, denique rem possidere, in potestate esse, non operari est, et velle Dei est; verum passio placet Deo nata ex actione Deo non placente, ut nequaquam placeat Deo quod Romanus vastat, quod captivat; et tamen ei placeat quod Judæus vincitur et captivatur. *Non enim est malum quod Deus non fecit* (Amos III, 6).

192 CAPUT XX.

Actio injusta, cum malum sit, a Deo non est.

(271) Sed dices, *actio injusta malum est, et tamen ex Deo non est.* Verum utique dicis. Sed de alio malo agitur, eo scilicet non quod inquinat, sed (271) Mag., II, d. 37.

A quod tribulat; non quod agentis est, sed quod ab agente infertur. Quod enim tu facis, id plane actio est, et fortasse iniqua; quod autem inde fit, id plerumque afflictio est, et nunquam iniqua: nam dum tu in quempiam aut crudeliter, aut quia ita fieri oportet, insurgis, tu utique affligis, ille affligitur: affligere ergo tuum est, affligi illius. Ille ex suo suscipit cruciatum, tu non ex tuo nisi forte torquentem fatigari contingat. Sed aliud est alium torquere, aliud ipsum fatigari ex torsione, quia nonnunquam accidit ex una actione duas ingeri molestias, alteram tribulanti, tribulato alteram. Sed rerum permissiones ratio distinguit, atque unicuique quod suum est distribuit. Affligere ergo, causa pœnæ est, non pœna.

B Hæc sunt mala quæ Dominus semper facit, causas autem eorum non nisi cum justæ sunt: illa enim quæ hominibus mala duraque videntur, a Deo semper, ab homine nonnunquam procedunt, ad quæ irroganda nisi semper potes, sed non erit quod cupis, nisi cum Deus volet. Et sicut nunquam es sanctus nisi cum sancto Deo; non enim per te tu ipse benefacis, sed gratia Dei tecum, ut bonum tu edas opus, sed primo Deus: ita tu malum pœnale putas inferre, sed infert Deus per te. Malum autem delectabile quod est peccatum, tu per te facis, non tamen faceres, nisi Deus, non dicam vellet, imò sineret. Pœnale autem in homine creans malum Deus, aut per se, aut per ministrum flagello cædit filiali, aut pœna crudeli; cæsis autem cum a Judice infertur, ipse semper aut pius est, aut justus ex illatione. Homo cæsiōnem suscipiens, iniquus interdum est ex susceptione. v. g. cultor Dei officio, piger obsequio, flagitiis aggressus succumbit, gravissima flagelli animadversione increpatur; stupefactus nec curam subdito, nec cultum exhibet Deo. Et quoniam ex culpa languet, ex languore autem non solvit quod debet, languor quoque non immerito in culpa est. Nam quoties vitio tuo fit ut in id incidas unde pedem absque offensa Dei retrahere nequeas, ipsum quoque incidere offendere est. Molestia ergo hujusmodi ex judice est pœna, ex reo culpa.

CAPUT XXI.

D *Quorum ministerio utatur Deus cum cædit et quomodo.*

Dum autem cædit Deus, ministerio utitur modo angelorum, modo hominum: nec ulli dubium est id modo fieri animalia per irrationalia, modo inanimata per elementa: contingit quoque hominem cædi penes se. Sed an hujusmodi quoque per angelos faciat Deus, an etiam per se, fortasse non satis notum est. Operatur Deus tam per bonos quam per malos ministros, angelos et homines. Per bonos angelos Sodomam subvertit, per exterminatorem iniquum, iniquorum primogenita judex Deus occidit. Sic plerumque apud nos judex per carnifices, bonus per malos, nonnunquam quoque per

bonos agit in reos, bene agens etiam per male agentes. Exterminator iniquus apparuit, dum suos Deus transiens liberavit, docens ex sanguine agni, figuram Tau, postibus illiniri (*Exod. xii, 24; Ezech. ix, 4*). Utique spiritus malignus erat, qui cujusque familiæ primogenita fidei charitatisque designativa, extinguere conabatur, quam a conatu arcet forma, crucis æmula, Tau, fronti impressa. Torquet ergo Deus homines malos per angelos malos, similiterque per bonos. Ipsi enim in fine mundi messores zizania de tritico colligentes, **193** auferent de regno ejus omnia scandala, alligantes ea in fasciculos ad comburendum (*Matth. xiii, 30*).

Spiritus autem maligni quotidie animas ad inferos trahunt quas et a corporibus invitas extrahunt. Unde Dominus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent* (*Luc. ii, 20*); qui utique exactores qui peccatum committunt, et sine intermissione pro peccato pœnam exigunt, ii animam nocte hujus sæculi repetunt, quo perducturi nisi ad infernum? Nam si anima Lazari ab angelis portatur in sinum Abrahamæ, nonne decet ut anima divitis per dæmones sepulta sit in inferno? (*Luc. xvi, 22*.) Utique ministerio angelorum semper sanctæ animæ transferuntur in quietem, ministerio dæmonum iniquæ ad gehennam, qui eas et ad inferos trahunt, et a corporibus repetunt, iidem easdem in corporibus vexant, unde putantur curare cum cessant a læsione: vere enim curarent si non solum a se illatum, sed et in homine inventum languorem curarent. Nec solum in malos, verum etiam in bonos impetum faciunt, damna rerum, læsiones corporum, mortem ipsam secum ferentes. (272) Unde Satan, concusso triclinio, filiis sanctis sanctiorem Job orbavit (*Job i*). Sancti utique erant quos longe melius, quia multo securius in sinu Abrahamæ mortuos, quam in mundo vivos possidebat, ac per hoc pari numero sibi natis denuo filiis omnia duplo recuperat (*Job xlii, 10*).

CAPUT XXII.

Quales sint dæmones bonis et malis.

(273) Sed in malos tanquam pecus in suum, suo jure dæmones ut libet utuntur, nisi cum miseratione ejus retrahuntur qui ponit in thesauris abyssos, sciens apud se quid boni apud nos sit futurum per malos; bonis autem semper nocere volunt et nunquam possunt, nisi cum ad probationem sanctorum id fieri sinit Deus, aut ut suas agnoscant vires, et Deo grati fiant, aut infirmitatem, ut roborari quærant. Unde Satan Dominum Job cum suis vallasse conqueritur (*Job i, 10*); sed cum a Deo vade audit, missus in Job mox impetum facit: Deus vade dicit, qui, licet malos malorum conatus exsecretur, tamen bonos malorum conatum eventus amplexatur. Mali male agunt, sed spiritus Domini om-

nia cooperatur in bonum, dum et male acta bonos convertit in exitus. Ideo namque sinit fieri mala, quia de malis cogitat educere bona.

CAPUT XXIII.

De missione malorum spirituum.

(274) Princeps dæmoniorum satellites suos mittit, Unde et angeli Dei nuncupantur, juxta illud: *Et angelus Domini persequens eos* (*Psal. xxxiv, 6*). Ille ad subversionem cunctorum, Dominus ad probationem suorum. Conveniunt in missione, differunt in causa missionis; ac sic non plene conveniunt, quoniam aliter atque aliter mittunt. Mittit uterque ut torqueantur mali pariterque boni. Ad idem tendunt, idemque volunt, sed longe differunt. Alterum consulit ratio, alterum impellit turbata effrenatio. Unde egressus Satan a facie Domini memoratur: qui dum Job suos suaque tollit, ipsumque gravissime affligit, quod lethum quoque non irrogat, Domini prohibitio obstat: nihil enim difficilius erat occidere quam torquere, nisi divina voluntas restitisset. Cur enim a morte Dominus prohiberet, si mortem inferre, aut non posset aut nollet? Qui ergo mortem per membra sua sanctis quotidie infert, is eam per se quoque inferre potest, imo et eam nonnunquam infert. Nam dum plaga multis irrogatur inter malos, sicut contigit tribulari bonos, cur non etiam contingat interire eos, plagam autem naufragii sicut et belli, pestium quoque quemadmodum et famis atque similium, si non semper, at frequenter per malignos fieri spiritus credibile est. Hæ nimirum sunt immissiones per angelos malos, quas **194** Dominus mittit iram indignationis suæ. Unde super illum locum: (275) *Et vocavit famem super terram* (*Psal. civ, 16*); cum sit et altera, hæc quoque sententia invenitur: *Vocavit quasi personam animatam*. Forte quia per angelos immittit malos qui talibus præpositi sunt. Vocavit ergo famem, id est angelum fami præpositum. Sed ne quantum volunt noceant, crebro audiunt: *Nolite nocere terræ et mari* (*Apoc. vii, 5*). Dicitur enim in Job illudi Satanæ ab angelis Dei, qui sunt præpositi super aerias potestates, ne noceant nobis. Quæ sententia ibi habetur (276): *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal. ciii, 27*). Spirituales ergo tortores sicut et corporales, id est, dæmones sicut et homines, ambo indifferenter, tam bonos affligunt quam malos. Sed quod sancti angeli malos homines torquant, nonnunquam Scriptura dicit, et crebro forte variisque modis contingit. Non tamen cogit ratio ut quoties, vel quoquo modo percutiatur homo, id oporteat fieri extrinsecus, aut ab angelo, aut ab homine. Potest enim homo aut naturali morbo, aut casu illato tabescere, aliis quoque modis absque ministri officio deperire.

(272) Greg., ad hunc locum Job ultimo.

(273) Mag., l. ii, dist. 6.

(274) Magist., sup.

(275) In Glossa ex Aug. ad hunc locum.

(276) In Glossa.

CAPUT XXIV.

De flagello Dei et angelis animabus et regnis presidentibus.

(277) Sed quoquomodo flagellum Dei veniat, aut corrigendum quærit cædere, aut impœnitentem cruciare; aut cum bonum virum invenerit, in bono promovere. Virum tamen bonum bono ab angelo cædi haud occurrit, nisi forte ratione hac. Certa res est, dum animæ peregrinantur in corpore, singulas singulis angelis deputatas. Unde Dominus prohibens scandalizare unum ex pusillis suis, subjungit angelos eorum semper videre faciem Dei (*Matth. xviii, 10*): qui dum commissos sibi custodiunt, ipsos et a malis defendunt, et in bonis adjuvant; liberi tamen arbitrii jure per omnia salvo, semitaque rectitudinis nusquam derelicta. Neque enim aliter adesse voluit, nisi ut decet.

Sicut autem omnis anima, ita et omnia regna custodiis angelorum mancipata creduntur. Unde Moyses juxta aliam translationem ait, *statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei* (*Deut. xxxii, 8*). Quod ita exponunt: sicut unicuique homini custodem angelum deputatum legimus, sic Angelos principes gentium credamus constitutos. Nam in Daniele legimus, Michaelem principem populi, scilicet Judæorum, et angelum Persarum vel Græcorum (*Dan. x, 13*). Sed et post et per crucem Domini, dux populo Dei suo cum exercitu de non gente ad gentem Dei, de perfidia Judæorum ad conversionem gentium migrasse creditur.

CAPUT XXV.

Quod Michael, relictis Judæis, nos custodit.

(278) Nec est dubitandum de ipso, quoniam qui Michael, id est, *Qui ut Deus* nuncupatur, merito ad illos pertinet, qui ut Deus reformato per gratiam ad vultum Dei interiori homine, ac per hoc dii et filii excelsi effecti sunt. Nec absurdum est credi illos, quos in custodia Judaici populi sibi subditos Michael obtinuit, secum migrasse. Tradidit namque Josephus angelos templi præsidēs conclamasse (279). *Fugiamus ex his sedibus*. Sicut Michael ad custodiam regni Dei sibi famulantem habet exercitum, ita singulos angelos singulis mundi regnis præfectos primatum obtinere credibile est super eos omnes, qui sub sua potestate singulis habent providere.

Sed cum inter virum et virum sive gentem et gentem certatur, est inire conflictum pravum adversus bonum. Sed angelus Domini astat suo, nonne obstat adversario? Sed forte suæ parti conatur prodesse, non alteri nocere: id namque officii habet, non quidem ut virum bonum offendat, verum ut ei quem tutandum suscepit, prout oportet subveniat: tanta enim affectione sibi commissis sancti angeli **195** astringuntur, ut in Daniele venerabilis quædam contentio inter eos legatur, dum quisque stat pro sua parte nondum cognita Dei voluntate. Sentiunt (280) tamen non-

A nulli angelos gentibus malos malis principes constitui, qui inter gentes prælia moveant. Unde angelus bonus loquens cum Daniele, ait: *nunc revertar ut præliet adversus principem Persarum* (*Dan. x, 20*). Neque enim inter bonos prælia fieri, convenienter videtur dici.

CAPUT XXVI.

De officio Raphaelis.

(281) Sicut autem maligni spiritus incommoda, ita et benevoli nobis procurant bona. Raphael qui *medicina Dei* dicitur, morbos curat. Unde ad Tobiam missus visum restituit. Ad idem spectat fides centurionis a Domino probata: nam dum se fatetur sub alterius potestate constitutum habere sub se milites, et dicere: *Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit* (*Matth. viii, 9*): multo magis credit eum qui summa præeminet potestate militantibus sibi angelis posse imperare, eorumque ministerio puerum suum absentem curare, mandando languori ut eat, sanitati ut veniat. Decet enim illum, qui cum reliquis duobus solus præter cæteros spiritus propter officia usibus nostris accomoda proprio nomine honoratur, cum reliquis quoque duobus archangelis archangelum esse, ut quoniam innumera est multitudo languentium, abundet quoque sub principe medico copia medicorum. Ad providentiam horum fortasse pertinet sicut morbos avertere, ita salutem conservare.

CAPUT XXVII.

De officio Gabrielis.

C (282) Gabriel, *fortitudo Dei* interpretatur, quoniam negotiis quæ viribus egent, qualia sunt bella, præfertur. Unde Virgini matri ejus incarnationem annuntiat, qui aerias potestates debellare veniebat. Huic archangelo angelorum exercitus famulatur. Et quis nisi is qui sub tanto principe arduis gerendis cooperetur? Horum videntur ministerio bella justa inchoari, injusta præpediri, male autem cœpta leniri, bene cœpta administrari, et modo ad victoriam modo ad pacem perducī. Quorum quoniam virtus seditiones dispellere videtur, merito quoque fœdera pacis astringere æstimatur.

CAPUT XXVIII.

De legatione Michaelis.

D Michael quoque legationem expiationum, ac per hoc propitiationum commissam legimus. Unde matri Ecclesiæ, apud quam expiationis ac propitiationis locus est, rite principatur. Michaelis ergo officium intuentes admirando dicamus: *Quis ut Deus qui in altis habitat, et humilia respicit? Immunis a peccato est, et peccatis expiare propitius est. Expiator est, dum fit peccati remissio, propitius dum per remissionem datur reconciliatio.*

CAPUT XXIX.

Michael animas et preces suorum offert Deo.

Michael ergo unus de principibus primis, ut in Da-

(277) Magist., II, dist. 11.

(278) Isid., v, orig.

(279) Lib. VI, c. 51 et s.; VII, c. 12. De belle Jud.

(280) Cassianus, collat., VIII, c. 15. Vide in notis.

(281) Isid., v, orig.

(282) Isid., v, orig.

niele legitur (*Dan. x, 15*), princeps militiæ angelorum, suis cum copiis id agit, ut homines idonei fiant temporali in vita, post eam migrare ad cœlestem. Ipsi enim data est potestas super animas sanctorum, ut eas perducant in paradysum exultationis. Ipsum quoque cum suis, ac præcipue proprium cujusque angelum, proprias cujusque preces puto perferre ante tribunal judicis; non quod absque eorum ministerio sanctorum desideria ignoraret; verum quod obsequi gaudent auctori, prodesse homini, dum preces **196** nostras cœlicolis annuntiant, ac pro nobis apud Deum interpellant (283). Unde orationem quam pro captivitate populi sui Daniel oravit, angelus ejus utriusque ad Dominum pertulit, adjutoremque Michaellem inibi habuit, sed angelum, id est, principem regni Persarum sibi obstitisse questus est, qui dum pro sibi commissis facit, ab eorum servitute nondum Israellem solvendum putat, cujus peccata, quare sub jugo captivitatis detineatur, apud judicem accusat. Sed vincit pars Danielis.

CAPUT XXX.

Omnes angeli pro hominibus Deo serviunt.

(284) Sicut autem tres præfatos suis cum subditis humanis rebus agendis Scriptura docente, officia suscepisse cognovimus, ita et reliquos, imo communiter omnes, in hominum negotiis Deo deservire æstimamus. Unde de eis loquens Apostolus ait: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (Hebr. 11, 14)*. Administratorii ex officio, missi actualiter semper assistunt ei qui ubique est. Unde in Daniele dicitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (Dan. vii, 10)*. Nam qui ministrando discurrunt, semper ei cui ministrant, contemplando assistunt. Unde Raphael Tobie missus ait: *Ego sum angelus unus ex septem qui astamus in conspectu Dei semper (Tob. 12, 16)*. Quanquam nonnulli autumant alios circumire ministrando, alios assistere contemplando.

CAPUT XXXI.

De cherubim et seraphim.

Sed cherubim et seraphim, quos duos ordines assistere aiunt, memorat Scriptura ministrare. Unde ad Isaiam unus de seraphim volat, lapideque ignito dum os tangit, a vitio purgat, et ad loquendum aptat (*Isai. vi, 6*). Seraphim namque, qui *ignis ardens* interpretatur, in igne operari merito æstimatur. Quamobrem absurdum non est autumare, quamvis forte præsumptio foret affirmare, ministerio illorum et rubam incombustum arsisse, et Sodomam Gomorrhæque igne atque sulphure funditus perisse. Sed qui civitates succendunt, iidem duo seraphim prius Loth'a periculo eduxerunt (*Gen. xix, 16*). Quos fuisse bonos apparet, dum malos ¹juste perdunt, justum autem a perditione pie educunt. Unde arbitror, quod penes quos est auctoritas ulci-

ascendi, est quoque ab ultione liberandi. Propheta quoque postquam præmisit, *qui facit angelos suos spiritus*, subjunxit, *et ministros suos ignem urentem (Psal. ciii, 4)*. Ignis urens interpretatio est seraphim. Quare et seraphim ministrant Deo.

CAPUT XXXII.

De cherubim et seraphim.

In Ezechiele leguntur cherubim elevasse alas suas exaltata a terra (*Ezech. x, 16*): alia quoque unde conjectura sumitur, quod et ipsa cherubim officiis mancipentur. Sed venerabilis viri traditio est, ut aiunt, Dionysii (285), superiores spiritus sola frui contemplatione; minores autem legatione, assumpta qualitate nominum juxta naturam officiorum. Sed apud Ezechielem cherub extendit manum ad ignem (*Ezech. xix, 7*); apud Isaiam seraph delet iniquitatem (*Isai. vi, 6*); cum nomen seraph conveniat igni, expiatio autem Michaeli. Solus nimirum est Dominus qui delet iniquitatem; et per quem, nisi per eum qui ex vocabuli interpretatione Domini obtinet vicem? Sed seraph carbone, ut ait Hieronymus, (286) os prophetæ tetigit, dicens: *Ecce tetigit hoc labia tua ut auferatur iniquitas tua (ibid.)*. Quod sui officii est, se in igne operatum fatetur; auferendam iniquitatem dicit, sed ablationem hanc sibi non ascribit; forte quoniam suo ministerio ignis applicabatur, alterius expiatio tradebatur. Vel ministerio seraphim non solum exterior ignis succenditur, verum et **197** interior quæ est charitas, fortasse inflammatur, de qua dicitur: *Universa delicta operit charitas (I Petr. iv, 8)*. Unus ergo de seraphim igne labia prophetæ tangit; per ignem Deus charitatem accendit; charitas autem peccata exurit, ut propheta non jam pollutus labiis idoneus fiat verbo prædicationis. Unde fortasse ministerio seraphim, per charitatem corda mundantur; ministerio Michaelis militumque suorum, expiatio per fructus pœnitentiæ procurata, plenam restaurat propitiationem. Sed in Ezechiele jam forsitan cherub igni accommodatur, ut in tali negotio quasi scientia pleno, ipsam intrinsecus rimemur: cherubim namque *plenitudo scientiæ* interpretatur.

CAPUT XXXIII.

Unde dicatur angelus et spiritus.

Communia autem omnium nomina sunt angelus atque spiritus: sed spiritus sunt ex natura, angeli autem ex officio. Unde Propheta: *Qui facit angelos suos spiritus (Psal. ciii, 4)* (287). Nam qui natura spiritus sunt, cum opus est, angeli fiunt. Angeli namque interpretantur *nuntii*; et puto omnes appellari angelos, quoniam nemo inter eos est quem mitti non contingat. Unde apostolus omnes spiritus ait administratorios, in ministeriumque missos in præconium Christi qui omnes mittit, propter eos qui hæreditatem capient salutis (*Hebr. 1, 14*). Omni-

(283) Magist., iv, dist. 45, § 6 et 7.

(284) Magist., ii, dist. 10.

(285) Cap. xiii, cœlest hier., et alibi.

(286) Hieron., 161.

(287) Magist., ii, dist. 10.

bus enim præcellit qui omnes mittit, famulantes A Patri dum filios formant hæreditati.

CAPUT XXXIV.

Quot sint ordines et quibus addicti.

Providus namque Deus, antequam homo rueret, meditatus reparationem, reparationi necessarios novem distinxit angelorum ordines. Nam qui cælestes spiritus nostram suffulturus infirmitatem mittere disposuit, is mittendos variis addixit officiis, nostræ procul dubio restitutioni accommodis. Quid est enim quod Apostolus omnes spiritus ait administratorios, nisi quod omnes ministeriis officiorum intellexit addictos? Quid est quod omnes in ministerium missos perhibet, nisi quia quod injunctum est officio, id jugiter complent exercitio? quid B est quod post dicta duo, tertium hoc mox subjungit: *Propter eos qui hæreditatem capient salutis*, nisi quod tam officia, quam exercitia officiorum, ad id tendunt, ut prædestinati hæreditatem capiant salutis? Officia ergo cum actibus suis instituta propter salvandos, ratio est cessare post salvatos, quoniam juxta Scripturam, tunc tolletur omnis potestas (I Cor. xv, 14).

CAPUT XXXV.

Quod sunt officia, et quot eorum nomina.

Novem sunt officia angelorum, quorum nomina sunt hæc: Angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, cherubin atque seraphin. Horum nomina ordinum, pluraliter exprimit usus, quoniam plures sunt qui his figurantur C nominibus. Cum ergo plurale audis, plures illius ordinis, cujus nomen est intelligis. Cum vero singularum ordinum singulariter vocabula proferuntur, eorundem ordinum propriæ singulares personæ manifestantur. Quippe quoniam quorundam nomenclationes ordinum, utroque in numero reperio, idem reliquis in ordinibus, nec absurdum puto, et cujusque ordinis aio appellationem proprie aut singulariter singulos, aut pluraliter designare multos.

CAPUT XXXVI.

Quid nuntient et quid agant et quomodo.

Angeli et archangeli de loco ad locum meant ad annuntiandum 198, cæteri vero spiritus ad agendum. Illi tamen ita annuntiant, ut nonnunquam et agant. Isti autem ita agunt, ut plerumque annuntient. Sed utrique cum mittuntur, ita quandoque quod alteri est proprium, mutuantur, ut aut nunquam, aut rarius proprio decedant ab negotio. Angeli minorum, archangeli summorum creduntur nuntiatores. Archangeli forte dicti, non solum quod annuntiant principalia, verum etiam quod principantur nuntiantibus minora. Unde Zacharias ait: *Ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus; et dixit ad eum: Curre et loquere ad puerum istum dicens ad eum, absque muro habitabitur Jerusalem (Zach. ii, 5).* Superior angelus inferiorem edocet quid ipse doceat prophetam. Et forte proprius angelus prophetæ is

erat, qui prophetam instruebat, quippe in propheta loquebatur. Omnes ergo illos archangelos arbitror, penes quos auctoritas est nuntiantibus imperare, et per se summa nuntiare. Et quamvis tria solum archangelorum nomina legimus, non tamen et alios illo in ordine quamplurimos contineri absque nomine negamus.

CAPUT XXXVII.

Archangelis angeli sunt subjecti.

Ordini ergo archangelorum subdi puto ordinem angelorum, sicut sacerdotibus cæteros videmus esse subjectos, habentque ii duo ordines (licet nonnunquam sicut et alii omnes, agant separatim tamen), officia sibi propria nuntiandi, hi sub aliis, hi super alios. Cæteri vero ordines potest fieri ut affatu suo divinis de rebus homines instruant, verum id negotii proprie sibi sortiti videntur ut agant.

CAPUT XXXVIII.

Qui virtutes et eorum ministeria.

Virtutes sunt quarum ministerio miracula fiunt. Aiunt sancti sacramento missæ angelos adesse. Hoc de numero virtutum arbitror, quoniam non ad naturam, sed ad Dei miram potentiam hujusmodi opus pertinet. Sic quæ a Moyse in ducatu Judæorum, ab apostolis in conversionem gentium signa mirabiliter facta legimus, ministerio virtutum facta æstimamus.

CAPUT XXXIX.

Cur sint potestates.

Potestates ad hoc Deus instituit, ut maligni spiritus per eas repressi, non quantum volunt mundo noceant.

CAPUT XL.

Cur dicuntur principatus.

Principatus dicuntur, qui inter alios principatum tenent.

CAPUT XLI.

De dominationibus.

Dominationes, quibus et principatus subjacent. Et fortasse sicut inter nuntiantes præsumunt archangeli, ita inter agentes, si non universis, saltem aliquibus principatus præferuntur, et dominationes ordinibus. Potest quoque videri quod homines principatibus subjaceant, principatus dominationibus. Quare? *Non est enim potestas nisi a Deo (Rom. xiii, 4)*, ut quælibet potestas hominum sit obnoxia, aut summa dominationi, aut inferior principatui.

199 CAPUT XLII.

De thronis et eorum officio.

Throni sunt super quos Deus sedet, ut per eos judicia sua decernat. Et forte horum ad officium pertinet decreta Dei insinuare. Unde Danieli visionem videnti et intelligentiam quærenti apparuit spiritus viri dicentis: *Gabriel, fac intelligere istam visionem (Dan. viii, 16)*. Species viri apparuit, quia non vir, sed in specie viri, angelus cernebatur: qui fortasse de thronis unus erat, Gabrielem docens id Deum judicasse, ut ipse prophetam da

visione instruet. Quanquam tradant Judæi (288), et in hoc consentiant plurimi hunc Michaellem fuisse. Sed quomodo archangelus archangelo quid agendum sit mandat? Fortasse princeps Judæorum, atque ideo fautor Danielis illum qui præest præliis rogat ut eventum bellorum, quem scire decebat prophetam, edoceat. Et fortasse thronis judices subjecti sunt, eorumque suffragio judicia incorrupte decernant.

CAPUT XLIII.

De cherubim et seraphim.

Cherubim atque Seraphim, quorum alter ordo ultimus, alter exstat penultimus, ita Deo assistere autumant, ut exteriora ad explenda negotia minime recedant, minoresque spiritus angelos videlicet et archangelos hujusmodi rebus deputandos, duosque hos ordines reliquorum mutuari nomina, quoties quod agunt illis competit nominibus; aiuntque hanc sententiam sancti Dionysii Areopagitæ fuisse. Sed in Daniele unus de primis principibus Michael dicitur (*Dan.*, x, 13). Apostolus quoque generalem volens in Christo probare prælationem, generalem in angelis debuit ostendere subjectionem. Unde et generali usus locutione ait. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi* (*Hebr.* ii, 14). Et quoniam juxta Apostolum novem ordinum vocabula, ministeriis videntur accommodata, duorum qui restant administrationibus nomina appetimus.

CAPUT XLIV.

Juxta nominum interpretationem hominibus serviunt.

(289) Cherubim namque *plenitudo scientiæ* interpretatur. Seraphim, *ignis urens*. Num quia amoris æstu ardere perhibentur, quoniam vicinius cæteris divinam gloriam contemplantur, pleni scientia non sunt? cum potius quanto sunt veritati propiores, tanto quoque oportet veritatis fieri capaciores? Nonne qui scientia abundant, tantum excellunt charitate, quantum capiunt cognitione? Sed ii fortasse pleni scientia perhibentur, quoniam eorum ministerio apud nos scientia comparatur. Illi ardentis forsitan non solum quod præsentia incendiis, verum etiam quod charitatem infundunt sanctis. Et angeli quidem his ministrorum divisionibus, humanis invigilant commodis, et est credibile illos qui ex illo apostataverunt numero, totidem modis hominum insistere periculis.

CAPUT XLV.

A novem ordinibus demones corruisse.

(290) Arbitramur enim dæmonum numerositatem novem ex ordinibus corruisse. Nec absurde quidem, quoniam, memorante Apostolo, ordines tres id videntur quærere ut sancti separarentur a charitate Dei. Intelligens fortasse more suo per partem totum; qui alibi nec semel sanctorum ordinem per partem ponit, omnesque intelligit. Ad Ephes. enim

(288) V. Hieronym. ad cap. viii Danielis.

(289) Isid., v. orig.

scribens, Christum constituit supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationes (*Ephes.* i, 21). Apud Coloss. item **200** illi subduntur, *sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates* (*Coloss.* ii, 10). Quod hos ordines pluraliter singulariterque addito universalitatis signo expressit, liquido manifestat quod supra quoque dixi, scilicet et pluraliter plurimos, et singulariter declarari singulos. Nam quoties universalitas apponitur, singulari voce singula, plurali plura designantur. Novem ergo constat diversitates spirituum, quoniam angelos et archangelos, cherubim et seraphim crebra Scriptura memorat. His autem quatuor reliquos quinque adjuget ordines quos in Apostolo paulo ante invenimus.

CAPUT XLVI.

Quomodo mali spiritus principi suo serviunt.

(291) Principi ergo dæmoniorum maligni spiritus singuli suis in ordinibus videntur deservire; alii angeli, sive archangeli, dum nuntiando plus minusve decipiunt; alii virtutes dum miracula deludunt. Harum præsidio magi contra Pharaonem miraculis miracula objicientes, videntur concertasse. Antichristus quoque virtutibus depravatis obnoxius, signis incautos videtur delusurus.

Quid potestates?

Potestates fortasse spiritus minus in malo peritos reprimunt, ne tunc prosint cum nocere intendunt. Nam eadem quantum possunt studiis, si sunt bona, obsistunt; si vero mala, adsunt.

Quid principatus et dominationes?

Principatus quoque et dominationes inferioribus præsent. Aut fortasse ii principibus, illi regibus molesti sunt. Horum studio hi promoventur, illi humiliantur.

Quid throni?

Throni vera judicia imminuunt, et falsa muniant, et omnino iudicibus devia quædam obtinent.

Quid cherubim?

Cherubim, quantum scientia vigent, tantum virulentia nocent; ea paganis, ea ipsa hæreticis, falsi nominis scientia adesse: ea demum ipsi videntur Antichristo ad futura.

Quid seraphim?

Seraphim sicut in bono bene, ita in malo male fervere arbitror. Ea forte incendiorum ministra sunt, rancoris quoque et iræ, invidiæ, atque libidinis. Et cum novem ordines sive in bono, sive in malo his studiis videantur deservire; potest etiam ut aliis quoque modis et boni prosint, et mali obsint. Nam cum tres quibus solis propria conceduntur nomina, communi officio putentur archangeli, noscuntur quoque propriis quibusdam negotiis deputari: dæmones quoque tot tamque variis modis tentant, ut tentationum genera novem

(290) Mag., l. ii, dist. 6.

(291) Magis', l. ii, d. 6, § 4.

includere distinctionibus aut nimis difficile, aut omnino sit impossibile.

CAPUT XLVII.

De hominum adjuvamine et delusione.

(292) Cum ergo novem sint ordines, quid prohibet ex officiis notioribus sumpsisse vocabula? nihilominus tamen, quot aliis modis homines aut adjuvantur, aut deludentur, totidem fere modis aut adjuvare, aut deludere? *Fere dico, quoniam unusquisque tentatur a concupiscentia sua (Jacob. 1, 14).* Et sicut homini ex se nocetur spiritualiter, cur non etiam corporaliter noceatur, ut absque dæmonum cooperatione, conscientia quoque homines, utriusque generis damno unumquemque afficiant? Unde autem crucifigerent perfidi Salvatorem, licet ante, sed non jam, diabolum habebant adiutorem?

Quæ autem sine diabolica suggestionem ab hominibus perverse fiunt, sine dæmonum notitia interdum **201** contingunt. Sicut enim semper cogitatus ignorant, nisi cum signis eos conjiciunt, ita et actus aliquando non comprehendunt, tunc videlicet, quando absentes ad alia intendunt. Unde quod viro desponsata erat Virgo, deceptis virgineum celavit partum. David oculum prophetiæ non ut alii per figuras, aut angelica administratione, sed intrinsecus aspectu illustratus suscepit, dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (Psal. lxxxiv, 9);* atque in libro Regum ita legitur: *Directus est spiritus Domini in David (I Reg. xvi, 13).*

Unde Patrum traditio est, quod non per subjectam creaturam, sed per seipsam divina bonitas gratiam prophetiæ regi David infuderit. Quod si spirituale beneficium, non quidem per ministrum, verum aliquando per se majestas adoranda largitur, credi quoque potest, nec absurde, æternam per se liberalitatem, corporalia nonnunquam conferre beneficia, ipsa enim cælos extendit, terram cælis inclusit, aridam quoque Oceani circumfluo cinxit: incarnata tandem declarando quid esset, dum homines intus et extra curat, non pauca suæ contulit argumenta majestatis.

Angelorum ergo studio bonorum atque, malorum, bona atque mala hominibus aliquando procurantur, atque aliquando aliis modis habentur. Nam, ut homines hominibus utroque modo aut adsint aut obsint non raro contingit. Sed ut homo per vitium lædatur, absque Deo est. Quisquis autem id agit, ut homo adjuvetur, aut corporaliter vexetur, minister Dei est, cujus etiam Assur virga furoris est (*Isai. x, 5*). Huic virgæ ad tempus parcat, imo et in multis bene facit, utrumque in tantum confert in quantum expedit cæsioni: qua exacta, virgam frangit, igni fomenta daturus. Unde Romanos perditioni certissime obnoxios, captivandis tamen Judæis reservatos, Isaias sub prophetica caligine

(292) Magist., II, dist. 6, etc.

(295) Mag., I, II, d. 2, § ultimo, et dist. 6.

(294) V. Athanas., in ep. ad Serap., et Cyrill.,

insinuat, multa magnaque beneficia in usus ministerii accommoda a Deo suscepisse. Apud eundem quoque, virgam furoris sui Assur in Judæos Dominus armat, muniens fortitudine et intelligentia (*ibid.*). Ipse tamen non sic æstimat, verum viribus propriis ascribens, multatis in eo prius Judæis, et ipse Deo feriente multatur: non quod unquam Deus nequitiae machinamentis adgaudeat, verum quia consultus justitiæ, ulcisci impios exoptat.

CAPUT XLVIII.

De qua multitudine sit princeps dæmoniorum.

(293) Sed quoniam juxta novem angelorum ordines, novem quoque dæmonum arbitramur multitudines, quarum nomina a nominibus sanctorum non discrepant ordinum. Unde Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates (Ephes. vi, 12);* qua de multitudine princeps dæmoniorum intelligetur? Utique aut summus, aut inter summos potius angelos videtur plerisque creatus; ad eum quippe illud pertinet: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore (Ezech. xxviii, 12).* Et post [pauca, eadem Scriptura subjunxit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum (ibid.),* pretiosorum novem disponens genera lapidum. Quid autem hoc est, nisi quod cum sint novem angelorum ordines, omnis ordo illum ornabat, qui omnibus beneficio creationis prælatus, quasi quis gemmis, ita ipse novem rutilabat ordinibus. Si ergo, quemadmodum asseverant complures, gradus ipsos computationis ipsa comitatur cujusque dignitas ordinis procul dubio, quoniam seraphim nonus ordo numeratur, is de quo nostra inquisitio est, intra seraphim comprehenditur; nisi quia apud Ezechielem, qui et supradictis auctoritatibus hoc quoque, adjecit habetur: *Tu cherub extentus: ubi non semel princeps hujus mundi cherub appellatur.* Unde rectius juxta (294) cherub computabitur. Nisi forte sit ordine seraph, interpretatione cherub.

Sed si cujusque ordinis personas paritas ad invicem coæquat, quomodo Satanus etiam dum erat bonus, cæteris **202** in suo ordine præeminebat? aut si unus ordo disparitate gaudet meritorum, quomodo est unus? Sed sæpe quæ unius ordinis sunt, æqua sibi non sunt. Et quæ ordine noscuntur inferiora, merito nonnunquam comprobantur excellentiora. Potest ergo esse ut inter seraphum sive cherubim sint minores, sint et majores, et de majoribus princeps dæmoniorum fuerit unus. Melius enim sedere rationi videtur, quod Deus inter perseveraturos casuro creaverit pares, imo non paucos et majores, ut et pares et majores perstiterint, nec sit (295) maximus qui corrui. Tamen quoniam elationis proprium est, omnibus se præferre, maximum se existimavit qui et Deo se contulit; magnus utique fuit, sed plus de se quam esset, sensit. Magnus ergo,

I, I, Glaph.

(295) Quos auctores sequatur vide in notis.

corrui, ne de magnitudine tua glorieris, ne assensum pravo præbeas consilio. Qui superbo consenserunt, cum superbo corruerunt; qui hæsero Deo, Deum principem habere meruerunt, dæmones consentientes adversario, principem dæmoniorum creaverunt. Quibus omnibus quoniam nocendi hominibus una est protervitas, illi qui in eo plus valet, obedire, una quoque est voluntas; nimirum tanto quisquis in malo efficacius debacchatur, quanto alios virtute creationis transgreditur.

Sed naturam spirituum tantum vitiatam arbitror debilitari, quantum confirmatam augeri: ut qui minor est in regno cælorum, ipsum principem dæmonum, visione Dei sublimatus transcendat: et sic factum est ut is qui se præferendum arbitratur, aut fortasse beneficio creationis vere præferebatur; et maximis irreparabiliter, pessundatus subsidat et minimis. Unde in eodem Ezechiele ita ad illum sermo dirigitur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam in decore tuo (Ezech. xxviii, 17)*. Quasi diceret: Quoniam ex decore elationem suscepisti, ex decore sapientiam perdidisti.

(296) Alii vero diabolum nequaquam tantæ excellentiæ existisse credunt, nimirum statim a veritate se avertit, propria potestate delectatus. Beatæ ergo vitæ dulcedinem non gustavit, quam non acceptam fastidivit, sed nolendo accipere amisit. Sui ergo casus præsciis esse non potuit, quia sapientia, pietatis est fructus. Continuo autem cecidit, non ab eo quod accepit, sed ab eo quod acciperet si subdi voluisset. Quod autem ait Isaias: *Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris (Isa. xiv, 12)*, etc. Et Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis (Ezech. xxviii, 12)*, etc., quædam in eum, plura in corpus ejus conveniunt.

CAPUT XLIX.

Quod diabolus maculat, et de maculatis.

(297) Qui humani generis inimicus suis cum satellitibus, dum omnibus insidias parat, gemina sceditate maculat, prius cogitationis, postea actionis. Nam nisi mens peccaret, lex concupiscentiam non prohiberet: si sola peccaret, non furtum, non homicidium, non cætera prohiberet; suffecisset enim solam prohibuisse concupiscentiam.

Sed dices quod extrinsecus fit, prohibetur, non quidem quod aut alterum a prava voluntate sit peccatum, aut ex ipso interior sceditas sumat incrementum; verum ne quis id velit quod sine culpa velle non possit. Quid est ergo quod iudicium sanctæ matris Ecclesiæ, excessus filiorum actuales, si in culpa non sunt, tam dura animadversione castigat, ipsam vero voluntatem, quæ sola rea est; aut nulla, aut nimis facili satisfactione condonat? Ergo si male vis, nocens es; si male volens opus superaddis malum, nocentior es. Unde primi parentes prævaricari volentes, mali facti sunt; prævaricantes morte cæsi sunt. Nimirum *ante ruinam exaltatur cor (Prov. xvi, 18)*. Mater ergo Ecclesia suum imitata facto-

(296) August., l. xi, De Genesi, c. xxiii et xxiv.

rem, recte cor pravum accusat, opus malum flagellat. Est autem malum opus, malaque vita, ubi undique sibi miser complacat. Hic si quæ bene agit, parum aut nihil proficit.

Est autem alter qui nihilominus **203** inquinatam degit vitam, sed ratione consulta, anxiatur ex sorde, desiderat benefacere, consueti tamen dulcedine mali revocatus, quod bene cupit, implere nequit. Calice ergo Babylonis potus, dum inextricabili sæculi hujus tempestate jactatur, licet quodammodo portum optet, naufragio tamen hæret. In hujus enim mente sibi invicem repugnant voluntates, bona una, mala altera, sed mala vincit et bona gemit: clamet ergo ad illum qui solus exaudit in abscondito tempestatis. Ad Dominum cum tribuletur, clamet et exaudietur, dicat: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine (Psal. vi, 3)*. Sententia Salvatoris est: *Omnis qui petit accipit (Matth. vii, 8)*. Petat ergo assidue, petat devote, ad opera misericordiæ refugiat, disciplinam apprehendat, et qui dedit ut exire ardeat, dabit tandem ut exeat. Homo ergo malus, sed volens fieri bonus, propter quædam sua, imo et Dei bona, respicitur a Deo et liberatur a malo: Deus enim bona hoc in sæculo largitur, aut terrena quæ abundantius contingunt perditis; aut altera, inter quæ est timor gehennæ, quibus peccator commutatur a via sua prava; aut tertia quibus vir jam justus dignus fiat corona. Prima dantur ut inde in terra vivatur, secunda supplicationes, et quædam via sunt, ut ad illa quæ remunerabilia sunt pertingatur. Hujusmodi ergo bona quodammodo vigent vivuntque: quamvis enim nondum bonus sit is a quo fiunt, tamen ideo fecit ut per minora, bonis majoribus atque retribuendis locus præparetur; et sic bonus fiat. Qui enim nondum maculam suam odit, mavultque in ea vel ad tempus detineri, is nondum bona agit viventia. Sed quoniam vitium amat unde interim exire non curat, quidquid boni agit, mortuum reddit: quippe hæc mala arbor est, quæ non potest fructus bonos facere (*Ibid.*). Illa autem quæ suo anxia de germine noxio tristatur, atque de exstirpando meditatatur, jam mala arbor non est quoniam malum germen suum detestatur; bona nondum est quoniam, licet invita, malo germine oneratur. Medium ergo tenens statum, quod est, execrabile putat; quod non est, ardentem optat; sed valetudine morbi tardatur. Quæ ergo interim recte quodammodo aguntur, ea agenti nec pœnam nec præmium ingerunt, id tamen merito suæ dignitatis, nisi a proposito defecerint, certa ratione acquirunt ut vitiis devictis, ea tandem obtineas unde mercedem speres. Sed qui præmiis est indignus, adhuc a charitate est alienus; qui autem charitatem non habet, nihil illi prodesse potest (*I Cor. xiii, 15*). Qui ergo turpiter vivit, quamvis introrsum doleat, charitate quæ non agit perperam privatus, quomodo illi, non dico in aliis, imo et spiritualibus consequendis propter gesta bene cedit?

(297) Mag., l. ii, dist. 42.

Sed non omnino alienatur a charitate qui sibi displicet bonusque fieri satagit. Unde quoniam quibusdam charitatis præventus est primitiis, primitiva quoque quædam operatur bona, quo charitate ipsa tandem inflammatus, condigna charitate meliora atque veriora superaddat bona. Nam ubi nihil charitatis adest, quod contingit quoties scienter una macula amatur, ibi nihil boni viventis atque valentis esse potest, sed juxta charitatis augmenta augentur et operum merita. Quisquis autem vitæ suæ sordes ad purum evincere contendit, si non statim omnimode se exonerare potest, partem deponere prodest, ut fœda seclerum sarcina particulatim saltem diminuatur, sicque tandem annulletur. Sicut enim ille qui inquinamenta sua partimoditè dimittit, quoniam ex alia parte amplexatur, ex ante actis veniam non æstimo dandam, quamvis nonnihil is proficiat qui dum culpam statuit, pœnam sibi non extendit; ita illi, qui sibi totus displicet, conaturque meliorari, quamvis non idcirco possit quod optat, attamen veniam interim dari puto, si quæ odit et deserit: appropinquat enim Deo et appropinquabit ei (*Jac. iv, 8*).

Sed, cum modicum fermentum totam massam corrumpat (*I Cor. v, 6*), fermentum autem sit peccatum, massa vero bene gesta; quomodo simul cum peccato bene gesta **204** ingerit? Sed cum fermenti deficit acredo, deficit et corruptio. Sic quoque cum amor peccati abigitur, fel etiam venenandi bona forte propulsatur. Nemo tamen in facinoribus quæ odit torpeat, ne morte præventus ante pereat quam scelera sua, quæ non satis odit, deponat: nam si perfecte odisset, utique quasi sub pede calcata triumphasset. Nunc autem et odit et diligit: diligit illectus sensualitate, ratione autem consultus et quod male agit, et quod male diligit, odit. Nec sic quidem jugo servitutis oppressus cervicem expedire valet, sentit enim legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivitatem. Quis ergo miserum liberabit de corpore mortis hujus, nisi solus Christus? (*Rom. vii, 24*.) Christus utique liberabit, sed illum qui perseveraverit pulsans clamansque: *Libera nos a malo* (*Matth. vi, 13*). In quo aut uno, aut quod nequius, est multo, quidam adeo involvuntur, ut non exeant, nec exire cupiant: aut nondum, aut, quod pessimum est, nunquam emendari curantes. Pessimi homines cum descenderint in profundum vitiorum, contemnunt exire (*Prov. xviii, 3*). De hujusmodi nulla superest spes, nisi forte respectus Dei voluntatem infundat, ut aut meliores fieri desiderent, aut desiderare saltem concupiscant, juxta illud: *Concupivit anima mea desiderare justificationes* (*Psal. cxviii, 20*).

Inest unicuique naturæ beneficio hujusmodi voluntas, qua quodammodo quod iniquum est abominetur; quod justum, amplexetur; adeo infirma, ut per eam nemo promoveatur, quisque accusetur.

(298) Conc. Trident., sess. 6, c. 15: « Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus

A Unde Apostolus: *velle mihi adjacet, perficere autem non invenio. Adjacet* quoniam juxta est et jacet: *jacet* quoniam quod volo efficere nequeo. Sed voluntas quæ ex gratia Dei inspiratur, tantæ virtutis est, ut nunquam absque effectu sit, nisi cum ipse homo (298) gratiæ defuerit. De hac voluntate sic ait Apostolus: *Deus enim qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philipp. ii, 13*). Quisquis autem hujusmodi voluntate præditum se sentit, dono Dei aggratuletur, obnixè gratias agens, promoveri petens. Quare si in malitia degens adhuc, bene velle saltem desideret, bene velle petat. Si autem jam bene vult, ad effectum properans de malitia exire contendat; ex quo peccata dimiserit mox veniam postulaturus; qua a iudice pio absque difficultate accepta, jam tempus est sanctam vitam sanctitatisque præmium exproscere. Et rectus ordo hic est. Neque enim dum malus es veniam sperare potes, aut ante veniam, quod justorum est, recte exspectes. Iniquitatum ergo de profundis clamantes, quia apud Deum propitiatio est (*Psal. cxxix, 4*), abstracti propter legem misericordiæ, de venia confidimus, per veniam autem sperabit anima nostra in Domino,

CAPUT L.

Licet bona a Deo sint, nonnihil esse hominis.

(299) Notandum autem quod cum omnem voluntatem bonam, sermonem quoque purum, insuper autem et castam operationem divina munificentia largiatur, in primis tamen tribus nonnihil est hominis. Unde postquam Apostolus de coapostolis agens, dixerat: *Abundantius illis laboravi*, mox subjunxit, *non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor. xv, 10*). Non enim ipse solus, sed gratia Dei adjutus laboravit: quæ angelis omnibus, primis quoque hominibus pariter bene creatis proposita, ab alio repulsa, ab alio libertate arbitrii suscepta est; sed vitii proprii erat, quod paratum sibi auctoris adiutorium, ille refutavit: quod autem is cohæsit, et ex propria prodiit voluntate, et primo ex datoris largitate. Quod enim beneficis porrexit, hic gratanter accepit, ingratus ille neglexit: libertas enim arbitrii semper per se torpet, atque sopita jacet, nisi cum gratia Dei adveniens excitat insufficientem. Ipsa alios flagitiis implicitos, prout illis dignum est, sibi derelinquit; alios autem, quoniam digna est ipsa, visitare disponit, id in homine actura, ut qui per se nullius est potens boni, jam id libere efficere possit, nisi deesse gratiæ ipse malit. Quippe quoties gratiæ **205** id placet ut se cuiquam offerat, is utrumlibet aut gratiæ cooperans agit, aut ea sprete male agere non desistit. Cum autem gratia suscepta bene vivitur; alius felici in proposito perseverat, alius pravitate consuetæ resorptus, pedem revocat. Sed quod iste recidit, ideo fit quod gratiæ sine qua nunquam bene vivitur, non consentit: quod autem ille in bono perseverat, gratia operatur, cum qua con-

bonum, ita perficiet, etc. »

(299) Mag., ii, dist. 26.

cordat. Unde patet quod omnium bene gestorum prima præcipuaque causa gratia est; quippe quæ bona cœpta prævenit ut subsistant, subsequitur ut maneat. Nostrum autem apud arbitrium, nonnulla, verum secundaria recte agendorum auctoritas conversatur. Nimirum facultatis nostræ est ut præventi gratia per ipsam bene agamus; subsecuti eam, a bono nequaquam desistamus. Quare liberi arbitrii meritum aliquod est, dum mandatis Dei obsistere abhorrens, Deum jam colere inchoat, atque in inchoato, Deo placere cupiens in postmodum perseverat. Nam quamvis gratia revocat errantem, perducit obedientem; trahit tamen voluntarium, nec cogit invitum, adeo valens, adeoque vicens, ut quamlibet perversi voluntatem, vitamque in quantumlibet emendationis gradum, absque omni difficultate et coactione, quoties libuerit immutet. Is quoniam conversioni, cui restitisse poterat, maluit acquiescere; quoniamque in via Dei constitutus deviare potens id noluit, quoniam demum non, ut plerique faciunt, cooperari gratiæ neglexit; verum illam amplexus per omnia sequi studuit, præmio dignus æstimatur; nam juxta Scripturam: *Regnum Dei non est dantis sed accipientis*, id est, non solum provenit ex dono largitoris, verum etiam ex labore servientis.

Quamobrem si Deum contemplaris, ad quem quoniam torporem liberi arbitrii ipse excitat, promovetque, rite utique refertur, quidquid laudabile nostram penes facultatem invenitur; merito omne bonum nostrum gratuitum judicatur donum. Sin autem vires liberi arbitrii attendis, quod nulla necessitate impulsus, sponte tantum oblatæ gratiæ se coaptat; jam bonum nostrum quodammodo debitum æstimatur, ut juxta opera quisque sua rite judicetur. Unde nostrarum elegantia actionum, et gratia est et meritum; gratia tamen tanquam duce per omnia sibi vindicante primatum. Unde quidquid meriti est, rite gratiæ accommodatur, quæ illud et ut sit promovet, et ut maneat comitatur: nam *omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17). Unde non solum gratia quæ a Deo missa nostram pungit pigritiam, verum quoque ipsum assentire cooperarique gratiæ, quod utique ex nobis est, verum eo modo quod non nisi gratiæ prævenientis auxilio fieret, nec factum nisi gratiæ subsequenti subsidio maneret, opus quodammodo Dei est. Opus ergo bonum omne quod agimus, non soli nos, imo cum Deo facimus. Unde Dominus cum viro fideli loquens ait: *Opera quæ ego facio et ipse faciet* (Joan. xiv, 24), fidem enim castam, voluntatemque param et quidquid ex his quasi jactis seminibus germinat virtus divina in homine, non tamen nisi cum homine operatur; spiritus enim invisibiliter et occulte, quoniam *nescis unde veniat et quo vadat* (Joan. iii, 8), animum nostrum ad voluntatem atque fidem cum operibus trahit, suisque modis et fere incognitis nobis, omne bonum quod in homine est operatur. Operatur et homo bona sua,

(599) Mag. l. iv. d. 22. Aug. l. i. De bapt. c. 12.

A suis utique modis, magisque sibi notis, dum quod Deus docet, homo credit; quod Deus inspirat, homo diligit; tandem quidquid benefacis, cum Deo faciente facis. Ipse enim *cum sancto sanctus erit, et cum viro innocente innocens erit* (Psal. xvii, 4): quippe cum sancto est sanctus, qui viventem sancte adjuvat in sanctitate. Et hoc est quod Apostolus postquam quantum egerat intimavit, mox quod non per se laboraverat, sed per Deum, subintulit, dicens: *Non ego, sed gratia Dei mecum* (I Cor. xv, 10).

206 CAPUT LI.

Quis mereatur cæli civis esse.

Per quam [supp. gratiam] si quis vitam corrigere satagit, ante omnia inspicere debet, utrum de patratione vitiorum, non quorundam, sed omnium, timere Dei, non mundi, ingemiscat; adeo ut nulla ratione velit fecisse aut facturum esse, illa aut alia. Quisquis autem se hujusmodi perspexerit, fidei morumque normam sincera rerum notitia comprehendens, quia in his *ignorans ignoratur* (I Cor. xiv, 39), (quippe cum in fide erroneam, aut in moribus scædam sententiam quemadmodum et vitam tenens jure damnetur) is si veniam sperat, et orat, charitateque polleat, pœnitentia contritus, cognitione salubrium perspicuus; is, inquam, et non alius, jam et non prius, gaudeat concivis regni cœlestis ascriptus sanctis. Unde Dominus: *In hoc autem gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælo* (Luc. x, 20). Hunc si ante confessionem præveniri morte contigerit, tantum confessionem non repudiaverit, quantumlibet spiritu purgatorie multandus, tandem tamen pulsa ambiguitate cognoscitur salvandus. Quisquis enim facinora sua sacerdoti pandere noluerit, aut timore mundi perterritus, aut inhonestate rei verecundatus, is nulla ratione veniam impetrat; aut si prius confiteri optabat, jam id agit ut impetratam perdat. Sic quisquis cordis compunctione fit contritus, seu confessionis patefactione purgatus, si reversus ad vomitum pactum refutat, is dimissis jam flagitiis denuo se obligat (300). Ita enim facta pacti dissipatione pacto dimissa repetuntur, sicut plura servo nequam, quoniam veniam rogarat, debita prius dimissa postmodum exiguntur; quoniam quod oportuit conservo pauciora debenti commisereri respuit. Utique vera ratione interim dimittebantur, quod patet quoniam ab interim defunctis minime requirerentur. Sed dimissio vires non habet, nisi dum contra ejus legem non agitur. Unde patet quod confessione peccatorum valde est opus.

Sed nemo præceps quod sui juris non est, sibi arroget, arbitrans id facultati suæ liberum, ut pro libitu confiteatur; donum enim Dei est. Unde Propheta: *Confessio et magnificentia opus ejus* (Psal. cx, 3). Potes quidem peccata tua sicut Sodoma gloriando prædicare (Isa. iii, 9). Potes item sceditatem tuam scædo cum corde annuntiare. Sed ut salubriter annunties, non ex te, verum munere Dei provenit. Sic quodlibet bonum opus ut male fiat penes te est; ut

autem bene, non est penes te. Quod si confessio oris ex te non est, quantominus pœnitentia cordis ex te est, unde confessio vires habet et sine qua non valet?

(301) Sed confessionum unam licet fieri coæqualibus; altera, nisi extrema urget necessitas, debetur sacerdotibus. Si quotidianis, et his sine quibus non vivitur urgeris, sufficit hujusmodi confiteri comparibus, imo nonnunquam et minoribus: quo more presbyteri usitate et quotidie indifferenter circumstantibus confitentur.

(302) Sed confessionem si non singulatim, quoniam id præ multitudine raro fieri potest, nec semper cui, dicerent fiat [*forte dicenda sit*], præsens est; at saltem generatim, et id sæpiuscule fieri utilissimum est. Nam sedulitas confessionis, maxime sacerdoti facta, nominatimque expressa, id virium obtinet, non solum ut reus expiatur, verum quoque ut vitiorum crebra impugnatio retundatur, protervitas inquietationis hebetetur: illiusque passim confessionis Jacobus meminit, inquiens: *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini* (Jac. v, 16) (303). De illis juxta hujus expositionem, peccatis, mandatum tradens, sine quibus non vivitur; quæ videlicet per ignorantiam, sive infirmitatem humanam committuntur, quorum omnium, ideo est facilis venia quoniam non est consensus in culpa. (304) Nam ut eadem testatur expositio, quæ ad deliberationem fiunt, non nisi per pœnitentiam indulgentiam accipiunt. Auctoritatem ergo sequentes gravioris lepræ immunditiam **207** sacerdoti pandamus, et quanto jusserit tempore purgare curemus.

Petrus et Maria veniam uterque obtinuit culpæ, neuter tamen confessione (Luc. vii, 47; Luc. xii, 61), verum illa quoniam dilexit multum, ille respectus a Domino amaritudine fletuum (305). Quorum nonnulli exemplo arbitrantur pœnitentis sufficere anxietatem, etiamsi recuset confessionem, cui rei æstimant convenire, *lacrymæ delent delictum quod pudor est confiteri*. Utique quod te pudet et tædet confiteri delictum, est lacrymis delendum. Verumque est quod non risus delent delictum quod impudens confitetur, imo econtra, si quis cum rubore confitetur ejus delictum non deliciis, sed lacrymis deletur. Confessionem autem obnixè et Scrip-
C

D
tura mandat, et Ecclesia statuit. Quis nisi nimis audax mutat, nisi nimis præsumptuosus invertit, abutens exemplo Mariæ et Petri? Nam cum homine necessario agas locutione, accusatio conscientiæ sufficit apud eum qui omnia novit.

(306) *Petri et Mariæ lacrymas lego, aliam quam hanc satisfactionem invenisse non recolo*. Quid inde? Num omnia quæ contigerunt scripta comprehendunt? quid si præsentia Domini miserante unæ lacrymæ suffecerunt, num idem omnes expectabunt? Mulier

A deprehensa in adulterio liberata est (Joan. viii, 10), nullus reus amplius cruciabitur; latro de cruce translatus est ad requiem, nihilominus alii salvantur: *Sic tamen quasi per ignem* (I Cor. iii, 15).

(307) Nam privilegia paucorum communem non faciunt legem. *Revela Domino viam tuam et spera in eo, et ipse faciet* (Psal. xxxvi, 5), revelas Domino, dum revelas vicario. Si apud Dominum accedere posses, apud Dominum te accusares. Verum quoniam id interim non licet fieri, Domini loco uteris vicario. Et stant atque vigent apud Dominum quæ consulte fiunt decreta ministrorum. Teste namque Domino, *quorum remiserint peccata remissa erunt, et quorum retinuerint retenta sunt* (Joan. xx, 23). Et quoniam quasi Deo ita confiteris presbytero, ideo
B occulta tua ita celet quasi non sibi, sed Deo soli detecta fuissent.

Unde cujuslibet flagitii malefactores malefactique conscios, tam sibi per confessionem notos quam aliis incognitos, quasi solus Deus cor illorum pravum atque impœnitens sciret, ipseque nesciret; ita publicis conventibus ad altaris refectionem, eucharistiæque participationem accedentes, simul cum aliis recipit. Non enim quos per confessionem novit indignos, detegere publica accusatione licet, nec a communione communiter cunctis scandalo inflicto, illos quos æstimat sotes repellere decet. Unde Dominus Judæ, dignus inter dignos, indigno sacramenta corporis sui distribuit; subdolum parricidamque sciens, sed detegere cavens, exemplum ministris suis proposuit. Qui moniti atque rogati quempiam maleficum, atque maleficii conscium, utrumque sibi confessione cognitum, cæteris vero incognitum, ideo anathemate ferire, quoniam ad flagitii, nec ille a se commissi satisfactionem, nec is a se noti publicationem licet ecclesiasticæ consuetudinis admonitione vocati appropriare curant, nihil verentur efficere quod rogantur, id est, excommunicatione indeterminata, nec nominibus propriis definita, maledictioni obligare scelertum, obligare et conscium. Neque enim dæmones quorum conatu, neque angelos Dei, quorum sub scientia, imo neque Deam ipsum, in ejus perspicaci intuitu omnia fiunt; tandem neque se quorum etiam sub conscientia delinquitur, anathematizare intendunt. Tantum in homines maledictio effunditur, quorum culpæ noxia actio imputatur. Cui ergo imputatur nisi ei qui fecit, aut facienti adfuit, aut cum posset, a facto haud deterruit, aut tandem qui consciit, cumque jure deberet, non vigilavit [*fort. vulgavit.*]

Anathematum unum sub propriis nominibus certificatur, quod auctoritas Scripturæ commendat. Unde Dominus eum qui nec te solum, nec coram testibus arguentem, imo tandem si nec sic Eccle-

(301) d. 17, § 5.

(302) Mag. l. iv, d. 27, § 5.

(303) l. iv, Sent. d. 17. In Glossa,

(304) In Glossa ex Beda.

(305) iv, Sent. d. 17, § 3. Ambros., lib. x, in Lucam ad cap. xii, edit. Paris., col. 216.

(306) Ambr. supra.

(307) In regulis juris.

siam audierit, jubet habere sicut ethnicum et publicanum. Apostolus (*Matth.* xviii, 18) quoque quemdam **208** cujus sordes patebant, imo quoque putebant, jubet tradere Satanæ (*I Cor.* v, 5). Quid est tradere Satanæ, nisi excommunicare? Nimirum vir malus, licet sit putridum in corpore Ecclesiæ membrum, attamen dum quolibet modo Ecclesiæ membrum est, quodam modo bene gestis Ecclesiæ impetus Satanæ retardatur. Verum ex quo evangelica anathematis falce a sinu matris Ecclesiæ præciditur, illud tantillum vitæ quod obtinuit in corpore, separatum perdit, ac per hoc dum excommunicatur, Satanæ traditur, quoniam libera jam potestate proprio jam jure ab adversario fatigatur, aut corporali cæsione vexandus: quod fiebat ubi Paulus Satanæ tradebat; aut spirituali plaga fœdandus, quod quotidie fit dum Ecclesia excommunicat. Excommunicatio autem hujusmodi quæ in certam fit personam, non prius fieri debet quam diffinite, et non suspicione, is qui sceleris arguitur, anathemate dignus perpendatur: imo quam ecclesiastico more vocatus ecclesiasticum subterfugerit jus: unde Dominus eum qui te nec solum primo, nec coram testibus secundo, imo nec ipsam Ecclesiam tertio arguentem audierit, jubet habere sicut ethnicum et publicanum. Merito ergo qui toties vocatus, matri satisfaciendo non auscultat, genitricis gremio, obstinatiæ culpa se abalienat. Abalienato autem usque ad reconciliationem auctoritate excommunicationis communicatio omnis fideliumque negatur consortium, ratione hujusmodi, ut hinc collegio sanctorum expulsus, inde vi Dæmonum crebra plus solito vexatus erubescat sibi que timeat, atque ita necessitate quadam compulsus, ad pacem confugiat, descendens Babyloniam, ibi liberandus. Neque enim presbyter Ecclesiæ, minister et organum quemquam ab Ecclesia segregat, nisi intentione tali, ut meliorem reducat, more Apostoli sceleratum virum tradens Satanæ, ut spiritus salvus sit in die judicii. Alioquin si ideo anathematizat, ut anathematizato male cedat, prius nocet sibi quam alii. Anathemate tamen nullatenus obligantur, qui ita anathematizatis communicant, ut ab illis jure conditionis disgregari non debeant.

Alterum quoque genus excommunicandi est, non adeo divinæ paginæ notum, verumtamen ecclesiasticæ consuetudini (cui refragari fas non est) notissimum, quo injuria latenter illata, tacitis, quoniam nesciuntur, nominibus, voce præconis feritur. Hæc anathematis species tam a prima est diversa, quam ab illius proprietate cognoscitur aliena. Hæc enim quoniam nomen non exprimit, cui communionem tollat, nescit, imo nulli tollit. Tales eorumque complices post comminationes anathematis anathematizantur ad correctionem. Si corrigi negligunt, ipsi augmentant sibi damnationem, nisi forte priusquam hinc abeant, Domino viam suam revelent.

Opera bona via sunt, quia ad Deum dirigunt.

Hæc via, ut superbia vitetur, raro est prædicanda.

Unde Dominus non tam sibi cavens, quam nobis providens, magnifica sua sibi mandat. Paulus autem quæ sibi gloriose contigerant, ignorantibus cæteris ipse propalabat, non ab hominibus gloriam quærens, verum quod de apostolatu suo, suam ad perniciem minus bene sentiebant. Quantum ergo in te est, tua bene gesta celari optes; cum vero, nisi patefiant, scandalum in te futurum est, quæ prius taceri volebas, invitus jam reseres. *Invitus* vanam gloriam formidans, *reseres* tamen, fratrum salutem desiderans.

¶ Mala quoque vita vocatur via, quoniam qui eam persequuntur gehennæ incendiis intrudentur, quam cum possis, nisi manites, Deo utique placari non potes. *Quare revela Domino viam tuam* (*Psal.* xxxvi, 5), non ex parte, sed totam. Totam, ut nihil memoriæ suggestum abscondas. Tanta enim se non modo venialium, verum etiam damnabilium ingerit turba culparum, illis qui desidiæ socordiaeque usu facinorum manciparunt ministeriis, ut aut nimis **209** difficile, aut prorsus reddatur impossibile, singulorum confitendo prosequi vitiorum nomina et numeros. Offensam ergo omnem animo occurrentem sacerdoti detege, cum mœrore fatens tuam per negligentiam quam plura tacere non tacenda, rogans Deum ignorantias tuas ne meminerit. Nimirum generalem esse oportet cordisque compunctionem, orisque confessionem. Unde Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi* (*Psal.* xxxi, 5). Quare delictum tuum adeo confitendo cognitum facias, ut injustitiam tuam in nullo abscondas. Si enim vulnus vel unum, ejus reformidans crudelitatem celas medico, licet cætera plenissime sanari contingeret, nonne quod superest sua in curatione perniciosum foret [*fort. sine curatione, vel incuratione, unico verbo*]? sed quamvis corde prius contrito virus interiora premens oris postmodum confessione evomueris, evomitum autem satisfaciendo, a tui vicinia propulsaveris, morbi jam consuetudine quodammodo levigatus, nihilominus tamen reus teneris, quoniam a culpa, licet eam dimiseris, nondum es absolutus, donec si quam adhuc amplecteris, et illam deponere cœperis. Plane sciens pœnitentiam cordis absque confessione oris nunquam valere; confessionem autem absque pœnitentia semper infructuosam esse.

Qui vere utiliterque confitatur, is, prout res gesta est, persequatur, nec ultra quam res se habet, turpitudinem suam exaggeret, nec ipsam abhorrens verborum appositione excuset. Contemptus supra id quod æquum est, in altero expetitur, in altero timeatur, in utroque autem veritas periclitatur. Quare quidquid deliquisti annunties, et prout deliquisti ita annunties; hanc metam nec prætereas, nec citra remaneas magis minusque cave, quod est, et cujusmodi est, exsequere. Plerumque enim quod in gestione negotii contingit, gesto negotio aut prævalet, aut reatum adjungit. Ratione ergo tali: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet* (*Psal.* xxxvi, 6). Nam qui tali modo viam revelat, veniam

sperare debet, facietque Deus quod sperat. Opus est sperare, quia sine spe non est impetrare. Verumtamen si quis vitam non corrigit, et veniam sperat, is frustra sperat, quoniam speratum non impetrat. Nimirum *maledictus homo qui peccat in spe* (*Ser. xvii, 5*); quoniam secure peccat, ut cum potius gehennam timere deberet, veniam expectat, inquit: *Misericordia Dei magna est* (*Psal. lxxxv, 13*). Magna utique est; sed converso, quoniam ira debetur averso.

Post compunctionem cordis, et spem veniæ, post denique confessionem, opus est supertisti pœnitentiæ fructibus. Sicut enim compunctio nihil est sine spe, nec utrumque sine confessione; ita tria simul inefficacia sunt, si cum tempus suppetit et possis, aut a presbytero pœnitentiæ lamenta non recipis, aut recepta peragere parvipendis. Licet enim confessionis puritate acceperis veniam, si postmodum negligis satisfacere, perdis acceptam. Sicut qui confratrum delicta non dimittit, dimissionem sibi a Deo factam manere facit. Quisquis tamen caveat onus importabile sibi assumere, ne necessitas cogat sub fasce a presbytero non recte imposita succumbere. Dum enim qui onera importabilia in humeros hominum imponunt, a Domino redarguuntur (*Matth. xxiii, 4*); hi qui imposita suscipiunt, minime laudandi insinuantur: quod enim importabile est, usquequaque recusari debet. Quare quod vires ferre possunt et debent, ex quo susceperis non deponas, imo suscipe (308), nec deponas: *Apprehende disciplinam, nequando irascatur Dominus* (*Psal. ii, 12*). Quisquis offendit, supplicii reus est; si supplicium refugit, offensa crescit. Unde iratus Deus et qui eam, quæ ultro fit, reformidat anxietatem, illam infligit quam tolere invitus longe graviolem. Nam, ut Scriptura perhibet: *Qui timet pruina, irruet super eum nix* (*Job vi, 16*), id est, quisquis male agens a pœna humanitus inferenda præcavendo defenditur, is ab illa quæ cœlitus debetur, incautus præoccupabitur, evitans facilem, incidens in gravem.

210 CAPUT LI.

Quomodo sit consulendum reo.

Et quidem qui peccato præpeditur, ita sibi provideat. Qui autem consulere debet præpedito, is aggressurus opus, quod vix a quoquam satis diligenter beneque peragitur, invocata divina opitulatione se præmuniat; deinde attendens:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando fecerit. Nam juxta harum qualitatem circumstantiarum, qualitas ipsa negotii perpenditur, et vel levior, vel gravior culpa æstimatur. Cognita causa quoniam nullum peccatum impunitum (Deus enim non miseretur omnibus qui operantur iniquitatem, ulciscens in omnes adinventiones eorum) (*Psal. xcvi, 8*), sacerdos pœnam condignam reo impositurus excogitet, juxta illud: *Facite dignos fructus pœnitentiæ* (*Luc. iii, 8*); considerans quid cujusque vires valeant, quid ferre

(308) Videat Deus devotionem tuam etiamsi homo non condigne moderetur afflictionem tuam. Hugo

A recusent, quid culpæ jure debeatur, ut ita reus humilietur, ostendat; quod tamen tolerari possit, imponat. Alius jejunium, alius virgam, alius frigora, alius labores, tandem alius hoc, alius illud perferre potest. Medicus ægroto id genus curationis provideat, quod possit esse remedio, non languoris augmento. Nimirum quoniam dulcedine peccati Deum offendimus, necesse est ut aliqua satisfactione nobis anxia ipsum placemus. Unde primi parentes, quoniam offensam in amœnis contraxerunt, eam dura animadversione expiaverunt. Unde præter opera misericordiæ, quæ nostra de sufficientia nostro sine labore ministramus egenis, opus est ardore fornacis, unde rubigo consumatur pravitate. Hic autem ardor aut in præsentem suscipitur, aut in futuro non effugietur.

B Sacerdos ergo his de quibus rationem est redditurus, præsentem provideat pœnam, ut evitent futuram. Nihil ad eum pertinent alienæ oves, imo nec eas liget nec solvat, nisi cum ratio cogit atque necessitas. Consueverunt enim quidam suam abhorrentes maculam, non suos, sed ignotos expetere, apud quos, aut levius onerentur, aut minus confundantur. Hujusmodi pœnitentes tantum scelera sua deponant, damnationi non obligo; quoniam vero non, ut oportet, id agunt, durissimis non eos flagellis absolvo.

C Sin vero minus consilii apud suos sacerdotes inveniunt, atque ideo ab eis, aut accepta licentia, aut satisfactione pœnitentiæ injuncta ad alios melioris consilii viros confugerint, quorum nutu vitam corrigant, aut injuncta castigare satagant; hos non solum non accuso, verum prudentiæ vivacitatem commendo. Qualiscunque tamen sacerdos sit, et qualitercunque consuluerit, tantum pœnitens de commissis doleat, sacerdotique pandat, et quidquid religiose ille edixerit, hic suscipiat. Quod si deviat ille, viam teneat iste, ne cæco cæcus ducatum præbeat, et in foveam uterque cadat; pœnitenti, inquam, rationem sectanti nocere non poterit error presbyteri. Presbyter fortasse indiligentius acerbitate flagelli vulnus curat peccati, sed periculum salutis ibi nullum est pœnitenti. Caveat sacerdos sibi; quippe quidquid minus fit a presbytero, suppletur a Deo. Sicut, si medicus modum excedit secando, totum suo rex militi rependit in cœlo. Si non, ut oportet, sacerdos punit, pœnam Deus superaddit, aut in futuro ignibus purgatoriis, aut in hoc sæculo variis modis pœnitentem nunc confusione afficiens, nunc cruciatu cadens, nonnunquam quæ chara habebat tollens. Neque enim si sacerdos inscienter solvit aut ligat, judex justus imprudens decretum servare curat; aut si servat, quomodo ille juxta (309) auctoritatem propria se potestate privat? Nimirum tunc privaret, si iudicium non staret: *Facite igitur dignos fructus pœnitentiæ* (*Luc. ii, 8*); *apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus* (*Psal. ii, 12*); *durum est enim incidere in manus Dei viventis* (*Hebr. x, 32*).

Sed si usque adeo opus est disciplina pœnali, quid Vict., De sacram. part., l. iv, c. 3.
(309) Greg., hom. 26 in Evang.

est quod *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* iv, 8); **211** quod eleemosyna exstinguit peccatum? (*Dan.* iv, 24.) Sed fortasse, imo certe, charitas id efficit ut peccata ad pœnam æternam non sint, et id non facit ut non sint ad purgatoriam. Eleemosynæ autem ea fortasse virtus est, ut incentiva vitiorum exstinguat. Unde et præmittitur: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccl.* iii, 33). Quid est, *sicut et ita*, nisi quod quemadmodum aqua exstinguit ignis incendium, ita eleemosyna culpæ incentivum? at incentivo remoto restat adhuc pœna debita peccato. Potest tamen esse, imo fas est ita credere, per opera misericordiæ pœnam temperari. Nam *beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7), non solum in futuro, verum quoque et modo. Charitatem ergo et opera misericordiæ, quæ ex ipsa charitate, tanquam de bona radice se sublevant, parvipendenda non puto; cum ex illa peccatorum sit remissio; ex his, remissorum solitæ inquietationis mitigatio: ex utrisque autem et pœna peccato debita, in præsentem temperetur, et in futuro gloria sine termino debeatur.

CAPUT LIII.

Quomodo sit agendum cum ægro, quomodo cum sano.

Sacerdos quoties consulendum est reo, aliter sciat agendum cum eo qui est corpore æger, et quasi desuper terram iturus; aliter quoque cum sano. Inter sanos autem aliter is instruendus est, qui de crimine accusatus, aut timet mortem aut membrorum incisionem; aliter qui Deum timet, mundum autem non veretur. Nam qui accusatus mundum timet, monendus est ne plus temporalem pœnam expavescat quam æternam; monendus est ne adeo hominem timeat ut Deum offendat; monendus est ne divini examinis discussionem subiturus, illum prius exasperet perjurio, quo post in examine eget patrono. Nam qui pejerando summum iudicem despicit, quomodo postea in iudicio ipsius confidit? Nihil ergo aliud reo consulendum, nisi ut abhorrens perjurium, pœnam potius a iudice temporali temporalem suscipiat, quam ea paulisper dilata, ab æterno mereatur æternam, sciens quod *non iudicabit Deus bis in idipsum* (*Nahum* i, 9, juxta LXX). Quippe qui inspiciens anteactam vitam suam corde conteritur et humiliatur, is si pœnam qualibet pro culpa sibi oblatam patienter suscipit, futuram eadem de culpa effugit (309). Sic Sodomitas, sic mari Rubro submersos; sic denique in deserto prostratos punivit in præsentem, ne (310) puniret in æternum. Sin autem reus convenienter a presbytero instructus, carni consentiens, id potius eligat ut perjurio patrato in ambiguum periculi, atque salutis præceptum ruat; sacerdoti (qui hujusmodi iudicia ab Ecclesia Christi putent [*fort* procuret] exterminanda) nihil aliud restat, nisi ut omnibus more ecclesiastico ce-

lebratis, id permittat fieri, quod per confessionem culpa cognita minime potuit castigari.

Quod si eum qui ex confessione est reus, rerum quoque divina pandant iudicia (iudicia enim Dei abyssus multa) non videtur ad sacerdotem pertinere ad hujusmodi accedere debere. Ex quo enim Dei iudicio convictus, aut ipso in maleficio deprehensus, iudici mundano traditur, iudicem pro sacerdote (311) habet, quoniam ipsi occulta scelerum pandere oportet, a quo pro ipsis pœnam recipiet. Nam si tales visitet sacerdos, pravorum flagitia roborantur spe confessionis et eucharistiæ,

Sed si Christus a pœnitente et confesso suscipitur, quo ausu, præsertim a Christianis, templum Dei probro cruciatum violatur? aut si presbyter sacrarium Christi ab injuria se defendere non posse novit, quare in dedecus inhabitantis, habitaculum consecravit? Reus si ad templum saxi constructum confugerit, liber est: si vero ipse pœnitentia et confessione construitur, perceptione eucharistiæ in vivum, et verum templum dedicatur, liber non est? Iudices ergo aut sacerdotes arceant, aut reos et convictos, quoniam patronum suscipere Jesum **212** ne sacrilegi sint, absolvant. Nam qui post corpus Domini sumptum crimina admittunt, non de sumpto tutelam promerentur, sed pœnam; non honorem sed damnationem. Id nimirum agunt ut Deum quem sacramento susceperant, inhabitatorem ipsa re habere non debeant. Qui vero prius ignominiose viventes, lætum gratia Dei veniunt ad exitum, confessione mundati, Dominico corpore confortati, quomodo a fidelibus quasi perfidi (quod jam videri non debent) ad patibulum trahuntur? Nonne qui templum Dei violaverint disperdet eos Deus? (*I Cor.* iii, 17.) Quod si fideles nomine, infideles autem re, ei in quo Dominum suum sciunt, honorem deferre negligunt, nomine satius erat ut convictos confessosque sacerdos vitaret, cum nec ipsis (tantummodo rite pœniterent) ullum omnino periculum salutis immineret, et iudices a violatu templi Domini liberi fierent, maleficio autem cogitantes desperatio veniæ a conatu inordinato detineret, dicentes apud se: *Si id flagitii egero, et deprehendi contigerit, salus periclitatur, quoniam ut salver, presbyter non admittetur.* Nonne, inquam, satius id erat, quam si injuria servi incuteretur auctori?

Sed qui martyrio torquendi sunt, a sacramento corporis et sanguinis non prohibentur, nec qui eos viatico confortat, Christum se inhonorasse arbitratur. Sed aliud est pro flagitiis suis, aliud *pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v, 9). Illud probrosum, istud probum. Hoc causa cœli, illud figura inferni. Digne ergo et huic tanquam digno impenditur, et illi tanquam tanti sacramenti indigno eucharistia negatur. Dignus fortasse est vita propter pœnitentiæ compunctionem, indignus nihilominus eucha-

(309) Magist., iv, dist. 15, § 1 et 2.

(310) Consule notas.

(311) Consule notas.

ristia propter ignominiae pœnalitatem. Nam quomodo habitatore Jesu rite donatur, qui a catholica cœmeterii sepultura repudiatur? Cui corpus Domini confers, quomodo honorem sepulture invides? Quem merito confessionis et communionis Domino associas, qua fronte a servorum consortio alienas? Talem animam animæ sanctorum expectant in cœlo cœsortem, et tu animæ sanctæ corpus a sociarum corporibus reddis in terra extorrem? In sanctum Domini, imo et in ipsum Dominum graviter delinquis.

CAPUT LIV.

De reatu reum ex odio prosequentis.

Ille autem qui injuriæ sibi oblatæ causa, reum ad perniciem usque prosequitur et accusat; quoniam in fide Christi non malum pro malo rependere licet, reus est in proximum, quo plus amat rem aut ultionem homicidii. Ille fortasse non moritur, et hic homicida tenetur.

Qui autem ut accusatio verisimilis habeatur super reum jurat, si divino examine is postea absolvitur, ille plane perjurat. Et quoniam capitis accessit, dolensque non perficit; præter perjurium quod patrat ipsa re, homicida est conata et voluntate. Is aut quoniam publice peccavit, publice, pœniteat; aut si id neglexerit, ut dignum est, ecclesiasticæ disciplinæ succumbat.

CAPUT LV.

Quomodo agendum judici, ejusque ministro.

Judex ministerque ejus innocentium persecutoribus non consentiant, nec sedeat cum consilio vanitatis, et cum iniqua agentibus non introeat (Psal. xxiv, 5): potius eripiat pauperem, et egenum de manna peccatoris liberet (Psal. lxxxi, 4). Nihilominus tamen impium hominem ne sinat vivere: *Non enim sine causa gladium portat* (Rom. xiii, 14). Si tamen innocentem trucidat, aut trucidantem juvat, diabolus est, gladio abutitur; sin autem quem ratio reum evicit (neque enim indemnatum damnare licet) gladio percellit, minister Dei est; tantum caveat ne aut privato odio, aut alterius gratia, aut **213** nulla demum terrena impulsione id agat, quod solo intuitu justitiæ divinæque voluntatis, hominumque correctionis agendum fuerat; alioquin non judex æstimabitur reorum, sed atrocissimus persecutor hominum. **D**

CAPUT LVI.

De duobus Ecclesiæ gladiis.

Duos suo in conflictu gladios satis esse judicavit Dominus noster Jesus. Nimirum sancta Ecclesia quæ filius capitis corpus est, quæ etiam contra mundum certamen suscepit, gladiis eget (512) duobus in congressu, utroque signum crucis exprimente. Quippe nihil aliud aut defendere, aut oppugnare licet, nisi illud quo salva crucis reverentia fieri conveniat. Gladium alter deputatur Clericis, alter laicis. Si enim uterque uni committitur, neuter ut oportet

A exercetur. Unde: *Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis* (II Tim. ii, 4) (513). Nam Petrus uno aurem Malchi abscindens, alterum ad se nihil æstimavit pertinere. Sacerdotalis ergo dignitas, sæcularisque potestas, hos inter se duos dividant gladios. Hæc sibi corpus, illa spiritum propriæ ditioni subjugari arbitretur. Reum ergo feriat altera, corporali cæsione, altera corrigi nolentem, spirituali. Utraque ad hanc et non ad alium tendant finem, ut sui subditi, correctione facta, pacem ad invicem conservent. Nemo in potestate constitutus injurias sibi aut charis suis illatas, eo modo consideret ut vindictam, quod solius Dei est, retribuatur, juxta illud: *Mihi vindicta et ego retribuam dicit Dominus* (Rom. xii, 22). Verum quidquid in se et in suos **B** delinquitur, quasi in alienos actam arbitretur, ut non quærat ex furore ultionem, sed ex charitate correctionem. Nolit reo malum, sed quærat ipsi per tormentum emendationem; Ecclesiæ per exemplum, castigationem. Et sic non malum pro malo, verum pro malo bonum reddat. Nec sua repctat, nec se defendat, quoniam Christianus est. Et utrumque nonnunquam agat, quoniam judex est: tunc videlicet cum subditis suis violentia ab hostibus aut infertur, aut jam illata est, quod certare est potius pro suis, quam pro se. Sic rerum suarum fures et raptores convictos atque confessos, cum ratio correctionis postulat, punit; non vindictæ servientes, sed justitiæ. Sic magistri discipulos, parentes cedunt filios, dominique servos; non tantum dum in **C** alios, verum etiam dum in se delinquant; quisque, ut sua requirit potestas, subditorum satagens rese-carevitia, nunquam tamen, nisi cum errat, proprias quærens ulcisci injurias. Unde consensu Abrahæ Sara sibi rebellem affligebat ancillam (Gen. xvi, 6). Sic Joseph dum fratribus irrogat disciplinam, delinquentium quærit delere noxam.

Nemo se associet Judæ, ut veritatem et justitiam, quæ est Christus, in potestate sua non pro Christo suo transigat, sed pro pretio vendat. Neutra potestas aut quod sui juris est, spernat, aut quod alterius est, usurpet. Utraque proprios non excedens fines injuriis alterius insistat corripendis. Dum altera justitiæ inimicum persequitur, nec prævalet; altera ei quæ minus per se potest, toto nisu subveniat. Hæc prout ratio exigit, in carcerem detrudat, aut præscindat membra aut tandem, si ita opus est, letho multet. Illa gladio Petri, ei qui in Christum insurgit, sive agendo contra caput, sive contra membra, præcidit auriculam dextram, dum ab auditu verbi Dei arcet, aut suspensum aut anathematizatum. Et hi quidem duo sunt gladii ecclesiasticæ discipline deputati.

CAPUT LVII.

Quomodo sit agendum cum ægro Deum timente.

Et quoniam dictum est, quemadmodum agi oportet

(515) Ita Edgarus rex Angliæ in orat. ad præsentes regni sui congregatos.

(512) V. Hildebert., Cœnonian. Ep. in ep. ad H. Sagiens. ep. Hug. Vict., l. i Misc., tit. 49, circa med.

teat cum eo qui ex culpa terrenum iudicem timet, A
 nunc de eo adjiciamus qui peccatis territus illum
 timet: *Qui potest et corpus et animam mittere in ge-*
hennam (Matth. v, 30). **214** Et quidem de eo quem
 corpore sanum pœnitet, non opus supradicta re-
 texere; tantum quid ægro sit consulendum, supra-
 dictis adjungere convenit: hoc tamen prioribus ad-
 jecto, ne sacerdos eum, qui ad se vitam correctur-
 us accedit, quodam quasi aucupio deludat. Quis-
 quis enim illos qui vel unum aut in se aut in aliis
 fovent amantque peccatum, neque inde cessare vo-
 lunt, securos facit; aut nihil nociturum asseverans
 aut quamlibet satisfactionis recompensationem pro
 delicto non dimisso sufficere affirmans; is est qui
 vivificat animas quæ non vivunt, imo qui iniquitate
 mortuos, securitate, quasi post mortem mole se-
 pultos, obruit. Nihil ergo aliud impœnitenti promit-
 tatur nisi certa damnatio, quæ impœnitenti debetur.
 Tali tamen potes consulere ut per misericordiæ di-
 vinique cultus opera a Deo pœnitentiam impleret.
 Et si quo iaterim de peccato pœnitere contingat,
 satisfaciendi veniam non deneges: non tamen præ-
 postere, verum tunc quando illius peccati impœni-
 tentia a corde recesserit; quod dum remanebat, nul-
 lius satisfactionem peccati vigere sinebat.

Numerosa ergo scelerum congeries, paulatim dis-
 sipanda doceatur, multusque spinarum exortus, si
 id simul fieri nequit, vicario saltem labore, quo
 facilius negotium transigatur, ab agro vitæ nostræ
 extirpetur. Raro namque sit quispiam repente tur-
 pissimus, verum multo rarius contingit ut fiat quis
 cito plene bonus. Humana enim fragilitas ad illicita
 se exhibet proclivior, nisi quod nonnunquam
 virtute Dei accidere solet ut quis, *consummatus in*
brevi compleverit tempora multa (Sap. iv, 13), id est,
 ut illum religionis gradum in brevi conscenderit,
 quo longa mora soleat pertingi.

Sunt crimina privata, sunt publica: aiunt (314)
 quidam utraque præsulī reseccanda, ejusque nutu
 castiganda. Sed quoniam publica pœnitentia epi-
 scopis cognoscitur attributa, merito peccatum quod
 illam exigit, ad præsidem pertinebit. Porro quo-
 niam latens culpa patulam refugit emendationem,
 merito utraque sacerdotalem pertinebit ad curam;
 alioquin nec præsul tantæ poterit consulendæ mul-
 titudini sufficere, nec ipsa se detegere volet, aut
 audebit illis, qui hac præcipue tempestate, mun-
 do dediti sunt. Sicut ergo præsul manifesta ma-
 nifestis curat flagitia flagellis; ita latentes presbyter
 offensas latentibus satagat sanare remediis. His sa-
 tisfactio absconditur, ne vulgata pœnitentia infirmi-
 tas Ecclesiæ scandalizetur; ibi per publicam pœ-
 nitentiam scandalum publica de culpa natum deter-
 gitur.

(314) Videtur indigitare præter alios Petrum
 Damiani eo præcipuo libro qui dicitur, *Gomor-*
rhianus.

CAPUT LVIII.

*Quomodo cum morituris, quomodo cum convalescentibus
 sit agendum.*

(315) Sed infirmatis, jam jamque de inter nos abi-
 turis, onus viventibus debitum nequaquam impo-
 natur. Nam ligare super terram et solvere, utrum-
 que novimus; quomodo autem onerare, aut quando
 solvere sub terra oporteat, Deo non nobis notum est.
 Dum super terram sunt, suos presbyteri noverunt
 parochianos; cum sub terram vadunt, in summi sa-
 cerdotis diœcesim transeunt. In alienum jus manum
 non porrigas.

Si morte stupefactos vitiorumque qualitate et
 quantitate perterritos debito culpis pondere præmis,
 desperare cogis. Discessurum ergo allocuturus, ea
 et dicas et agas quæ illum ad hoc trahant, ut de
 patris doleat culpis, atque ita doleat ut nihilo-
 minus de venia confidat. Si contingat ægrum con-
 valescere, tunc tandem pœnam culpis debitam do-
 ceas et imponas, ita tamen, ut ex neutro occasio
 suggeratur, aut pusillanimo desperandi, aut præ-
 gravato sub fasce succumbendi. Sacerdotis ergo in-
 dustria id maxime procuret ut reum ad hoc inducat,
 quatenus indoleat de culpa, neque desperet de ve-
 nia. Hic enim tota vis rei continetur, quoniam salva
 non est sine his, et est cum his. Nam si flagellum
215 minus quam merita requirant suscipitur, nec
 satisfactio contemnatur; utique tali ex causa ro-
 quies animæ differtur, sed non aufertur.

CAPUT LIX.

Quid confessione, quid opus sit pœnitentia.

Sed si cordis ex compunctione, et ex spe veniæ po-
 test esse salus, quid postea opus est confessione? quid
 denique fructu pœnitentiæ (316)? Quoniam secundum
 statuta Ecclesiæ, quisquis ad illa duò attingere po-
 test et contemnit, ei salus deperit. Est quoque
 opus illis quoniam præsens pœna diligenter sus-
 cepta, a futura longe graviore defendit purgatoria,
 opus est ergo confessione, non solum quoniam obe-
 dientiæ supersedendum non est, verum quoque ut
 quid debeat fieri agnoscas opus est post agnitionem
 executione, ne frustra quod fieri oportuit agnove-
 ris. Opus quoque est confessione, quoniam in ipsa
 digne celebrata peccatorum est absolutio.

CAPUT LX.

De ligatione peccati et absolutione.

(317) Sed ut absolutionis ratio manifestius de-
 claretur, prius quid sit ligari, ut solvi necesse sit
 prævideatur. Ligantur homines vinculis spirituali-
 bus aut peccati aut pœnæ peccati. Pœna autem pec-
 cati, sicut modo accepimus, aut lamenta sunt pœni-
 tentium, aut sequestratio excommunicatorum: sed
 qui extra Ecclesiam, imo et Ecclesiæ beneficia, li-
 gamine anathematis detinetur, is reconciliatione

(315) Magist., iv, d. 20, § 4

(316) Mag., iv, dist. 18.

(317) Mag., iv, dist. 18.

foederata absolvitur. Vinculo peccati constringitur A quisquis aut dum amat culpam a recto itinere præpeditus, aut si vitium jam deposuit, quasi a langore qui recenter convaluerit, ita a vitio noviter curatus, consuetudine mala libere quid agat retardatur.

(318) Qui vero fructibus pœnitentiæ nondum expletis pœnæ obnoxius tenetur, is ea peracta, ut jam dignus sit requie, absolvitur. Ex proprio contrahit homo ut morte prævaricationis gravatus, e loco ad vitam per se moveri non possit. Hic est Lazarus immobilis in tumulo. Virtute autem divina fit ut flagitiis pressus, onere mortifero se subtrahat. Hic est Lazarus a tumulo clamore Domini evocatus, qui Deo suffragante a morte ad vitam redit (Joan. II, 43). Is, vita reddita, quadam quasi ex ante habita morte vestigia aliquandiu reservans, quodammodo B torpet et hebet, dum humanæ fragilitatis inopia, quæ agenda sunt discutiens, minus videt, et utcumque discussa et cognita ut oporteret minime exsequi valet. Hic est Lazarus resuscitatus, facie velatus, institisque circumligatus. Quisquis vero justitiæ restitutus, præteritæ ignominie molestia, quasi quibusdam institis a recto gressu retardatur, is sacerdotali confessione, ad viam veritatis tenendam præparatur; sicque difficultas bene agendi, quæ prius inerat, paulatim consuetudine boni alleviatur. Hic est Lazarus discipulorum officio solutus et abire permissus.

Valde ergo opus est ut nemo ad confessionem sit piger; quoniam licet quisque corde contrito et humiliato a morte animæ reviviscat, attamen torpore quodam post recessum mortis residuo et ad ea quæ mortis sunt tametsi invitus incessanter retorquetur, et ab officiis vitæ cum mœstitia detinetur; donec per confessionem absolutio id efficiat, et ut facies mentis sudario peccati, non jam ut prius quasi per sudarium, sed aptius magis ac modo magisque verum cernat, et ut cætera membra constricta prius quibusdam languorum quasi ligamentis, et per hoc quamvis rediviva, vix tamen ad vitam palpitantia, jam gradu libero, liberiore in progressu futuro, acie rationis per omnia ducatum præbente, inoffensum vitæ callem suo quæque modo incedant. Impedimenta hujusmodi infert interitus, quisque suo in genere præcipuus; vita rediens dum illa luctatur D evincere, proficit quidem, sed parum, 216 donec adjuncta confessione confessionisque opere, vires recipiat et augeat, quibus se expediat et crescat. Sit ergo omnis homo velox ad confitendum (Luc. I, 19), quoniam sic promptus fiet ad bene agendum.

(319) Quisquis vero per confessionem pœnitentiæ fructibus intendit (quod jam potest ea quæ in confessione fit absolute robore) is usque ad peractos, obligatur pœnæ. Pœnam autem peccati

quoad protelari oporteat, quodove terminari, ille novit cui satisfit per pœnam. Quisquis ergo scele- rum obligationes satisfaciendo evasisse existimat et gaudet, is præ oculis semper habeat quam difficulter et quam vix liberationem emeruerit, et relabi et ad vomitum reverti exhorreat.

CAPUT LXI.

De potestate ligandi et solvendi.

(320) In omnibus suprædictis malum hominis meritum obligationem, pia Dei ratio absolutionem parit. Sacramentum tamen ligandi atque solvendi penes ipsos Dei vicarios, id est, sacerdotes Ecclesiæ est. Unde Dominus: *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. xx, 25). Et item: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis* (Matth. xvi, 19), etc. Illud communiter omnibus, istud Petro, et per Petrum proponitur omnibus. Quamobrem auctoritate Domini, apostoli eorumque successores peccata hominum retinent, ac per hoc ipsos solvunt.

Sed quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? (Marc. II, 8.) Is nimirum peccata dimittit, qui virtutes dimissioni superponit; qui utrisque vitam æternam retribuit (321). Quid ergo apud homines est peccata remittere, aut a peccato absolvere, nisi sacramentum remissionis et absolutionis celebrare? Ex quo quis pœnitet, Deus remittit, peccata postmodum confitenti minister Dei absolvendo remittit. Et quid est absolvendo remittit; nisi quod sacramentum remissionis et absolutionis facit? Absolutio quæ peracta confessione super pœnitentem a sacerdote fit, sacramentum est, quoniam sacræ rei signum est (322). Et cujus sacræ rei est signum, nisi remissionis et absolutionis? Nimirum confitentibus a sacerdote facta a peccatis absolutio remissionem peccatorum, quam antea peperit cordis contritio, designat. A peccatis ergo presbyter solvit, non utique (323) quod peccata dimittat; sed quod dimissa sacramento pandat. Et quid est opus pandi nisi ut consolatio fiat pœnitenti?

Alio quoque modo a peccatis sacerdos absolvit, dum molestam præteritæ ac dimissæ noxæ inquietationem, item itemque intoleranter recusantem, sacramento absolutionis ipse, imo per ipsum Deus, lenit, ac cum fieri oportet, promotionis accessu præscindit (324). Istud crebræ impugnationis obstaculum jugiter contra nitendo, paulatim sedatur atque sopitur, et dum in aliis superatur, in aliis restat superandum. Quippe nunquam ad unguem evincitur, nisi cum de medio removemur.

Peracta autem pœnitentiæ (ne semper quæm homo imponit sed quam Deus prænovit; quippe si homo minus quam decet facit, Deus purgatoris id supplet pœnis, aut in hoc sæculo; nec nostra super-

(318) Greg., hom. 20, l. II, in Evang. Aug., serm. 8 et 44. De verb. Dom. et alibi. Isaac., Lingonens. can. 11, etc.

(319) Vide notas.

(320) Mag., sup. § 6, 7, etc.

(321) Hæc eadem D. Thom.

(322) Mag., l. IV, d. 1.

(323) Consule notas.

(324) D. Th. III, p. 86, art. 5.

fluit satisfactio, quoniam si plena est, omnino tollit; sin vero diminuta, partim imminuit flagellum Dei nostræ prævaricationi debitum). Peracta, inquam, pœnitentia, reus per Deum absolvitur; non solum ut non amplius pro peccato puniri oporteat, verum etiam ut purgatione facta cœlo fiat idoneus. Hujusmodi absolutionem homo non facit, quia quando eam fieri conveniat, nemo novit. Unde statuta Ecclesiæ id minime decreverunt, quod sicut completam confessionem, ita quoque peractam satisfactionem consequatur. Novit enim ex ore confitentis et ex modo se habendi, utrum a culpa absolvat. Sed nulla experimenti ratio comperta est, unde certum sit quando a pœna culpæ solvi oporteat, nisi forte ab illa quam imposuit ipse.

217 Sicut autem sacerdos solvit, ita et ligat, dum utriusque rei Sacramentum celebrat. Sacerdos ergo ligat pœnæ, ligat culpæ, dum illum pro delictis usque ad tempus post confessionem onerat. Istum autem a malo cessare nolentem, non posse veniam consequi denuntiat, et sic retinet peccata, retenta quoque apud Deum. Sicut econtra cessanti et confitenti absolvendo remittit peccata, remissa quoque apud Deum. Ait enim vicario suo Petrus: *Quod expedit ligabis, quod expedit solves*; exponens videlicet Dominici sententiam decreti, eo usque scilicet apostolicam pertingere potestatem, ut liget vinculis constringendum, absolvat absolvi dignum (525). Nam qui indebite solvit aut ligat, propria potestate se privat. Non enim quod ipse agit, ita fieri Deus consentit. Ligat anathemate super terram immeritam, et non ligatur apud Deum; anathemate super terram indignum absolvit, et non erit solu-

(525) Gregor., hom., 26, inter 40. Aug., in psal. xxxvi, Hier., sup. Matth., c. xvi, et ex professo Gratianus xi, q. 3.

(526) Hieron., apud Grat. xxiv, q. 3, c. *Si quis*.

atus in cœlis. illum ab Ecclesia sacerdos excludit, (526) sed exclusum Deus suscipit. Huic sacerdos Ecclesiæ pandit introitum, quod hoc prodest ei quem examen reprobat divinum? Nemo ergo institis constringat vivum, nec absolvat mortuum; ne aut inferat constringendo necem, aut eliciat absolvendo fetorem. Inde desperatio timetur, hinc delinquendi securitas speratur, et exemplo reliqui corripuntur. Væ his qui mortificant animas sententia, quæ non moriuntur vita. Væ item his qui vivificant animas iudicio, quæ non vivunt merito (527). Quantum ergo in te est, prius scias mortuum peccato, quam mortis impedias vinculo: prius clamore Jesu ex tumulto evocetur, quam officii tui ministerio ligatura tollatur.

B Id quoque verba Domini consulens attende id solum ad curam tuam pertinere quamvis super terram iudices commemorantem, non etiam sub terra (528) putrescentem. Sacerdos tempore legis si quem intra castra leprosum comperisset, proditum eiciebat; ejectum, si quando sanum vidisset, in castra revocabat: nec leprosum nec mundum efficiens, tantum utrumque discernens (529). Pari ratione putant Ecclesiæ prælatos id ex potestate habere, ut Ecclesiæ membra integra a putridis dijudicent, dijudicatione facta ab aliis alia disparare satagant. Sed quamvis nec mundos, nec immundos sciri sit efficere ministerii, quoniam alterum virtus Dei, alterum facit deformitas rei, attamen dum solvunt aut ligant, id inde contingit, aut ut melior, aut ut deterior reus fiat; dum aut si quasi leprosus extra dejicitur, aut ille quoniam sanus inventus est, intra castra excipitur.

(527) Greg., sup.

(528) Gratian., xxiv, q. 2.

(529) Mag., iv Sent., d. 18, § 6.

LIBER SEPTIMUS.

218 CAPUT PRIMUM.

De dimissione peccatorum.

(330) Post confessionem et absolutionem, opus est (causa satisfactionis, imo et religionis) disciplina, oratione, elemosyna. His tribus impetratur visio Dei, et prius venia peccati. Nimirum dupliciter culpa dimittitur, aut ne sit ulterius ad damnationem, aut nec saltem ad pœnam (331). Primo genere vitia condonantur, quam cito cor compunctione conteritur, juxta illud: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (Ezech. xxxiii, 12). Et illud: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* (Psal. xxxi, 5). Deus ergo nostras obliviscitur offensas, dum con-

(330) Mag., ii, d. 18.

(331) Mag., iv, d. 17, § 1.

punctione conversos non reputat pertinere ad gehennam. Idem illi qui se apud sacerdotem accusare proponit, remittit non solum peccatum, verum etiam peccati impietatem, id est, et quod peccavit, et quod toties talique tempore, talique loco, tali item modo, et si quæ similia sunt aliis quotquot generibus deliquit.

D Cuicumque hæc remissio fit, in hac vita fit; nam frustra in futuro delicti venia speretur, si quis ab hinc absque venia tollatur. Sed a delicti pœna quidam modo, quidam solvuntur in futuro; ii modo, qui satisfactionem perficiunt ante mortem; illi post mortem, quorum expiatio non consummatur nisi post mortem (332). Ad hanc pœnæ absolutionem illud nec absurde aptari potest quod in Evangelio in

(332) Aug., epist. 50, serm. 11, De verbis Dom.;

illum Dominus ait, qui peccaverit in Spiritum sanctum, quia neque in hoc sæculo, neque remittetur ei in futuro (*Matth.* xii, 32); pœna quippe hujus peccati, aliquando in hac vita differtur, nunquam tamen dimittitur; quoniam postea perpetuis exigetur tormentis. Quare? Quoniam impœnitens in vita permansit. Ergo, sicut pœnitentes aut in futuro a peccatis, id est a peccatorum vinculis absolvuntur; ita econtra impœnitentes, neque hic, neque in futuro absolventur.

Sed fortasse commodius Domini sententia ipso de peccato, quam de ejus pœna intelligatur. Nimirum offensæ quædam veniam merentur in presenti, quod de omnibus in quibus graviter erratur, si ad veniam veniunt, intelligendum puto. Nam quæ venialiter admittuntur, ea fortasse, non etiam alia, post mortem veniam consequuntur. Accidit (333) enim nonnunquam ut vir justus venialiter delinquat et præoccupatus morte, spatium inde cogitandi non habeat: is post culpam, quoniam nullam de errato cordis pœnitentia accipit mœstitiam, non absurde creditur nullam **219** in delicto habere veniam, donec post mortem ad se rediens, aut communiter, aut quod verius esse arbitror, singulariter consideratis excessibus ingemiscat. Unde nostrorum traditio est doctorum (334), quod præter illam quæ in præsentis sit peccatorum remissionem, altera detur in altero sæculo sed nonnisi de levibus. Nam quæ gravia sunt nisi in hoc sæculo condonantur, frustra in postmodum veniam expectatur. Si enim de illo quod peccatis debetur flagello ageretur, frustra inter gravia levique distinctio fieret, cum indifferenter, et in hoc sæculo et in futuro expiatione completa amborum pœna relaxetur.

Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur (*II Mach.* xii, 46). Dupliciter, aut ut si quas humanæ fragilitatis maculas contraxerit deleantur, aut si jam universa delicta in vita dimissa sunt, ut a pœnis quæ debentur dimissis liberentur. Trifaria namque participatione quilibet a peccatis absolvitur: aut dum ipsa corde contrito indulgentur; aut dum moles ex peccatis nata, et post peccati abscissum vincetis in mendicitate et ferro molesta, succurrente Domino, sedatur; aut tertio dum quam meruit culpa, cessat disciplina. Sed prima dimissio id efficit, ut non sit ad damnationem culpa, secunda vero cum tertia ut a peccati discedat pœna.

CAPUT II.

Quid disciplina cum oratione et elemosyna mereatur.

Dimissionem autem trinam, terna quæ superposui merentur bona, disciplina cum oratione et elemosyna; nec immerito. Quippe oratio Deum placeat; disciplina pœnitentem castigat; elemosyna fratrum commodis insudat. Merito igitur tribus his modis exire a peccatis diligenter conanti facultas voti tan-

l. i De serm. in monte, c. 22; Enchir., lxxxiii, et De corrept. et grat., c. 42, etc.

(333) Hæc eadem habet Mag., iv, d. 21, § 4

dem datur, et post votum venia, post veniam autem mendicitas illa qua anxium est homini et consueta relinquere, et nova inchoare, eisdem tribus paulatim imminuitur, salus reparatur. Eadem pro peccatis satisfaciunt: postremo autem vitam hanc moribus ornant, futuram vero largiuntur et amplificant.

CAPUT III.

De disciplina et jejuniis.

Disciplina ergo opus est quoniam teste Apostolo, qui extra disciplinam sunt, ii adulteri et non filii sunt (*Hebr.* xii, 8). Sed disciplina alia interior, alia exterior est. Utramque autem modo homo per se, modo suscipit aliunde. Et tamen si utraque quodammodo præ anxietate displiceat infirmitati, tamen si homo vim sibi contemplato cœlo inferens, quoniam *violenti diripiunt illud* (*Matth.* xi, 12), ratione arripit quod carne abhorret, tanto utique præclarior agit, quanto gravius fert.

Disciplina interior est multiformis animi anxietas, et curarum exercitatio, varia atque frequens utraque, cum ratione suscepta. Curarum edacitatem, sollicitudo omnium Ecclesiarum in Apostolo pariebat. Cum vero diceret: *Quis infirmatur et ego non infirmor; quis scandalizatur et ego non uror?* (*II Cor.* xi, 28); anxietate animi opus esse insinuabat. Disciplinam exterius habemus cum molestiam aut extraneis de rebus, aut de charis nostris, aut postremo nostro de corpore natam patienter toleramus. Ea ab exterioribus progressa interioris hominis secretarium irrumpens sit interior: nam quæ ipsum cordis penetrare impetu suo plus minusve non affligit, quomodo aut molestia aut disciplina est? Necessè est enim ut quod voluptate deliquimus, castigationis amaritudine detergamus, nihilque convenientius videtur, quam ut contrariis contraria opponamus remedia. Quos fornicatio scævavit, continentia, quoniam fornicationis est adversa, emundet; quibus gula nocuit, subveniat abstinentia; garrulitatem silentium compenset: raptor fiat munificus; qui contumeliis aut quibuslibet injuriis alios affecit, pace quantum **220** in se est restituta, non moretur suscipere quod intulit. Postremo quacunque corporis parte abusus es in malo, eadem tantundem si fieri potest, utaris in bono. Et sic juxta Apostolum: *Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ, ita quoque exhibenda sunt servituti justitiæ* (*Rom.* vi, 19).

Si tamen tanta est fragilitas prævaricatoris, ut nec qualitatem nec quantitatem ferre queat satisfactionis, aliquid tale inquirendum est, quod nec vires recusent, et reum excruciet. Est ergo satisfactio quædam quam cujuslibet natura tolerare fere valeat, aspera tamen et tanto Deo gratior, quanto humilior, cum quilibet sacerdotis prostratus ad pedes, se cædendum virgis exhibet nudum.

Super omnia tamen pœnarum genera quibus mater Ecclesia filios suos castigat, jejunium quasi om-

(334) Gregor., potissimum ad quem alludit, l. iv *Dialog.*, c. 39; xxv, d. c. *Qualis hinc.*

nibus præferendum generali veneratione celebratur; hoc enim exempla prophetarum astruxerunt, hoc Domini nostri abstinentia sanxit; hoc sanctorum Novi Testamenti conversatio religiosa contradidit. Nimirum ubivis gentium, ubivis locorum comedendi et bibendi temperantia decenter et apte observatur. Et si frequens et continens exstiterit, ea præcipue interiori homini exteriori subiecit et conciliat. (555) Licet enim pro tempore et loco supersedere jejunio ratio nonnunquam nos moveat; attamen modestia (sine qua pretio carent jejunia ipsa) jugis et perpetua esse potest et debet. Jejunia enim quæ ingurgitando se prægravant, aut jure suo naturam fraudando labefactant, ex altera parte ingluviei, ex altera addicenda sunt superstitioni. Maceratione ergo assidua corpus est castigandum (*I Cor. ix, 27*) et refectione quotidiana refovendum; ut et maceratio corpus in servitutem redigat, et refectio servituti vires exhibeat. Hoc est quod Apostolus castigare corpus et in servitutem redigere docet. Hoc est quod item neminem carnem suam odisse, sed nutrire et fovere monet. Hinc est quod juxta Patrum (556) traditionem quotidie esurire, quotidie prandere, triduanis præfertur jejuniis. Prandere oportet ut pondus et æstum diei sustinere sufficiat, verum cum modo, ut aliquid duri feras; alioquin ejusmodi est jejunium ubi contra voluptatem culpæ nulla sit recompensatio pœnæ? Est quædam optanda recompensatio, eo usque jejunare ut esurias, est altera et nonnulla etiam præter jejunium, ut in præceps ruentem comprimas appetitum, frenumque imponas libidini. Postremo quidquid pro disciplina suscipitur, si nihil admittit acredinis, merito reprobatur.

CAPUT IV.

De oratione.

Orationem corde contrito et humiliato prodire necesse est: *Superbis enim Deus resistit* (*Jac. iv, 9*), affectumque potentis, cum friget, parvipendit. Indiget quoque oratio ut prolationem oris attentio comitetur cordis; alioquin invalidus nimium est affectus, si vagantem non stabilis animum. Quod si dedita vanis mens sponte vagatur, quid prodest labia concutere? utique parum aut potius nihil. Cum enim cuiquam loqueris et alio mentem vertis, nonne si distractio tui animadversa fuerit, locutio tua contemptibilis erit? Verum si conatu cum toto constringis animum cum verbis, unde tamen invincibili infirmitate distraharis, nonne id non tibi, sed tuæ imputabitur fragilitati, ut jam tu non opereris illud, sed peccatum quod in te est? Quod si assiduitatem precum devotionis attentio prosecuta sese illi æquaret, felix utique esses. Nunc vero dum attentus æque devotus fieri laboras, contraque tuum luctaris morbum, ipso certamine beatus es, laurea tandem dimicationis triumphante donandus. Idem quoque in omni contra languorem lucta intelligendum au-

(555) Vide Hieron. dictata de Jejunio in Regul. monach., t. IX.

(556) Apud Cassian. l. v *Instit.*, c. seu § 9, se-

timo: *Virtus enim in infirmitate perficitur* (*II Cor. xii, 9*).

Is quoque qui petit, talis esse debet, taleque quod petitur esse oportet, ut hujusmodi petitori petitionem hujusmodi non conveniat negari. **221** Plerumque enim petimus et non accipimus, quoniam male petimus. Fit quoque ut cum preces multiplicamus, Deus non exaudiat, ideo quod manus nostræ sanguine sunt plenæ. Verbis opus non est, ut intinemus Deo, qui cordis inspector est, quid velimus. Nam cum devota cordis meditatio iudicis exsuscitet pietatem; utimur tamen verbis tum ut proximum exemplis instruamus, tum ut nativæ gravitatis torporem, verbis quasi quibusdam stimulis, ad sanctum studium excitemus. Tandem ideo ut sicut cæteris membris ita quoque et ore toti serviamus Deo, qui prius similiter toti servieramus peccato.

CAPUT V.

Quomodo corpori et animæ debemus prodesse.

Cum eleemosynam proximo erogamus, aut animæ, aut corpori necessaria providemus. Quoties enim id unde opus non est datur, si adeo invalidum est ut omnino nihil proficiat, nonne dator stolidus est aut avarus? Verum si tantum est ut modum excedat, nonne qui dederit alterutrum est, aut improvidus aut prodigus? Sed quod animæ prodest, majoris est meriti quam quod utile est corpori, quanto dominus superior est quam ancilla. Ita ergo insistendum est ut valeat corpus, quatenus id quisque magis querat ut valeat spiritus.

Animæ proximi nostri utiles esse possumus et dum in carne commoratur, et postea. Enitatur ergo proximo adhuc viventi prodesse, supplicantes Deo, industrii proximo, ut si malus est ab errato revocetur; si bonus, in proposito provehatur. Post vitam vero, si certum nobis est aut cælos penetrasse, ut sanctos et parvulos baptismo lotos; aut ad inferna descendisse, ut parvulos illotos, aut quoslibet flagitioso in negotio subita pernicie præventos; quid industriæ nostræ studium requiret? num ut ab inferno decenti eruantur, aut minus saltem inibi torqueantur? sed, *in inferno nulla est redemptio*. Nam qui ibi sunt, adeo depravati putantur, ut nec minus male debeat esse illis. Quamvis quidam (557) non assertive, verum opinanter aiunt, beneficia pro hujusmodi facta, si quid prosunt, ad hæc utique prodesse ut ii vel levius puniantur. Quid item cælo receptis postulabimus? num ut bene habeant? Sed ibi male nulli esse potest. Num ut melius, habeant? Sed ut nobis melius sit, opus est illorum interventu. Nonne ridiculum te exhibes, quoties tu in exilio adhuc demoratus pro illo intercedere præsumis qui jam in patria constitutus de præsentia Domini et familiaritate gloriatur?

Quid ergo est quod pro defunctis oramus: *Recund.* Dionys. Carthus.

(557) Aug., in *Enchir.*, c. 110, etc.

quiem æternam dona eis, etc.? Sed id precibus postulare, aut qui jam habent, aut qui nunquam habere debent, cum id plane sciamus, quid prodest? Non solum nihil prodest, sed et stultum est; quippe nec ii habituri, nec illi unquam carituri regno cognoscuntur. Pro quibus ergo hujusmodi oratio funditur? Pro his utique qui nondum habere putantur, verum habituri sperantur. Et ii qui sunt? nisi quos in vita negligentius egisse novimus; bonum tamen ad exitum pervenisse suis signis speramus. Id ergo industria nostra quærimus, ut quos purgatoriiis affligi æstimamus ad requiem nostra intercessione transferantur. In Agendis tamen parvulorum mortuorum *requiem* oramus, et pœnitentibus ne cadant in obscura tenebrarum loca, sed a porta inferi erutos, significat sanctus Michael repræsentet in lucem sanctam: quasi infans regeneratus possit a requie detineri; aut pœnitens in inferni obscura detrudi, aut quispiam ab inferni faucibus erui. Sed Ecclesiam, quoniam pœnitentes damnandos non expectat, et hos et regeneratos pariter salvandos sperat, puto jucundatam sub locutione debita precii aggratulatione quadam, non ingrati auctori.

Sed si in his quæ corpori prodesse possunt proximis subvenire volumus **222** periculis corporum, damnis rerum quoad licet opponamus succurrentes quolibet modo oppressis juxta illud: *Alter alterius onera portate* (Galat. vi, 2). Si ergo languore aut carcere devinctos visitare disponimus (quoniam si quid plus possumus, solum videre quid meriti habet?) si etiam nudos, sitientes, famelicos viatores aut qualibet necessitate prægravatos videmus, homines esse considerantes, atque ideo carnem nostram in fratre non despicientes, aut consilio desolatos confortemus, aut quoties illis opus est, nobisque facultas non deest, re ipsa subveniamus. Nam si fratres nostros necessitatem novimus habere, possumusque sufficientia nostra (ut nos non egeamus) illorum inopiam supplere; cum duas tunicas habentes, non habenti, alteram tollimus; neque de superfluis saltem nostris more Magdalenæ pedes Domini deterginus, quomodo charitatem præter quam mors animæ semper est, habemus? Namque qui id solum quo sibi, seu familiæ suæ opus est, et quo carere non oportet habuerit, ab eo non exigitur ut inopia sua opem ferat. Sicut enim ordo quidam attendendus est in charitate, juxta illud: *Ordinavit in me charitatem* (Cant. ii, 4), ita quoque et in his quos parit charitas effectibus, ut primo provideas tibi, postmodum aliis, unicuique prout tibi magis minusve est conjunctus. Sed quoniam, *redemptio animæ viri, propriæ divitiæ* (Prov. xiii, 8); et, *victimæ impiorum abominabiles Domino sunt* (Prov. xv, 8); utrumque, necesse est agere, ut quod de injuria habes, recto possessori modo aliquo restituas; si non

A more Zachæi quadruplum, at saltem simplum, et ut de proprio jure indigentibus, sicut res tua patitur et ipsis est opus, subvenias. *Redemptio enim viri propriæ divitiæ*. Unde patet quod de his quæ nobis necessaria sunt, redimere animam erogando non admonemur. Verum de his quæ habemus et carere possumus, hæc enim abundantia divitiæ nuncupantur. Hoc est quod Dominus habenti unam tunicam non mandat dare eam, sed de duabus alteram (Luc. iii, 11).

CAPUT VI.

Cur decimam offerimus, et de quibus, et quibus?

Decimam offerimus ut simul cum novem ordinibus, quasi decimus ordo, loco corrumentium computemur. Decimam Deo offerimus, et novem nobis retinemus, ut in nobis quæ sunt perfecta, licet præciora, Deo; quæ vero plura, sed invalida, nobis attribuamus. Decima autem omnium quæ possidemus tam in terræ fructibus, quam in animantium fetibus, sive quorumlibet (338) lucrorum generibus, persolvenda est Deo, ad opus clericorum. Hi enim quoniam sæcularia negotia postponunt, juxta illud: *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis* (II Tim. i, 4), tanto magis labore egent alieno, quanto desistant a proprio. Nam divinis mancipati obsequiis dum studio orationis, et diligentia correctionis pro grege Christi invigilant, minus sibi ad carnis necessaria intendunt, quæ quoniam communi omnium commodo insudant, communiter ab omnibus procurari æquum est aut debito oblationis et decimæ; aut si id minus sufficit, munerum largitione, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus?* (I Cor. ix, 11.) Ideo (339) enim cedros Libani plantavit Deus, ut illic passeret nidificent (Psal. ciii, 17), Nimirum alti in candore sæculi, ideo radicantur, ut pauperes Christi ultra terrena omnia pennis virtutum sublevati, habeant ubi (quantum ad debita naturæ pertinet) pausent.

Sacerdotum autem vita cujusmodi sit, nostra nihil interest, tantum illis debita (340) ministris Christi provideamus. Verum cujusmodi sint, Domino reservemus. *Nam tu quis es alienum servum ut judices; domino suo stat aut cadit* (Rom. xiv, 4). Semper meminerimus quam male cessit Cham filio Noe quod pudenda patris maluit deridere quam tegere (Gen. ix, 22). Clerum ergo etiam se negligentius habentem, causa dignitatis revereamur, ne et ipsi ex incultu vitæ, **223** et nos ex immoderatione linguæ pereamus.

Quisquis autem operibus misericordiæ est intentus, non decimam tollat ministris Ecclesiæ, sed de novem quæ remanent provideat suorum indigentia et aliorum. Licet enim sibi sufficiant clerici, non ideo tamen re debita, laicorum direptione sunt spoliandi. Quamobrem decima, si non inter decem optima, at saltem qualem ipse ordo aut nascendi (341)

(338) Vide Const. Angl., l. iii, tit. De decimis.

(339) Spectavit pro more August. in conc. iii, Psal. ciii ad hunc vers.

(340) xvi, q. 6, c. Si episc.

(341) Vide Constit. Anglic. ut supra.

aut numerandi adduxerit; ita de parochia ad A quam pertinet persolvenda est, ut non ad alterius (342) parochie ministrum, licet indigentem, meliusque dignum, a laicis transferatur. Quoties enim eam, aut illis quibus jure non debetur conferunt, aut in conferendo etiam his quorum est, fraudulentum fiunt, ipsi utique sacrilegii (343) crimine occupati, non in res hominum invasionem faciunt, verum in Deum impetuosi aut latenti furto, aut rapina manifesta servi jura Domini subripiunt. Nihil ergo aliud ad laicos pertinebit, nisi ut quod debent, illi fideliter restituant, quibus institutum est.

(344) Rerum autem ecclesiasticarum ordinatio curæ est episcopalis. Pontifici enim providendam est ut qui sub manu sua sunt presbyteri, singuli in B sua parochia tantum redditus accipiant, quatenus ex egestate turpe lucrum sectari non oporteat; et ex sufficientia possint, secum in Ecclesia servituros, et domi habere famulatuos. Unde forma facti gregis, ut exempla sanctæ conversationis suis subditis ostendant, hospites debent accurate recipere, et desolatis misericorditer, ut facultas datur, subvenire.

Si autem ulterius res Ecclesiæ extendi valent, hoc episcopi dispensatio procuret, ut in bonos usus consumantur, ejusdem Ecclesiæ (si ita opus est) aut ornamentis, aut præcipue egenis. Quod si tanta est rerum Ecclesiæ affluentia ut et ipsi sufficere et aliis queat prodesse, rationabiliter fieri potest, (nulla tamen sacerdotibus sua in possessione violentia facta) ut de eo quod exuberat, aliquorum (345) C conventui fratrum suffragetur; aut ad tempus, aut ad perpetuum jus, tali tamen discretionem, ut si quando ea quæ beneficium impendit alii, haud sufficiat sibi, libere id sua necessitati retineat, quo sine aut omnino nequeat esse, aut male esse necesse sit. Sed ut beneficia Ecclesiæ firmo jure eant aut redeant. Præsulis opus est censura.

CAPUT VII.

Cur potestates a Deo sint constitutæ, et qualiter.

(346) Ideo namque potestates constitutæ sunt, ut earum nutu sibi quæ subjecta sunt ordine certo transigantur. Sed, *omnis potestas a Deo est: qui ergo resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (Rom. XIII, 4). Utique omnis potestas a Deo est, sed differenter. D Modo namque imponit eam iratus; quippe, *qui facit regnare hominem hypocritam propter diversitatem* [Vulgata *propter peccata*] *populi* (Job xxxiv, 30): modo tranquillus. Iratus ei qui dignitatem male accedendo usurpat; iratus nonnunquam et populo, cui potius mittit tyrannum, quam quo indignus est, re-

(342) Conc. Vormat., c. 6; Aurel. I, c. 49; Meldensi, c. 46; conc. Confluentiæ habitum, c. 8

(343) XVI, q. 7, c. 1.

(344) XVI, q. 1, c. 55-57.

(345) XVI, q. 1, c. Quoniam q. 6, *Cunctis de his* in fine.

(346) Mag. II, d. ult.

(347) Vide cap. *Solite* extra de majorit. et obed. ex Innoc. III. ad imper. Constant.; Chrys. I. III De sacerdot. et hom. 4 in c. VI. Isaie et LXXXIII, in

ctorem. Et tamen, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Quamobrem obediendum est potestati, ita tamen ut nunquam errori quem is illicite se ingerens admittit, assensus fiat. Error plerumque se immisceat potestati tanquam malum bono. Sed iudicio mentis ab invicem discernenda sunt, quatenus potestati te supponas, et errorem a te repelias. Si timeas Deum te subijcis potestati, utique ex timore, potentium te subtrahas pravitati. Potestas una habet providere corpori, altera menti. Utraque a Deo constituta est, ut totus homo integram sibi servet salutem, præcipue tamen exterioris hominis pax et salus inquiratur, ut interiori homini quies comparetur.

Ergo potestas una alteri (347) constituitur suffraganea. Nimirum quoniam sacerdotalis dignitas gladio Petri morbos Ecclesiæ incessanter renascentes minime prævalet resecare; ideo altero Christi gladio regie potestati commendato, opus 224 est. Nam si gladio suo spirituali correctionem et pacem Ecclesiæ, sacerdos comparare sufficeret et conservare, corporalem regum gladium in Ecclesia admittere necessitas nulla exigeret. Quippe si nec extra Ecclesiam quis esset quo turbaretur catholica quies, quid opus esset feriente? Nunc autem constituitur ut Ecclesiam præsumat nemo de externis oppugnare, aut de indigenis scandalizando inquietare. Vel si id cœptum fuerit, tormentis corporum, damnisque corrigatur; nisi forte ea culpa sit quæ potius sacerdotum justitiæ obnoxia sit, quibus nec fundere licet sanguinem, nec regibus spirituali gladio ferire. Rex ergo quoniam ex ordine ministerii sui id debet Ecclesiæ ut ejus alumnos, stans cum æquitate, foveat, hostes vero in justitia prorsus dejiciat; si ita se habet, utique rex est; alioquin falso nomine tyrannidem exercet.

(348) Quoniam ergo vulneribus animæ medendis, ut interior valeat homo præsulis officium est intendere, regis autem cura ut injuriæ extrinsecus illatæ rescindantur, penitus insudat; nisi quod plerumque (et hoc quando ita opus est) alter alterius officium suo adjuvat officio; procul dubio constat tantum potestatem hanc illi præferendam, quantum corpus anima est inferius. Imo sicut corpus errat nisi regimine animæ dirigatur, ita in præceptis propendent regna nisi moderamine sacerdotum fulciantur. Stetit Saul in regno dum Samueli obedivit (I Reg. xxviii, 7); statim vero ex quo pythonissam adiit, corruit. Rex David graviter ceciderat, sed Nathan corripiente humiliter se accusans resurgebat (II Reg. xii, 15). Sacerdotium ergo præest regno in his quæ ad Deum, præest et regnum sacerdotio in his quæ

Matth. Ambros., I. De dign. Sacer., c. 2; Gelas. ad Anast. imper. Petrum Cluniac. ep. 29, l. VI: «Quamvis Ecclesia non habeat imperatoris gladium, habet tamen super ipsos imperatores imperium, unde ei sub figura prophetici nominis dicitur: *Constitui te super gentes et regna, ut evellas, destruas, disperdas, dissipas, edifices et plantes.* »

(348) Damian., Ep. I. VII, ep. 5, ad Henric. reg. Roman.

pertinent ad mundum. Igitur sibi debita alterutrum A solvant. Obediat rex sacerdoti in mandatis Dei; no-
verit præsul se subjectum regi in negotiis sæculi;
atque ita reddantur, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ
sunt Dei Deo* (Matth. xxii, 21).

CAPUT VIII.

De terrenis potestatibus.

(549) Rex potestatibus terrenis præcipue curam
impendere debet quatenus legitime constitutas, re-
ctus ordo agendi consequatur. Nam qui gradum cu-
juscumque dignitatis ambitiose conscendit, ipse in
gradu aut semper, aut sæpiuscule cupide se agit.
Unde qui muneribus datis honorem captant, in
adepto munere venantur. Et quoniam non gratis
acceperunt, nec gratis dant. Ii dum pecuniam si- B
tiant, justitiam nec vendere, nec perimere formi-
dant. Tales dum etiam bene agere æstimantur, Deo
non serviunt; quoniam et in bene gestis non quid
Deus præcipiat, attendunt: quippe solummodo ad-
mirantur pecuniam, aut famam seu favorem; tandem
tale aliquid quod Deo gratum non sit. Aut si pro Deo
faciant, quoniam alienam causam admiscunt, inten-
tionem corrumpunt, simul volentes duobus Dominis
servire. Dum enim Deo placere querant, ideo displi-
cent quoniam in eo quod propter Deum faciunt, non
sincere se habent, querentes cum Deo quod ne-
as est appeti in eo quod fit pro ipso. Verum quando
quid agitur amore Domini, merces utique crescit, si
id quoque fiat ut presit fratri. Illud namque perfecte C
fit quod charitas integra promit. Sicut quod ex cha-
ritate non oritur, dignum præmio negatur. Quamob-
rem apud Deum opus mercedem non habet, nisi
prodeat ab amore alterutro, aut Dei aut proximi.

Rex ergo industria sua tales sibi ministros provi-
deat, qui legitime ad officium ministerii accedant.
In ministerio autem constitutos ita instruat, ut ju-
stitiam premere aut nolint, aut saltem non audeant,
juxta apostolicam sententiam: *A rege missi ad vin-
dictam malefactorum, laudem vero bonorum* (I Petr.
ii, 14). Quamobrem rex hujusmodi mittat duces qui
puniant malos: honorent autem bonos; 225 itemque
recogitans quod Scriptura testante: *Rex iniquus omnes
ministros habet impios* (Prov. xxix, 12). Unde patet
quod imperator æquus is esse non potest, qui mini- D
stros impios suo stare sinit in imperio. Quare cum
rege David dicat: *Oculi mei ad fideles terræ ut se-
deant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi
ministrabat* (Psal. c, 6). Judices hujusmodi si a rege
ellegantur, cum judice David singuli dicent reipsa:
*Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua geren-
tibus non introibo* (Psal. xxv, 4).

CAPUT IX.

De militibus et tributis.

Sub rege milites sunt, ut si opus fuerit pro patria
decertent, aut exteris nationes propulsando, aut

(549) Mag. supra.

(550) Leo PP., ep. I, c. 4; Gelas. ep. 9, c. 16;
conc. Aurel. I, c. 10; Tolet. iv, c. 75. Rhem. c. 1,

intestina bella reprimendo; ut enim reges huic suf-
ficient negotio, communiter ab omnibus tributa
solvuntur. Debent ergo subditi dominis suis tributa;
domini vero subditis hostium contra incursum
tutelam. Ille enim injuriose tributa exigit, qui ab
injuria tributarios pro posse non defendit. Qui tri-
butis serviunt, imo et omnes qui sub domino sunt,
salva fide Christi, fideles se dominis suis exhibeant.
Pari quoque modo domini subditis se obnoxios no-
verint. Nam et qui alii, quod jure conditionis de-
bet, subtrahit; et qui propter conditionem, quod
Deo debet, derelinquit, uterque abominabilis est
apud Deum. Quare homo ita homini faveat, ut ex
favore Deum minime offendant. Agricola insatiabili-
tatem, mercator caveat fraudem.

CAPUT X.

De eo qui ad clerum transire cupit.

Qui de laico transire cupit ad clerum (hoc enim
in optione et arbitrio cujusque est) eum liberum
esse oportet; ne si servus est, aut injuria domino
suo tollatur; aut cum rabe cleri (550) ad servi-
tutem retrahatur. Quod si liber est, et litteratus
non est, nondum clero idoneus est. Hujusmodi
quoque voto supersedendum est, militia et nego-
tiatione judiciisque sæcularibus, quoniam negotia-
tor clericus turpe lucrum sectatur. Clerico nec san-
guinem fundere, nec ut fundatur judicare licet:
quoniam *nemo militans Deo implicat se negotiis sæ-
cularibus* (II Tim. ii, 4). Quisquis autem liber et
litteratus eis renuntians negotiis quæ solis con-
gruunt laicis, tunc tandem clero rite admittitur,
quando nihil tale vita continet, quare merito repel-
latur (551). Clericus enim laico præcellere debet,
ita merito sicut et gradu, ut jure sit clericus, id
est vel Deum vel a Deo sortitus. Hujusmodi aptus
est clero, sed non statim admoendus est choro,
si forte visu intolerabilis sit; non quod tali de
causa a Deo fiat remotior, propter quam in so-
cietatis communicatione solum exstet deformior.

Qui ad clerum ultro appropriat non ideo per se
ad cleri gradus accedere præsumat; ad te enim per-
tinet, si ita libet, clerum tibi eligere; in clero autem
gradum te conscendere, non tui est officii, sed alio-
rum: ordinem quippe vivendi sive in clero, sive
extra, tui juris est postulare; in clero autem posi-
tum, honorem sibi arripere graduum, prohibitum
est, dicente Apostolo: *Nemo sibi sumit honorem, sed
qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (Hebr. v, 4). Unde
a Deo per episcopum archidiaconi instituti sunt, ut
a Deo per ipsos tales in clero eligantur qui rite
vocati accedant ordinandi, quisque prout sibi com-
petit et ministerio Ecclesiæ opus est. Nam qui
se intrudunt (*Quoniam nemo sibi sumit honorem*),
repellendi sunt tanquam præsumptuosi aut cu-
pidi.

De servis non ordin. extra l. i, tit. 18.

(551) Hier., ep. ad Nepotian. Ivo, v, p. Decreti,
c. 6.

(352) Sed qui sub titulo cujuscumque Ecclesie ad ordines vocantur, eidem Ecclesie ministraturi, nec inde nisi forte ratio cogat, alio transituri, ordinentur. Nam qui absque titulo ordinantur, quomodo gradum ministerii presumunt, qui locum ministrandi non susceperunt? Ministri domus **226** Dei sunt, sed cujus? nesciunt. Et quoniam ministros Ecclesie se profitentur, Ecclesia autem nulla eos suis inscribit ministris, non utique sunt ministri, sed usurpatores ministerii. Ministri vere forent, si eos Ecclesia novisset. Tales ministri Ecclesie nunquam fuerunt, et tamen ministerium susceperunt. Unde patet quod absque titulo ordinari non licet; sed titulo inscribi et aliud machinari quid prodest? Imo quam plurimum obest: titulum namque in dolo suscipiunt, quoniam sub titulo servire nolunt. Nonne dolum facis dum titulum ore suscipis, corde abjicis? Nonne, quantum in te est, absque titulo ordinari, dum inscriptum recusas, et alterum non habes? Nonne, dum publica audientia titulo cujuscumque Ecclesie lecto assentis, ministrum in ordine suscepto ejusdem Ecclesie quasi sub voce preconis futurum te profiteris? Sed cum tanti promissi pollicitatio a negligente postponitur, quid aliud quam apostasie crimen mente sacrilega perpetratur.

CAPUT XI.

Cur citra subdiaconatum remanet conjugium.

Citra subdiaconi gradum nuptias celebrare licet: postea autem id fieri censura ecclesiastica prohibet. Ideo namque postremi tres sacri ordines nuncupantur, quia quanto altari propinquant, tanto continentiori vite se obligant. Unde eis dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (Isai. LII, 11). Qui ergo calicem Domini ex officio bajulant, calicem demoniorum postponant, imo et ab amplexibus, aliis permissis, quiescant. In veteri lege quoniam solam leviticam tribum ministrare in templo decretum erat, ministris altaris celebrare connubia conveniebat. Singuli tamen ministerii sui vice celibem vitam agebant, quatenus liberius, imo et dignius figuris et caeremoniarum umbris deservirent. Lex vetus quoniam metam suam contigit, auctoritate finita, sacerdotibus gratiae non reducat conjugium, nisi reducat figuras caeremoniarum. Qua ratione D sacerdotes sibi jura connubii intorqueant, cum lex nostra laicorum libere, sacerdotum non nisi (353) cum mora filios ad ordines promoveat? Antiqui quando a ministerio templi cessabant, ad uxores accedebant: nostros, quoniam saepe praesto esse oportet, nunquam amplexibus vacare licet (354). Illi, dum animalium carnem et sanguinem bajulant, tactum abhorrent conjugum; nostri vel ad suum vel ad opus aliorum, ex officio habent carnem Domini et sanguinem quotidie tractare, licitosque pu-

tant amplexus etiam meretricum. Apud nos enim sacerdoti nulla copulatur conjugio, quoniam quando libet eam dimittere licet. Praeterea copula hujusmodi praevericatrix est; quoniam generali sanctione interdicta est. Monachus ipso vitae suae habitu, et clericus sacri ordinis gradu, uterque absque voce continentiam reipsa profitetur. Clerici in choro, laici sunt extra. Presbyterium sacros ordines continet; singuli quantum ab aliis loco et habitu differunt, tantum morum honestate praefulgent. Prerogativa loci, et habitus, quiddam magnificum polliceri videtur. Sibi quisque caveat, ne penes se falsa pollicitatio fiat.

CAPUT XII.

Quid agendum ut in suo gradu bene quis vivat?

Quamobrem quicumque in suo gradu conversationem inter homines quaerit habere bonam, is primo invigilet ne contra Deum ascendat in gradum. Nam: *Qui non intrat per ostium in ovile sed ascendit aliunde, fur est et latro* (Joan. x, 4). Ostium est Christus, quoniam ipse dicit: *Ego sum ostium* (ibid.). Ovile ovium, conventus est Christianorum. Ministraturus ergo in Ecclesia, introeat per Christum et bene ministrabit; male autem, si aliunde ascendit. Qui legitime accedit, per Christum intrat, hic **227** ex introitu jam accepit unde, nisi deficere mavult, in persecutione bene agat. Qui autem dignitatis suae gradum usurpat, utique nihil aliud meretur, nisi ut in ea inique se habeat, et si aliter contingit, gratia facit. Quare qui intrat per ostium, pastor est ovium; qui ascendit aliunde, fur est et latro. Si consideras et hinc per humilem portam introcuntem, et inde per superbam ascendentem, quid aliud rite de utroque sentiendum est, nisi ut alter de alto corruat, alter ad alta conscendat: hic in grege Dei laudandus, ille perniciosus. E converso nonnunquam fit, sed ab initii natura dissentit. Locutio autem nostra qua et Dominus est usus, quod naturae est, tanquam notum complectitur; quod vero contra est, quasi insolitum recusatur. Quapropter quicumque ordinatur, aut beneficium quodlibet accipit in Ecclesia, vel etiam praeficitur in ea; caveat sibi ne ipse, aut per se, aut per alium machinatione quadam hoc adipiscatur (355). Quod si prece accessit, *munus est a lingua*: si quopiam genere servitii admissus est, *munus est ab officio*. Si vero pecunia eo spectans intercessit, *munus est a manu*. Sed, *Beatus est qui excutit manus suas ab omni munere* (Isa. xxxiii, 15). Quare acceptor pariter et dator caveant ne dextra eorum repleta sit muneribus; alter videat ne ita ascendat honore, ut corruat ambitione, secundum illud: *Dejecisti eos dum alleverentur* (Psal. lxxii, 18): si per se, aut per alterum rogando, aut obsequendo id molitur ut sublimetur, graviter offensurus; si vero per pecuniam id obti-

(352) Conc. Calchutiens., can. 6, tom. I; conc. Angl. Isaac Ling. in canon. tit. ad id speciali.

(353) Extra l. 1, tit. 17, De filiis praesbyt.

(354) Hieron., l. 1 contra Jov.; Chrys. l. vi De

sacerd.; Siricius ad Himer., c. 7 et 12; Innoc. I ad Vietri., c. 9, etc.

(355) Greg. ho. 4 in Evang.; 1, q. 1, c. *Sunt nonnulli*.

neat, gravissime mulctandus; quoniam, *Nemo sibi A sumit honorem* (*Hebr. v, 4*), et gratis accipiendum est. Alter iterum illud procuret, ut eum qui se intrudit, quasi indignum recuset.

Quod si cuiuspiam meritis admonitus, aut ipsius amicis persuasus, illam in clero promovet, utique non peccat; tantum ineptum ne promoveat, item itemque diligenti indagazione vestigans utrum persona sit provehi digna, quam cum probaverit idoneam, tamen si illa de causa libentius admovet honori, quoniam aut pro ea est rogatus, aut illi rationabili ex causa est astrictus, non puto id male fieri. Virum bonum, quoniam illi obligatus es, aut quoniam de eo tibi suasum est ab honore sibi competente repelles? Hinc nimium te exhibebis durum, inde beneficii ingratum.

Sed dicis: *Ementes et vendentes de templo Dominus ejecit* (*Matth. xxi, 12*), imo et adhuc dejecit. Noli nimis esse justus, ut nullum in Ecclesia provehas, qui tibi commodus exstiterit, ne provectionem vendas. Nam quomodo tu vendis, cum nec ille, ut tu conjicere potes, tibi sit obsecutus, nec tu ideo obsequium susceperis, ut illi id conferres quod gratis dandum est? Fortasse quod bene penes te promeruit, tali modo rependis: attamen gratis das, quoniam ut dares, munus non accepisti; tantum personam negotio honestam propter Deum promovisti. Neque enim debes promovere ineptum, neque aptum ita quod non propter Deum. Quod a plurimis rogaris, quod ipsi obligaris, te incitat ad promovendum; non tamen ideo facias, nisi id prius placere Deo cognoscas: quod ut noveris non divinam eam tuæ, verum tuam ut satisfacias divinæ, voluntatem imple, quatenus divinam tua voluntas sequatur, et non præcedat.

Omni custodia serva cor tuum (*Prov. iv, 22*), ne culpa dejiciaris dum allevaris honore. Unde tibi acutius intuendum est ne prava intentio interim regnet in corde, dum tu extra sublimaris honore, quem jam etsi coram hominibus bene obtineas, potest tamen fieri ut ante Deum corde pravo accedas. Sicut plerumque fit ut antistes quempiam bene et rite videatur promovere, male tamen et non recte ipsa re agat, dum in actu suo terrenum quodlibet considerat.

Præsul ergo dum diversa officia cum possessione ad officia pertinente, ministerio Ecclesiæ distribuit, dum ordines et dedicationes, dum denique quidpiam spiritualis industriæ celebrat, nihil aliud meditetur, nisi ut illud per omnia transigatur quod inter proximos fieri debeat, et unde gratus Deo existat, ut nihil avaritia, nihil vana gloria aut aliud hujusmodi **228** usurpet. Pari quoque modo qui promovetur, nihil aliud meditetur nisi ut quod sibi commissum est, diligenti circumspectione exsequatur, usque adeo ut ad animæ salutem et intentio spectet et

opns: nimirum pleraque mundi negotia exerceri licet, ut substantia hujus mundi affluat, tantum id videtur, ne inique res mundi quæretur, aut quæsitæ servetur, vel dispendatur. Judicis tamen officium cum sit quodammodo sæculare negotium, nonnisi cum periculo animæ propter lucra administratur. Nam districtio justitiæ pro correptione malitiæ, pro pace Ecclesiæ inferenda est; in hoc enim quasi vicem Dei supplens, minister Dei est; *in hoc non sine causa gladium portat* (*Rom. xiii, 14*). Clericus ergo alia ea intentione agat ut sibi suisque necessaria vitæ provideat, officium autem in clero nec suscipiat, nec exerceat, nisi ut animæ commoda inquirentur. Utique juxta Scripturam, qui altari deseruiunt, de altari vivant (*I Cor. ix, 13*). Sed aliud est **B** quidpiam agere ideo ut inde vivas, aliud quidpiam agere unde vivas. Verum aliud intende quam ut inde vivas. Quamobrem in Ecclesia ministrare ingressurus, non aliunde ascendat; per ostium introest, cavens præcipue aut inter præcipua, Simoniam.

CAPUT XIII.

Quod spiritualis potestas non sit emenda vel vendenda, vel ejus possessio.

(356) Simon Magus Petro pecuniam obtulit (*Act. viii, 18*), ut potestate accepta, et famam sibi compararet et census. Quantum ergo in se erat, potestatem emebat ut venderet. Unde oportet ut spirituales potestatem neque emas, neque vendas, ne ex utrolibet Simoniacus fias.

Sed dicis: *Dignitatem quæ munere sancti Spiritus provenit non quæro, tantum possessionem ecclesiasticam adipisci laboro*. Si quam in rebus Ecclesiæ possessionem, quam sine ministerio spirituali habere non liceat, per pecuniam venaris, solo conatu Simoniacus es; non quia possessionem emas, verum quod cum possessione ad id quod tali via haberi non licet, accedis (357). Nam juxta antiquam traditionem, quisquis eorum quæ separatim habere non est, alterum emit; neutrum inemptum derelinquit. Quamobrem quidquid apud te cogitaveris, absque dubio Simoniacus es, quoties illud emptione obtines, quod ecclesiastica qualibet absque dignitate

D obtinere non vales. Quod si Simon Magus maledictione damnatur solam propter voluntatem; tu evades Simoniacam inquinatus per operationem? Petrus namque Mago respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act. viii, 20*); quasi diceret: *Si eam recepissem, mecum et tecum in perditione esset*. Nunc autem absque me solo, tecum sit in perditionem; nec perditionem tuam exopto, verum meritis tuis condigna denuntio, ut non me tecum, imo te solum pecunia a te male oblata, a me autem bene repudiata detrudat in infernum. Ergo cave, dator; imo cave, et acceptor, ne pecunia una utrumque

(356) Mag., l. iv, d. 4; Ivo, v p. Decret., c. 85, 91, 95, 122, 208.

(357) Ivo, ii Decret., c. 84.

ad gehennam pertrahat; inferius autem te, quem oportuerat ambobus providere.

Si autem in ovile Christi minister male ingressus es, age pœnitentiam, et ministra; nisi forte detestabilis introitus scandalum fecerit haud aliter sapiendum, nisi quod male ceperas dimittere velis; ejusmodi est gradus actu Simonie habitus. Scandalo autem satisfactione correcto, ministrare licebit, nisi forte res adeo sit execrabilis ut aut vix, aut nunquam ministerio admitti oporteat; quale est homicidium, aut proditio, maxime causa dignitatis habendæ, patrata. Non enim fit ut homicida aut digamus; raro autem fit ut publice flagitiosus in Ecclesia promoveatur, aut in promotione dimittatur; non quod post veniam peccati, aut digamiam conjugii, minus pertineat ad salutem, verum sacramenti dignitatem. David prohibitus est ne templum Domino ædificaret, quoniam vir sanguinum erat (*III Reg. v, 5*); Salomon est admissus, quoniam pacificus erat. Bonus uterque fuit, melior tamen est **229** repulsus: cur, nisi gratia sacramenti? Nimirum vir quietus, et paci conciliandæ aptus is rite spirituali ædificio quod est Ecclesia, est præficiendus. Qui autem homicida existit, aut digamiam contraxit, uterque tanto negotio indignus recusatur, quoniam alter templi Dei violatorem, alter simplex Christi et Ecclesiæ conjugium non declarat. Qui autem anteactæ vitæ infamia sorduit, is difficile promovetur, aut post destitutionem restituitur; nisi si quando religiosa atque omnibus grata conversatio id persuaserit. Et licet persecutio Ecclesiæ, et Stephani occisio, ut apostolus fieret, Paulo nihil obfuerint; tamen districtio catholicæ institutionis negligenda non est, qua cum saluti nihil depereat, cautelæ multum accrescat.

CAPUT XIV.

De sacramento semel imposito, et suspensione, et degradatione.

Notandum autem quod sacramentum semel impositum, cum vita permaneat bono utique bonum, malo autem ad malum. Unde rebaptizari aut reordinari non licet. Fit tamen ordinatis suspensio, fit etiam, cum nimia est culpa, degradatio. Sed illa metam non figit, ista facit; neutra potestate sacramenti privat, utraque ab officii exercitio alienat, sed ab usu semovet; altera minus, altera diutius. Quem cum resumi satisfactio atque ratio petit, non ideo sacramentum ordinationis iteratur; tantum autem intermissa potestatis operatio, favente prælato, exercetur. Dum autem sententia suspensionis aut degradationis manet, quid si interim officium interdictum agatur? utique propter potestatem quæ non aufertur, sicut boni ita quoque et prohibiti videntur sua uti posse, verum malo suo omniumque qui intus ita sunt ut prohibitionem contemnant,

CAPUT XV.

De capellano et sacerdote parochiano.

Quisquis autem bonum introitum habet, magno opere pravam executionem vitet. Quid enim predest

iter rectitudinis cœpisse, et ante consummatum deficere? Quamobrem sacerdotii ad dignitatem promotus, sive curam tabernaculi, sive templi tibi habeas impositam, morem boni pastoris age. Et quid est tabernaculum, nisi mobile habitaculum, quales sunt curiæ? Quid item templum, nisi quod est uno in loco fixum, quales sunt parochiæ? Ergo, sicut antiquitus apud Judæos erant qui ministrarent tabernaculo, et postmodum qui deservirent in templo, ita in Ecclesia quæ veteris umbræ veritatem continet, cur non præsulum cura, sacerdotalis provideatur custodia, nihilominus curiis quam parochiis; ita tamen ut quoque se curia vertat, nunquam presentis parochiæ jura imminuat. Capellanus fructus curiæ sibi commissæ metat; quidquid autem intra parochiæ fines clauditur, parochiano derelinquat.

CAPUT XVI.

Qualis sacerdos debeat esse et cur talis?

Sacerdos doctrina et vita pollere debet, ut subditos et verbo erudiat, et ad id quod docuerit, exemplo trahat. Nam qui dicit et contra agit, aut non creditur aut contemnitur. Hujusmodi nec docere, nec peccantem castigare licet. Angustiæ sunt undique: væ illi si cessat, quoniam officium habet ut agat: væ si non cessat, quoniam indignus est ut agat. Loqui oportet ex officio, et minime id decet pro peccato: *Peccatori namque dicit Deus: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? (Psal. XLIX, 16.)* Nota **230** iniquo nec lectionem nec orationem prohiberi; sed tantum ne aliis legem Dei enarret: unde a ministerio Ecclesiæ arcentur qui criminum rei convincuntur. Qui trabem in oculo suo habet, ex oculo fratris festucam ejicere non valet (*Luc. vi, 42*). Dominus namque, cum muliere in adulterio deprehensa, in medio staret, lege circumstantium lapidanda, sententiam rogatus, ait: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat (Joan. viii, 7)*. Qua sententia misericors miseram liberaret, mentesque fidelium perstrueret, quatenus is qui reum judicat, reatum apud se nesciat. Qui ergo iniquus est et iniquos sententia judicii ferit, is et institutum Christi transgreditur, et deterior Judæis, qui illud exhorruerunt, efficitur. Doctor ergo sive judex, aut justus, si id nondum est, fiat, et negotium suum agat; aut si talis esse non vult, negotium deponat: accumulatur enim sibi gehennam quisquis judicem se profitetur, si gladium non exerit, aut exerto indignus ferit.

CAPUT XVII.

De doctrina sacerdotis, studio et baptismo.

Doctrina sacerdotis continetur in duobus, id est, in fidei puritate, et deinde morum honestate. Sacerdotis ergo studium in eo primum invigilet, ut parochiam suam (non enim de illo nunc agitur qui inter fratres privato utitur sacerdotio) mysterium Trinitatis et sacramentum Incarnationis edoceat. Edicat quoque quoniam sine lavacro salus non est, et parvulorum ætas nimium caduca est, quatenus ad Ec-

clesiam baptizandi quantocius deferantur. (358) Quod si de vita desperatur, et adeo ut dilatione nulla opus sit; si clericus deest, laicus subveniat; si alius nullus adest, pater succurrat; si nec ipse præsto est, nemo assistens dubitet, quin potius sacramentum imponat quam homo pereat. Nec parentes cum necessitas extrema cogit, ea causa a succurrendo retardentur, quasi societatem tori ex hoc illicitam dissociari oporteat. Nam, sicut quisquis dissidium conjugii quærens, malo dolo ad proles suæ appropriat regenerationem, frustratur proposito, quoniam non separatur conjunctio; ita qui salutem, quæ aliter deperiret consulens, pio animo baptisma natis suis celebrat, is pro tali causa a conjuge separari non debet ne parvulum malit perire quam conjugem amittere. (359) Lex charitati deserviens id sanxit ut nemo eam ducat, nec cum ea dormiat cujus filium aut filiam de fonte baptismi suscepit, reputans hujusmodi susceptionem, quemadmodum et cognationem simul cum affinitate sufficere posse, ad hoc ut ii qui taliter sunt conjuncti, sese invicem diligant. Unde decretum est [ut quos hujusmodi conjunctio non sociat, eos connubii copula ad invicem vinciat. Quod ergo charitas adinvenit, contra eam non militet, dum ne contra hujusmodi instituta quid agitur, salus hominis negligatur. Itaque cum aliter succurri non possit, ipse tuam sobolem baptizes, aut ad baptistam, si ita fieri potest, deferas. Sed, ne mors acerba parvulum præripiat, aqua regenerandum comitetur. Et si non sit alius, ipse, dum baptizatur, sacerdoti assistas; nec in tanta necessitate usum Ecclesiæ quo parentes a templo semoventur, dum inibi baptizantur, expavescas. Non enim hic usus quod necesse est fieri, prohibet, verum quodam, ut arbitror, consilio errorem præcavet, ne dum more antiquo, maxime solemnitate paschali, parvuli undique ad Ecclesiam baptizandi deportantur, quisquam deceptus suum quasi alienum de lavacro suscipiat. Parentes ergo universi excluduntur, ut a nullo error susceptionis incuratur. Sed cum nullus error esse potest, ad quid opus est foras cogi parentes, nisi forte ut consuetudo vetus ad memoriam reducatur; præsertim cum illo fit in loco ubi nulla jam baptizandorum multitudo convenire solet; quod cum antiquitus more fieret, maxime in adultis quibus dilatio periculosa non erat (quippe in fide catechizatis, et ad majus Ecclesiæ **231** gaudium Deique præconium erat, quippe simul baptizandis) modo fieri non solet, quoniam soli fere parvuli baptizantur, quorum corporis vita, nimium incerta; animæ vero mors sine lavacro certissima, cogit baptisma maturari, singulatimque regenerari.

Regeneratione autem peracta, sicut post confessionem, oblatio solet fieri Deo ut bene cœpta perficiantur. Hujusmodi a fidelibus decet fieri, non tamen a sacerdotibus extorqueri. Quid enim est pecuniam exigere pro regeneratione, aut confessione,

A aut ordinatione sive dedicatione, nisi columbas vendere? Quid missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus? Quid item est locum mortuis debitum venditare, nisi rem alienam usurpando, de morte fratrum, unde potius lugendum erat, exsultare? Quid tandem est, quod jure ministerii, causa salutis et charitatis a clero laicis debetur, pro re terrena exercere, nisi in templo Dei vendere illud quod rectius debetur quam venditur? Sed vendentes et ementes in templo, Dominus ejicere non cessat.

Veruntamen si illud sine quo aut salus abest, aut scandalum adest, mihi atque meis per pecuniam comparo, quod etiam morte emendum foret si aliter haberi non posset; non utique in templo quid emo, sed templum ipsum mihi meisve procuro. Verum quoties salutis nostræ sacramenta more ecclesiastico adipisci valemus, ea utique inhonoramus, si institorum ritu ad obtinenda laboramus, nos quidem male, sed quid vendunt pessime. Clerici ergo nihil venalitatis in officio sibi commissio exerceant, cum etiam juribus sæculi negotiatio forensis turpe lucrum in clero reputetur. Sed etsi clericus jura sui gradus venditaverit, laicus, ne simul pereat, emere non præsumat; nisi forte id cogat ratio necessitatis. Nam si sacerdotis avaritia, quod absit! non nisi re data id tibi velit conferre quod opus est in religione, ipse potius cum pecunia tua pereat, quam tua vita sine opere sordescat.

CAPUT XVIII.

Incipit de doctrina morum.

Edocta fide, restat moras docere. In doctrina morum antecedit resecatio vitiorum, subsequitur informatio virtutum. Dum enim vitiis quisquis intendit, nondum virtutibus aptus est. Vitiorum atque virtutum vicissim prosequenda est natura, progressio, atque finis. Doctor ex scientia verbum prædicet, ex potestate transgressum flagellet. Doctrina namque sine flagello, et flagellum sine doctrina idem fere est; nimirum alterum sine altero prodesse raro potest. Plerumque tamen tanta prævaricatorum multitudo aut potentia est, ut sola opus sit exhortatione, quoniam hujusmodi ferire non oportet, ne in seditionem (360) versis et correctio incassum fiat et quies Ecclesiæ turbetur. Quare ratio utilitatis magistra sit disciplinæ, qua dictante, alia oportet animadverti, alia dissimulari. Apostolus cum eo qui frater nominatur, si criminis est et incorrigibilis (*I Cor. vi, 11*), prohibet nec cibum sumere, judicare præcipiens illos qui intus sunt, prohibens eos judicare qui foris sunt. Quasi foris et extra Ecclesiam sunt, in quos aut potentia sæculari, aut favore multitudinis fretos animadversio ecclesiastica fieri nequit. Hos more gentium attrahi, non exasperari oportet, illos autem qui inordinate

(358) xxx, q. 1, per totum.

(359) Ead. q. c. *Ad limina*.

(360) Aug., ep. 50, ante finem. Et contra ep. Parmen., l. iii, c. 2; Innoc., ep. 22, c. 6.

se agunt, cædi convenit, si intus, id est, si ad Ecclesiam pertinentes, aut nolunt, aut etiamsi voluerint, non possunt decretis obsistere ecclesiasticis.

CAPUT XIX.

De prælatis, continentibus, et conjugatis.

(361) Tres Ecclesiæ sunt partes, prælati, continentes, conjugati. **232** Hi sunt Noe, Daniel, Job, in agro, lecto, et molendino. Noe arcam regens in diluvio, hi sunt prælati Ecclesiam gubernantes in sæculo. Qui etiam in agro sunt, dum terram mentis nostræ aratro doctrinæ suæ proscindunt, et proscindendo, apte semen verbi Dei, unde proferat fructum bonorum operum, credunt. Continentes continens Daniel designat. Hi in lecto sunt, quoniam talibus competit quieta vita et a sollicitudine mundi semota. Job quoniam uxorem habuit, uxoratos insinuat. (362) His quoniam sollicitudo domus laborque incumbit, clamosa molendini, et inquieta inhabitatio convenit. Suo igitur studio singuli insistant. Noe agrum excolat arcamque regat, fugiatque mulierum amplexus; qui extra seminarum contubernia in agro aut in arca mensionem suscepit. Unde Noe non cum uxore in arcam (363) introiit, nec uxorem, arcam regens cognovit.

Quid est ergo quod Apostolus ait: *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam* (I Cor. vii, 2). Si generale decretum est, nonne temerario ausu quisquam castimoniam amplectitur? cur ipse dixit et non fecit, qui testimonium continentiae suæ ponens ait: *Volo omnes esse sicut ego sum?* (ibid.) (364) Quomodo vult omnes esse castos si quemque mandat suam habere? Sed ne de Ecclesia continentium ordo apostolico depereat decreto, intelligamus Apostolum, ut quisque habeat suam non præcepisse, sed consuluisse; nec consilium hoc proposuisse cuique simpliciter; sed cuique cui opus sit, liceat conjugio cavere fornicationem. Ut enim ii quibus divina lex connubium tollit semoveantur, non ait, *concupinam*, sed *uxorem suam unusquisque nabeat*. Ut autem ii qui continere valent potius contineant, propter fornicationem videlicet vitandam, incontinentes uxorari decrevit. Nam (365) si sacerdotes legis, tempore vicis suæ, ad uxorum suarum contubernia minime redibant, quos conjugari oportebat, quoniam de sacerdotali tribu ministros sacrificiorum, et figuræ sumere necesse erat; quomodo sacerdotes gratiæ, tempore ministerii sui, quorum semper est ut aut baptizent, aut infirmos cum eucharistia visitent, aut aliquid tale agant, uxores habebunt, non jam umbram figuræ, imo corpus rei designatæ, carnemque Christi atque sanguinem tractaturi, et de qualibet conditione hominum sumendi, præsertim, cum apud nos presbyteri atque feminæ nulla sit copula, nisi alterutrum

A cum libuerit separanda, vel quando aliter fiat, Ecclesia irritum putat? Prædicator ergo continentiae fornicationem caveat, mulierumque abominetur amplexus: apud nos enim, sacerdotes, si continentes non sunt, fornicatores pulsa ambiguitate sunt. Fornicatores et adulteros iudicabit Deus tanto utique districtius quanto cuiusque superior est gradus.

CAPUT XX.

De continentibus, et conjugatis.

(366) Daniel sæculi curas perosus in lecto quiescat, castitatemque conatu toto custodiat. Castitas enim in sæculo pretiosa, et exutis a sæculo pernecessaria; tales enim nec fornicatores esse possunt ne gravius pereant; nec conjuges, ne aut contra votum faciant cum conjugio, aut contra conjugium cum voto. Connubium enim ad sæcularia negotia trahit, sed illa propositum voti interdicit. Unde Dominicum consilium illud: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus* (Matth. xix, 21); nequaquam ad conjugatos dirigitur. Verum: *Qui potest capere capiat* (ibid.). Namque ii neque possunt sua relinquere, neque propter regnum Dei se castrare. *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem* (I Cor. vii, 27); quoniam autem uxorem non debes dimittere, nec re tua poteris carere. Ex necessitate ergo divisus es. Nimirum non te potes totum impendere Deo, quoniam ex parte alligatus es mundo. Ad te ipsum anima tua conturbata est, propterea memor esto Dei de terra Jordanis (Psal. xli, 8); videns ærumnas quas tibi cura conjugii et labor mundi ingerunt, **233** conturbaris, respira paululum: memor esto Dei, quoniam conjugium ex Deo est, et cura familiæ contra Deum non est: *Qui enim non habet curam suorum et maxime domesticorum, amisit fidem, et infideli deterior est* (Matth. x, 37). Quare, ne frustra credideris, curam impende tuis, nisi forte aut tua cura non egerint, aut de cura mors animæ certa tibi imminet. Unde Dominus: *Qui diligit patrem, aut matrem, aut cætera plusquam me, non est me dignus* (I Tim. v, 8). Unde oportet ut dum in mundo affligeris, memor Dei, consoleris. Solatium tibi nequaquam deerit, si memor es Dei de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico; si afflicti vis consolari in Deo, esto mons eminentia vitæ; modicus, contra tumorem superbiæ; mons esse poteris de terra Jordanis, id est de fructificatione humilis descensus; quippe fructu bonorum operum surgis, si per humilitatem prius descendis. Descendere ex Hermoniim potes, si anathema vitæ tuæ protractes. (367) Anathema ergo te reddat modicum, indeque surgas per fructum: atque ita factus mons, a monte modico memor esto Dei. Unde reliquum est, ut qui sunt inter uxores, sint tanquam non habentes

(361) Aug., l. ii De pecc. mer. et remiss., c. 10, in psal. cxxxii, et alibi.

(362) Aug., in psal. cxxxii.

(363) Consule notas.

(364) Locus insignis pro cœlibatu D. Pauli.

(365) Vide sup. ad c. 11, ubi citavimus qui Pullo videntur hic præluxisse.

(366) Aug., in psal. cxxxii.

(367) Aug., in psal. xli, vers. 8.

(*I Cor.* vii, 29); non ut nullam curam illis impendant, A sed ne ultra quam oportet intendant; quippe tempus resolutionis nostræ prope est (*II Tim.* iv, 6).

CAPUT XXI.

De excellentia prælatorum.

Sub cura prælatorum reliqui duo ordines Ecclesiæ continentur, conjugati scilicet et continentes, inde sortientes quisque suæ congrua vitæ; inde doctrinam habentes, et exempla vivendi, diluvio sæcularitatis occupante mundum. Ubi vita Danieli atque Job nisi in arca Ecclesiæ? Quomodo in arca sunt, nisi rectori arcæ, ipsi scilicet Noe, subjecti sunt, principaliter Christo; secundo utique vicario? Ita namque; Dominus fideles suos diluvium inhabitare facit et sedebit Dominus rex in æternum (*Psal.* xxviii, 9).

Quicumque ergo regi usque ad visionem Dei desiderat a Deo, is minime dedignetur subdi vicario. Unde namque in lecto aut in molendino vivetur nisi a cultore agri suscipiatur? Qualiscunque agricola sit quid ad te, cum ab ejus manu (nisi accipere neglexeris) vita tibi sit proventura? si pravus fuerit, sibi utique erit. Quid autem inde tibi nocementi surgit, cum adeo, si bonus fueris, etiam per ministrum malum tibi, quod opus animæ tuæ est, procuretur? *Tu quis es alienum servum*, imo prælatum tuum ut *judices? Domino stat aut cadit* (*Rom.* xiv, 4). Ad quem nimirum pertinet, aut stantem munere, aut cadentem perdere? Vide autem ne eadem ejus malitia, et te et ipsum ad inferos trahat; ipsum quoniam eam admisit, te quoniam admittentem elatior Pharisæo contemnis. Memor esto Cham maledictione reprobato, quoniam pudenda Noe patris sui detecta publicavit (*Gen.* ix, 22); Sem et Japhet benedictos, ignominiosa patris nuditate cooperta. Doctorum ergo tuorum, nec reprehensibilis vita fiat tibi narratio irrisoria.

Tu vero, doctor, id intellige quoniam bene agendi duplex tibi incumbit necessitas; tuam enim vitam et in te opus est esse sanctam, et ad subjectos circumspectam; quatenus inobedientes corripias, insipientes erudias, sapientes confirmes. Sapientibus et insipientibus debitor es: in te uno modum vitæ, et exempla sanctimoniam omnes pariter inveniant. In te universi agnoscant, quid in se bene sedeant, quid vero male; habitum oris et oculorum, omnium denique membrorum tanta venustas disponat, ut te inspecto quisque agnoscat, quid in se probet, quid vero reprehendat. Si te ita tuæ professionis æmulator bonus habueris, laurea duplici coronaberis, quoniam nec es oblitus tui, et bene intendis alii. Privatus coronam speret unam, quoniam soli intendit sibi. Esse tamen potest, imo nonnunquam est, ut privatus multa devotione præditus majoris

meriti fiat eo qui in potestate constitutus infimum bene regentium obtinet locum. Facilius tamen **234** est et sæpius fit, ut qui bene regit, bene recto melior sit, sicut qui bene intelligit, si charitatem habet, plus diligere solet; quanquam minus sciens, opitulante gratia, plerumque superiores amando excedat.

CAPUT XXII.

De transitu horum locorum ab uno ad alterum.

De molendino ad lectum, de utroque ad agrum transitus esse potest; non autem de agro ad lectum, imo de neutro ad molendinum redire licet. Cultores enim Dei juxta gradus professionem ascendere decet, descendere non licet. Nimirum continens conjugato superior est, atque merito; uterque B autem in utroque inferior est prælato. Determinandum tamen est, per hanc qualiter scalam aut oporteat ascendere, aut non liceat redire.

(368) Qui lege conjugii copulantur sibi, legem continentiam subire non valent, nisi prius assensu communi ab usu nuptiarum uterque cessare velit: quippe a redditione debiti, si ita alterutrum [*forte. alterutri*] placeat, absolvi possunt, et a conjugio non possunt. (369) Continentia suscepta possunt aut adhuc domum regere, aut lectum intrare. Quod si præpropere quis consortia subintroierit continentium atque lectum quiescentium, quid fiet? Nisi uterque continentiam assensum præbuerit, aut latenter fecerit, si remanens in sæculo querimoniam facit, parem de claustro, ut sibi debitum reddat, recipiet; tandem vota completurum, si post comparem superstes fuerit. Servus aut ad ordines, aut in conventu fratrum (370) minus provide susceptus, an in incepto absque Domini sui clamore manebit; aut si clamoroso silentium jure non imponitur, injuriam fieri non oportet? quid ergo? illumne ex gradu depositum, hunc habitu religionis spoliatum, domino suo, cui fraudulenter illatum est damnum, decet restitui? Hujusmodi enim cum licentia de molendino in lectum transire oportuerat, aut in agrum. Unde qui, inscia uxore, sacros ad ordines applicatur, postquam rescitum fuerit, uxori, ut opinor, non propter ordinem auferetur, ordo potius quasi non esset, supprimetur.

Qui autem occupatus est cura suorum et maxime domesticorum, ne amittat fidem et infideli deterior sit (*I Tim.* v, 8), quietæ vitæ cupidus, suos tamen non deserat, nisi si quando eo carere possint, aut ejus contra salutem sint. Sin autem id aliter contigerit, quid fiet? Num reducetur? At id insolitum est. Perituris auferetur? Id vero durum est. Quid igitur hic et supra dicendum? Ignoro. (371) Num istud: Fratres aut provisorem reddant, aut potius inopi familiæ provideant. Servus quoque reddatur

(368) xxvii, q. 2, Agath.

(369) Aug., ep. 199 ad Edic. et 45; in psal. cxlix, et super Num. q. 59; l. i De adult. conjug., c. 2; Greg., l. v, ep. 49. Hieron., in Apol. contra Jovin., etc.

(370) Aug., ep. ad Bonifac. Comit.; Conc. Chal., a. 45; Arelat., c. 5, et apud Ivon. vii p. Decret., c. 44. Gelas., ep. 1, c. 16, etc.

(371) xxvii, q. 2; Mag., iv, d. 27, § 8. Vide ad tit. De conver. conjugat., extra l. iii.

domino, aut potius redemptio: nam si uxor viro, cur non servus domino similiter restituatur? Qui enim uxorem a viro non discedere statuit, idem que sunt Caesaris Cesari reddere mandavit.

Molendinum inhabitantes et per se et moniti lectum subire possunt. De neutro in agrum est per te exeundum; Ecclesia tamen vocante es cogendus, neque cogentem audias (572) nisi fueris idoneus. Sublimatus dignitate, ad privatum non redeas, nisi ea incumbat necessitas, quia aut contra Deum ingressus fueris, aut post ingressum esse nequeas utilis. Neque enim lucerna super candelabrum accensa, sub modio est occultanda, neque sal infatuatum ad aliud ultra valet nisi ut foras ejiciatur.

(373) Tres tantum viri noscuntur salvandi, Noe, Daniel et Job. Hos tres simul cum perdendis, tribus in locis Dominus esse ostendit, in agro, lecto et molendino: namque horum in unoquoque duo inveniuntur, unus assumetur et alter relinquetur (*Matth.* xxiv, 41). Unde quisquis es, ex tui securitate loci ne torpeas, inde alter assumetur, et alter relinquetur. Provide tibi potest esse ut assumaris, potest esse, quod tibi vicinius est, ut relinqueris. Sed quomodo perituri, atque beandi, æque omnes, non nisi supradictis in locis commanent? Quippe non solum conjugati, verum omnes curis mundi intendentes sive boni, sive **235** mali molendinum inhabitant. Qui labores sæculi et voluptates inquietas mundi aut postponit, aut faciem postponentis suscipit, is est in lecto. Et quis inter subditos, imo et inter universos, qui non aut quiescat, aut operi intendat, præter parvulos, quorum teneritudo nescia, utrique interim inepta est? Inter operosos alii sunt super alios. Quis ergo est qui non quietam aut laboriosam agat vitam? Etiam inter gentes philosophi otium maluerunt. Quis inter activos, nisi aut ut superiori obediat, aut inferiori provideat, quod et inter gentes.

Quare aut prælatum esse oportet, aut subditum: nam qui prælatus non est, si nec subditus est, acephalus est. Prælatus in agro constituitur; subditus aut in lecto, aut in molendino. Quanquam et in molendino alii aliis, sed potestate mundana, præferantur. Nam qui spiritualiter præest, is potius in agro est; sed si acephalus in vitio est, multiceps non est. Uno in loco commorantes unius capitis, id est prælati, esse possunt. Verum quorum vita in transitu est constituta, quod caput habent nisi cuiusque loci ubi sunt, caput suscipiunt? Nec absurdum, imo necessarium est hoc modo multa mutare capita. Quis enim est qui non sub uno capite Christo multa habeat capita, presbyterum, episcopum, superiores quoque dignitates?

Curiales (nisi in curia sortiti sunt prælatum)

(572) Chrysost., l. iv De sacer. c. 1, etc. Vide in notis.

(573) Aug., in psal. cxxxii.

(574) Aug., tract. 124 in Joan. post med.

atque peregrini, in quacunque parochia sint, illius magisterio obsequantur. Bonum tamen est, et usus Ecclesiæ habet, ut qui peregre proficisci disponunt, consilio illius de cuius parochia sunt, peregrinentur, ne forte quod debet placare Dominum, exasperet. Qui enim uxorem habet, peregrinari non licet, si aut illa contradixerit, aut præpropere consentiens, debito carere nequit. Illam ergo servet, cui fidem debet. Similiter, nec servus dominum, nisi, eo favente; nec prærogatus subjectum, si fiat periculose, peregrinaturus aut aliquid aliud facturus, derelinquat. Mercatores quoque atque discipuli vagantur, qui dum proprio in loco sunt, proprios habent animæ suæ consultores; dum extra sunt, sortiantur temporales.

B

CAPUT XXIII.

De contemplativa et activa vita.

Tres Ecclesiæ ordines duas profitentur vitas: primam activam; secundam, contemplativam; hæc suo modo et apud gentes. Theorica apud philosophos, practica apud ceteros (574). Activa est in labore, contemplativa in quiete. Activa in bonis operibus insistit; contemplatio ut fidem et opera noscat intendit. Actio colendo Deum, juvando proximum promeretur beatitudinem: contemplatio supernæ vitæ statum rimando; illius prægustat status dulcedinem. Hæc docet, illa exercet; illa fatigat, ista recreat. Ibi tristitia cum tædio, hic contuita Dei bonitate respiratio. Unde delectabilis est contemplatio, et institutionis sanctæ perita. Hæc est (575) Rachel aspectu decora, visu clara, quam amplexatur Jacob (576). Actio autem ipsa est fastidiosa; et quoniam multis turbatur, minus utilium gnara: hæc est Lia (577) quam fastidit Jacob, oculis lippa. Lia prius nubit quam Rachel, quia actio anteire debet contemplationem. Nimirum actio novitium consuefacit bono et promovet, promotum autem contemplatio quadam dulcedine recreando confortat. Nam qui ante quiescit quam agat, potius ex otio torpet animoque vagatur et perit, quam contemplando quippe quod nondum quid sit compertum habet, secreta inspicit et dulcore captus hilarescat. Rachel chara est ex se; placet quoque Lia, sed ex fecunditate: nam contemplatio sui merito Isaacem delectat; Jacob autem tædia actionum non ferret, nisi laborum utilitas confortaret: hæc enim est Martha, que sollicita est, et turbatur erga plurima (578); Romano convivium in membris parat, ut quoquo modo aut reficiat hominem, aut hominis mentem. **236** Parat utique, quoniam spiritus promptus est, sed cum sollicitudine, quoniam caro infirma est: de apparatu sollicitatur, imo et de exhibitu turbatur; bene vult, nescit quomodo; nescit unde, et sollicitatur. Quod bene voluit, tandem efficit; sed voluntati minus respondet effectio, et turbatur. *Ma-*

(575) Isid., l. iii Sent. c. 45, et l. i Diff., c. 29.

(576) Ivo, ep. 17 et 23, ad Urban. PP.

(577) Ibid.

(578) Aug., serm. 27. De verb. Dom., et sup. 26.

ria autem sedens ad pedes Domini audiebat verbum illius (Luc. x, 39). Hæ duæ illa in domo sunt, ubi Dominus conviyatur; et contemplatio et actio in Ecclesia sunt ubi Dominus spiritali convivio exhilaratur.

Peerat aliquandiu Lazarus in sepulcro mortuus, sed ambarum intercessione reviviscens, inter sorores manet sanus; hic est quem peccatum occidit, sed sanctorum interventu inter fratres prius relictos jam vivit. Mortuus nullam sui curam agebat, revixit tamen, sed viventium prece: *Multum enim valet oratio justî* (Jac. v, 16). (379) Martha laborat ut Dominum pascat, Maria quiescit ut a Domino pascat. Verum quoniam nemo pasci est dignus nisi vestigia Domini fuerit imitatus, ideo Maria ad pedes Domini sedet, dum fidelis quisque a curis sæculi cessat, quatenus Dominicis mandatis intendat impendis, atque verbum Domini audit, dum quid velit Dominus intelligit. Vis intelligere legem? *Serva mandata* (Matth. xix, 17); et item: *Vacate et videte quoniam ego sum.* (Psal. xlv, 11,) etc. Actio et contemplatio, tanquam sorores et amicæ, vicinæ sibi sunt seseque comitantur modo. Verum prior natu cum mundo est desitura; minor autem post mundum regnatura. Nam *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (Luc. x, 45); quasi diceret: Pars Marthæ quæ sollicita est et turbatur, tollenda est, et ideo se Martha in inquietudine consoletur; pars autem Mariæ quæ Domino subjecta, illius doctrina fruitur, hic utcumque est, vere autem in futuro manet. Ibi namque *erunt omnes docibiles Dei* (Joan. vi, 45): modo autem contemplatio juncta est actioni. Unde Jacob simul cum Rachel Liam habet; actio autem fastidio sui diu stare non potest, nisi si quid ad confortandum ex dulcedine contemplationis prægustet. Unde post Liam Rachel est introducta, sed dulcedo hæc diu durare non solet; quoniam, sicut serenitas, causa retributionis, futuro debetur sæculo, ita præsentis molestia, meriti gratia: *Judicium enim incipit a domo Dei* (I Petr. iv, 17), tum ut vitiis expurgetur, tum ut merita enumerentur, tandem ne exsilii peregrinatione deleatur.

Sed ne medicina modum excedat, inter densa acrium, vel sparsim dulcia carpuntur. Unde Apostolus assiduo malorum usu attritus, secundo cælis invehi meruit causa solatii. Quare sicut in futuro sancta voluptas invenietur perpetua, ita modo brevis est et horaria; molestia vero illa continua est, et interrupta raro. Hoc est, Lia cito nata, mori tarda est; Rachel autem tardat nasci, cito recessura. Rachel enim posterius natam historia memorat, cujus ad mortem narrandam festinat; Liam vero majorem natu refert, sed referre mortem differt, vel potius non refert.

Quoties autem dum agendo laboratur, sapor quidam sanctus in labore sentitur, contemplatio actionem confortat; quando autem contemplationi in-

tendis, et alicunde nonnihil molestiæ se interserit, scias Martham quietem Mariæ interrupuisse, ut quidquid in sollicitudine Marthæ te secundum Deum delectat, cooperatrix Maria largiatur. Quidquid vero te in quiete Mariæ interturbat, de vicinitate Marthæ ingeritur; nimirum quoniam serenitas nondum est plena, irrumpunt nubila nonnunquam, imo sæpe. Item quoniam molestia præsens nonnihil boni adjunctum habet, ideo inter dura consolantur amœna. Activa vita ipsi Job in molendino, contemplativa Danieli in lecto, deputatur.

CAPUT XXIV.

Qualis prælatus debeat esse.

(380) Quæ est ergo pars ipsius Noe in agro, quæ ad hoc laborat ut utrumque pascat? Quomodo contemplativos pascet contemplationis ignarus? quomodo activos reficiet actionis inconsuetus? Ergo qui præesse debet, debet quoque utriusque vitæ experimenta habere, ne ab insultantibus, his verbis illudatur: *Hic homo cepit ædificare et non potuit consummare* (Luc. xiv, 30)? Quamobrem præsumat nemo de molendino ad agrum transmeare, nisi forte si non habitu vel professione, ipsa vivendi maturitate, amœna lecti gustaverit. De lecto autem ad prælationem assumi vix est aliquis idoneus, nisi prius volutabilitate molæ fuerit rotatus. Non enim nos decet *habere pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; sed tentatum per omnia, qui condolere possit iis qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* (Hebr. iv, 15). Qui enim experimento tentationum molestias apud se persensit, et spiritu fortitudinis evicit; qui ignorantiam perpendens humanam, sæpius desudavit ut inveniret verum; infirmitati nostræ, ad cadendum pronæ, sæpenumero oblectatus; is tandem inopiæ nostræ consulere sciet, et ex compassione volet. Qui hoc ignorat, sit ex imperitia errabundus, ex duritia in subditos sine affectu et immansuetus. Quare qui circa molam didicit quietem, et in lecto expertus est laborem, is utroque in statu poterit proficere. Unde qui erat Jacob in labore, factus est Israel ex visione: habet Liam et Rachel. Hic est qui merito vitæ bonæ contemplativus in tantum cæteris præminet tam activis quam contemplativis, ut quasi vir uxorem, subditam regat plebem.

CAPUT XXV.

Contemplatio et actio quæ cui sit præferenda.

Sed quæ cui præferenda est: utrum actio contemplationi an econtra? Et quidem si attendimus hinc Liam et Martham, inde Rachelem et Mariam, utraque apparebit bona, melior tamen contemplativa. Unde bono Jacob melior Israel est. Ad hoc etiam spectat, quod *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (Luc. x, 45).

Sed Christus imo et apostoli ejus in labore et anxietate actionum maluerunt exerceri, nec inter agendum fructus defuerant contemplativi: verumtamen ex actione exstiterunt et mundo utiliores et

(379) Aug., serm. 27 De verb. Dom.

(380) Conc. Aurel., c. 5.

Deo gratiores. Contemplando solis fere prodessent A sibi; agendo, omnibus profuerunt, et sibi. *Et qui proximum diligit, legem implevit. Probatio autem dilectionis exhibitio est operis* (Rom. XIII, 8). Dominus noster Jesus quia *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, propterea datum est ei nomen quod est super omne nomen (Philip. II, 8). Utique Dominus noster Jesus super omnes homines contemplativus existit, non tamen inde, imo exercitatus labore, Salvator mundi meruit appellari. Eadem de causa ad dexteram Patris sublimatus, omnibus sub pedibus ejus subjectis, donatus est nomine quod est super omne nomen. Eadem causa martyres, præcipue autem apostolos et Deo arctius conjunxit, et sanctis etiam contemplativis superposuit. Nimirum passiones Christi circumferentes, et in doctrina pro Christo legatione fungentes, boni æmulatores, quantum in te similitudine, tantum Domino ac Magistro appropinquant et merito. Ipse cujus regnum non erat de hoc mundo, bene fecit et docuit; et inde est sublimatus: et tu licet privatus, si sancte vivis, et cum decet, proutque decet doces, non es sublimandus?

Dum hæc pensantur, activa præcellere videtur. Utique contemplatio semper est gratior, et si futura spectamus, longe invenitur melior, activa namque terminata tunc tandem se eriget contemplativa, nec ulterius cessabit, atque ideo, *optimam partem elegit Maria*, quippe quoniam non auferetur ab ea. Verum quantum ad nostrum statum, sicut activa sæpissime superatur, ita quoque nonnunquam superat contemplativam: activa namque bonis privatae vitæ moribus hujus sæculi locum præparat contemplationi, et hoc quidem commune est sanctis. Sunt autem aliqui, licet pauci, qui in activa præter cætera laborant, ut **238** sanctas Scripturas addiscant, quas dum memorie commendant, quasi sancta animalia pabula in ventrem recondunt: unde post in contemplatione, quæ labore comparaverant oblectando ruminant; sicque aptantur, prælationi et activæ generali proficui. Actio igitur privata merito et dignitate subest contemplationi; contemplatio autem nostræ mortalitatis, meritis est inferior fructibus actuosæ prælationis, quæ summum a Deo speret gradum in cælo. Nam *super omnia bona sua constituet eos* (Matth. XXIV, 42), ut auctoritas tradit, non quod soli, sed quod præ cæteris habituri. Talis est progressio Jacob de Lia ad Rachel, ut inveniat jucunditatem; de Rachel item ad Liam, ut faciat fecunditatem; de Lia tandem, ut terminet vicissitudinem ad Rachel, jam vere Israel.

Exutis sæculo commoda est contemplatio; involutis, concordat actio; prælato autem utraque incumbit, quatenus contemplando addiscat quid in subditos agat, agendo fatigatus atque ideo recreandus, ad

(381) Ita Bern. ad hæc verba: *Ecce reliquimus omnia, etc.* Ad immortalem sponsum a finibus terræ clamat Ecclesia: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Hæc nempe sunt verba

fomenta confugiat contemplationis; sicque alternando modo, Licet toleret tædia, modo Rachel amplectatur amœna: nunquam immemor suæ se professionis debito excellentissimis activæ vitæ curis obligatum. Provideat ergo saluti animarum; nec corporalem tamen negligat administrationem vicarius Christi. Ipse enim *missus est ad oves quæ perierunt domus Israel* (Matth. xv, 24), et monita salutis edocuit, et necessaria carnis exhibuit: illud est primum, hoc secundum.

CAPUT XXVI.

De duabus dilectionibus.

Ergo duæ sunt vitæ: dilectiones quoque duæ sunt. Sed hæc ad illas quomodo se habent? Non enim bona potest esse vita quæ charitate ornata non est. Utraque operari videtur in utraque. Dilectio namque proximi, plerumque dilectio Dei; præcipue est causa contemplationis: nimirum quia proximos diligimus, dulcedine quadam exhilaramur, dum pro ipsis desudamus. Quoniam autem Dominum diligimus, et servis benefacere lætamur, et ipsum orare eique gratias agere obsequendo quoque illum jugiter meditari jucundamur; jucunditas autem ista utroque ex amore apud nos nata, quid est nisi quædam futuræ contemplationis, atque felicitatis contra hujus exilii dura prælibatio valens ad recreandum? Et quidem voluptas hæc, quæ cum operibus habetur, ex charitate nascitur et contemplationi deputatur. Opera autem ipsa quoque ex dilectione ut bona sint produntia, sive ut colatur Deus, sive ut juvetur proximus, dubium non est activam pertinere ad vitam. Charitas ergo tota sicut in vita, quid agat, invenit contemplativa; ita quoque et in activa.

CAPUT XXVII.

De diversis hominum generibus.

Non est vita nisi harum duarum altera qua possit homo in eo quod facit, placere Deo. Quisquis ergo quiescit a sæculo, nisi ex amore reficitur dulcedine, quomodo contemplativæ est professionis? Qui autem in sæculo degit, nisi charitate tractus bene facit et male facere refugit, quomodo est activus? Ubi speret salutem? Quamobrem qui malitiam, quam mundus in publico habet, reformidans, solitudini se includit, quamvis non statim cœpta cum religione deliciis perfruatur; nimirum circa exordium: *Arcta est via quæ ducit ad vitam* (Matth. XIV, 7), in progressu autem, *jugum Christi suave est, et onus leve* (Matth. XI, 30); attamen quia propter implenda verba (381) laborum Dei, custodit vias duras, dum *spiritus promptus est, caro autem infirma* (Matth. XXVI, 41); utique is non longe est a contemplatione, quoniam et locum quietis adiit, et bonis actibus insistit. Hujusmodi autem magnopere caveant ne in vestimentis ovium apparentes, intrinsecus sint lupi rapaces; opus extra obtendentes bonum, cor intra celantes pravum.

quæ contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis.

239 vel (quod præcipue vitandum est) in publico justissimi, in secreto autem quoque actu nefandi. Quidam enim quærentes quæ sua sunt non quæ Jesu Christi; usurpative aut solitariam vitam ingrediuntur, aut ingressam servant; fessi plerumque sæculo, carni satisfacere quærent in claustris. Qui in conversatione sæculi disfidit exaltari, religionis habitum nonnunquam invadit, superstitione agens ut possit sublimari. Alius neque frigidus, neque calidus, pecudum more consuetudinem sequens, omnia negligenter facit. Alii superbia laborantes, aut invidia æstuantes, omnes præter se, pariter contemnunt; bene etiam gesta sinistre accipiunt. Quidam pietatis specie decepti, excessus fratrum reprehendere non audent; sed quod longe intolerabilius est, aliquando et fovent ignorantes, quos qui cum possit corripere non corripit, ipse quoque consentit. Et Apostolus non solum facientibus, sed etiam consentientibus reatum ascribit (*Rom. 1, 32*).

Sunt aliqui præpositis suis inobedientes, contra Apostolum dicentem: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom. xv, 1*). Anima ita non solum corpore, sed etiam voluntate supponatur, non in his quæ contra rectum, sed tantum in Domino. Nosse enim homo debet nulli se debere obedientiam contra Deum: Deus enim potestates instituit non contra se, sed ad se. Itaque omnis anima subdita sit potestatibus, non quolibet modo, sed sublimioribus, id est, in his in quibus eas superpositas sibi habet.

Dum potestas quæritur, quantum juste potest, evitare ne mala statuatur: postquam autem statuta est, qualis qualis est, ne blasphemies, ne maledicas principi (*Exod. xxii, 28*); tu tantum subditus esto, non solum bonis et modestis, sed etiam discolis. Et hoc ex animo. Quare? Quia *Non est potestas nisi a Deo*, quare ideo? Quia *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Quid inde damni? Audi quid sequitur: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (*Rom. xiii, 1*). Sed quid boni bene subjectis erit, et qui sunt bene subjecti? Id nos doceat Apostolus ita servis loquens: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino et non hominibus: scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber* (*Ephes. vi, 8*). Obediendum ergo est superioribus etiam malis, in simplicitate, ut sicut ostenditur extra, sic sit in voluntate intra. Obediendum dico sicut Christo, non quidem ut hominibus placeamus, verum ut voluntatem Dei faciamus. Est enim voluntas Dei, ut cum voluntate bona præpositis nostris serviamus, ipsumque obsequium esse Dei cultum judicemus. Quamobrem potestatibus is secure serviat, quisquis eo in servitio servire se Deo non ignorat, sciens:

(382) Aug. l. xxi De civit., c. 26, etc.

Quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Deo. Quibus juxta Apostolum, tanquam subjecti tributa præstatis quasi reddituris. Dum pugnant, pro patria agunt, judicia, merito præstatis. *Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes vobis* (*Rom. xiii, 6*), scilicet propter tributa. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* (*ibid.*). Tributum est quod potestatibus regiones solvunt: vectigal, quod datur quando per patrias vehuntur: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Matth. xxii, 17*), etc., alterum enim sine altero non sufficit.

Sint autem potestates sollicitæ, tanquam Deo pro commissis sibi rationem reddituræ, vel damnandæ vel salvandæ, pro officio vel bene vel male administrato. Insipientes ergo edoceant, male agentes corripiant, corrigi negligentes non impune ferant: *Non enim sine causa gladium portant* (*Rom. xiii, 4*), Cæsar corporalem, Petrus spiritalem. Utrique necessitas incumbit, Cæsari ut feriat, Petro ut doceat. Docet et Cæsar, sed jura mundi; ferit quoque Petrus, sed ense spirituali. Itaque ubique bene vivit qui obedientiam custodit, a sæcularium separatus conversatione. Bonus quidem est si juxta professionem **240** suam benefacit, perfici autem tunc incipit cum ipsum juste vivere dulcescit.

Quem sæculi circumagat mola, miles sive agricola, mercator seu cujuslibet conditionis, legitimæ tamen, professor; aliter salvari non potest (cum vitam non teneat contemplativam) nisi habuerit activam. Uti enim jam dictum est, tertia vita non est, qua is qui utitur ratione, vitam debeat sperare.

Sed quomodo diversa mundi officia sectantes sub vita degunt activa? *Si quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip. ii, 21*)? Si quærunt in mundo prævalere, non autem Christo placere? Hujusmodi ergo aut activi nullatenus sunt, aut molam rotantes, non quod ita velint, verum propter eum qui eos subiecit in spe, vanitati subjecti sunt, ut non vanitas mundanæ conversationis, aut circumvolutio molaris sit grata; verum ut suo quis in officio a Deo sibi præordinato, ideo demum liberandus laboret, quatenus interim suo pro statu Domino obsequium præstet. Quamobrem cujuscumque negotii es, in ipso te pro modo tuo propter Deum exerce, quatenus legitime acquiras unde legitime vivas. Unde oblationem Deo, proximo præstes juvamen. (382) Res mundi si habes propter necessitatem et non propter voluptatem, in numero es illorum, qui super fidei fundamentum ædificant aurum et argentum, lapides pretiosos (*I Cor. iii, 12*); qui in igne aut nihil ut parum patiuntur. Hi sunt omnia possidentes, tanquam nihil habentes (*II Cor. vi, 10*). Verum si rem tuam cum nonnullo possides amore; quod probatur, quando eam perdis cum aliquo dolore, in re tamen tua Deum offendere nulla vis ratione; nondum destruis fundamentum, quoniam rem minus diligis quam Deum, imo lignum,

fenum, stipulam superædificas quæ in igne tantum A
 patiuntur læsionis, quantum tu in rebus obtinuisti
 amoris. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præ-*
ter id quod positum est, quod est Jesus Christus
(I Cor. iii, 11)

Deus officio doctorum fundamentum jacit; unus-
 quisque videat quomodo superædificet. Quidquid
 agis quantumcumque splendide vivis, si devias a
 fide, vanum est quod facis; quia Deo templum con-
 struere non potes extra fundamentum. Super fun-
 damentum ergo ædificandum est, aut in auro, ar-
 gento, lapidibus pretiosis; aut in ligno, feno, stipula.
 Aurum quod pretiosius est inter metalla, super fun-
 damentum collocas, si dilectione Dei præeminente
 inter dona, in fide coruscas. In argento, quod se-
 cundam obtinuit dignitatem, operaris, si diligis B
 proximum, quod secundum est mandatum. Quan-
 tum aurum superest argento, tanto, imo amplius
 diligendus est Deus plusquam proximus. Ordine
 præcedit aurum, sequitur argentum; quia prius
 diligitur Deus; sed non sufficit, nisi diligatur
 proximus. Amor Dei causa debet esse ut et homo
 ametur; ex amore proximi crescit amor Dei; si amas
 proximum aliter quam propter mandatum Dei, aut
 naturalis est affectus, quem habent et iumenta, pro-
 pter quem sæpe fiunt et mala; aut plane vitium est,
 quod in his quæ non conveniunt fœderantur inter
 se homines scelerati. Sed quia charitas sine fructu
 esse non potest, sequuntur lapides pretiosi. Si ea
 quæ ad cultum Dei, aut ad utilitatem proximi per-
 tinent, absque charitate exeris, lapides pretiosos C
 habes, sed post aurum, imo in auro et argento non
 habes. Lapidem ergo pretiosum, ut valeant et deceant,
 in auro collocabis, atque in argento ordinabis. Vir
 contemplativus in auro, activus in argento gemmas
 sistit. Qui taliter vivunt, aut parum aut nihil in igne
 purgatorio patientur.

Sunt nonnulli qui Deum videre quærent, Deum
 super omnia diligunt, spiritu quidem prompti, carne
 tamen infirmi, dum in rebus sæculi (contra illud :
Delectare in Domino (Psal. xxxvi, 4); et illud : Mihi
autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu
Christi (Galat. vi, 14); quodammodo delectantur
 et nonnihil gloriantur. Tales quantum mundo amore
 inhærescunt, tantum inhærendo inordinate agunt : D
 amor enim sive bonus sive malus, celare se non
 241 valens, qualis quantusve sit certis declarat
 argumentis. Sed, sicut amor sanctus, ita et incom-
 positus, sui suæque procreationis recompensatio-
 nem sperare debet, plus minusve. Unde super fun-
 damentum alius construit stipulam, quia parum;
 alius fenum, quia plus; alius lignum qui plurimum
 in pœna patietur. Hi boni utique sunt, verum simul
 cum bono aut ante, nonnulla commiserunt illicita.
 Hi juxta Apostolum : *Salvi quidem erunt, si tamen*
quasi per ignem (I Cor. iii, 15), qui si non in hoc
 sæculo, exuruntur in futuro.

Miratur forsitan aliquis quomodo res mundi debi-
 tas necessitati quærat, servet utatur, si non amat.

Agricola coacervat stercora, custodit, per agrum
 dissipat, patitur fetorem, tolerat laborem, contem-
 patur turpitudinem. Omnia sustinet non propter
 ipsa, sed ut agrum fecundet : amat non propter se
 amanda, sed propter utilitatem. Circa res mundi, tu
 te similiter habe; ama res non pro se, sed pro usu,
 atque ita usum amas rei non rem. Rerum ergo
 usum quære, in forma rerum non delectare; imo
delectare in Domino (Psal. xxxvi, 4). Dum decorem
 mundi admiraris, admiratio creaturæ ad auctoris in-
 flectatur venerationem. Unde : *Benedicite omnia*
opera Domini Domino; laudate et superexaltate eum
in sæcula (Dan. iii, 57). Inanimata et irrationabilia
 Deum laudant, dum rationales, interius considera-
 ta, ad laudem suscitant. Unde : *Omnis spiritus lau-*
det Dominum (Psal. cl, 6).

Carnales ad aliud intendunt : spirituales ergo qui
 ad id digni sunt, ipsi Deum laudent : nihil enim in-
 ter opera Dei adeo parvum, adeo videtur neglectum,
 quin inde glorificari debeat sine fine. *Magna enim*
opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus
(Psal. cx, 2). Quamobrem dum de creatis Creator
 prædicatur, aut de bonis, datori gratiæ referuntur,
 de rebus mundi confers et tibi utilitatem et Domino
 hærem. Quare tu rebus mundi utere et gratulare,
 quas si contingat amittere, non de amissione earum,
 quippe quas non amasti, sed de subtractione usus
 quo indignasti, fortasse contristaberis; sed nec inde,
 nisi cum modo, reminiscens ita placuisse Deo. Cir-
 ca hujusmodi sollicite, non tamen inique se habet C
 Martha; Maria autem melioribus studium impendens
 magis quæta. Hæ solæ simul sunt cum Christo, al-
 tera ab ipso pascenda, altera ipsum pastura. Miser
 interim Lazarus extra torpet, et fetet in sepulcro;
 sed satagunt sorores apud Dominum ut vitæ red-
 datur qui erat mortuus. Vita ergo Christiana hæc
 est, ut secus pedes Domini sedcas, ejus vestigia se-
 cuturus, et ne oberres, doctrinæ illius aurem præ-
 beas, et prout didiceris, non solum tibi et Christo
 in se sollicitus eris, sed et Christo in membris be-
 neficus esse laborabis.

Eos autem qui membra Christi non sunt, studio
 tuo quantum in te est, ad hoc niti debes ut in cor-
 pore Christi coaptas; ita mortuos, Deo cooperante,
 ad vitam reducens, vel certe mortuos corpore, atque
 ut arbitramur, detentos pro noxis in igne, educi ad
 requiem enitamur, nisi forte ad inferos descendisse
 sciamus. Nam de his decretum Dei est, ut inde
 liberari nostra tempestate nemo queat. Tales,
 id est, eos quos impœnitentia ad inferiora terræ,
 nostra de conversatione trahit, Dominus noster
 factus frater non redimit, redimet homo? Pro hu-
 jusmodi nulla placatio, nulla præti redemptio Deo
 dabitur, laborabunt in æternum (*Psal. xlviii, 9*),
 vivent nec habebunt remedium.

Divini decreta examinis naturalibus rerum pro-
 gressibus suum distribuunt cursum, singulis homi-
 num meritis debitam provident mercedem : verum-
 tamen consuetudinem quandoque mutant, ut cum

aliud agat Deus, solita rerum sequens, aliud quoque A
probetur posse, insolita plerumque interserens. Inde est, quod miranda quædam mentibus se nostris obijciunt; et inter præcipua est quod mortui resurgunt. Operante mirabili Deo in sanctis suis multi mortui resurrexerunt; inter quos esse potest, imo et credibile est, nonnullos redditos vitæ et anteacta malitia obnoxios gehennæ; non enim qui sancte vixissent mortui quæsi **242** sunt, verum indifferenter, et quoties et quotquot opus erat, suscitati sunt. Eos autem qui in peccato suo mortui sunt, post mortem redivivos quis audeat negare, si non omnes, saltem aliquos, experto circa se tanto Dei beneficio correctos, atque eos divina prosequente gratia, ad finem usque conservatos. Duplex ergo factum est miraculum, ut et caro restituatur B
vitæ, et anima, contra solitum, tollatur gehennæ.

(383) Nemo opponat quod arbor ad quamcunque partem ceciderit, ibi jacebit, id est, sive bonus, sive malus quis moritur, talis permanebit: et quod *in inferno nulla est redemptio*: non enim expectabunt qui descendunt in lacum illum, ulterius Deum propitiandum sibi: nemo hujusmodi obijciat: quæ utique ita dicta sunt, non ut quid Deus aliquando potenter agat, determinent; verum quid ut Deus facere consueverit, declarent. Sanctæ enim Scripturæ, quid in singulis usu contingat prosequuntur; quæ autem raro et contra usum fiant, illa quasi infecta prætereunt, nisi quia nonnulla nonnunquam speciali interserunt sermone. Nam quod generaliter dicitur, dici C
secundum usum solet.

CAPUT XXVIII.

Incipit de conjugio.

(384) Deus viro uxorem, primo primam, uni unam condidit atque dedit. Quod re constituit, verbo firmavit: ait enim: *Erunt duo in carne una* (*Gen. ii, 24*). Conjugium una est caro, non solum quod de viro mulier sumpta est, verum ideo potissimum quod opere nuptiarum et commistione genitalium quædam utriusque corporis naturalis fit unitio. Unde Apostolus: *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur* (*I Cor. vi, 16*). Homines si non peccassent, et in paradiso multiplicandi perstitissent, lex ista conjugii binos solum sibi indissolubili nexu copularet. Non enim, sicut modo, rupta, morte, D
copula, necesse foret post primam, in eadem carne secundam aut tertiam duorum fieri unionem: neque unquam, sicut nunc contingit, nonnunquam succedenter essent tres aut plures in una carne

Eva non per se est facta, verum de Adam sumpta, ut viro mulier subdenda sciatur conjugio. Unde mulieri dictum est: *Sub potestate viri eris et ipse dominabitur tui* (*Gen. iii, 6*). Ita Abraham se subjectam Sara novit, dominum eum vocans. Nam juxta Apo-

stolum, *Caput mulieris est vir* (*I Cor. xi, 3*). Mulieri ergo peccatum est, ut non sit subdita viro suo; impostura est ut superponatur servus Domino, **uxor viro.**

(385) Tempore patriarcharum et legis, viro uxores uni plures: nam et Abraham vir sanctissimus Saram habuit uxorem, Agar concubinam. Sed jussu dominæ læsit ancillæ, unde illam a se eadem jubente amovit. Nepos quoque ejus Jacob duas sortitus est uxores, Liam atque Rachelem; duas quoque concubinas uxorum pedissequas, utens famulabus ut consentiret dominabus. Tetus mundus idololatricæ deditus tunc erat, sola familia Abraham uni et vero Deo cultum exhibebat; Judæos atque gentiles religio atque superstitio disjungebat usque adeo, ut si illos ferre jugi discordia belloque infinito insectari non cessarent; illi zelo Dei leges paternas defendentes, Deo suos milites protegente, invincibiles, imo quoque victores perseverabant, nisi quod plerumque cum Deo suo cultum debitum detraxerunt, ab hostibus superari contingebat, quatenus probarent tam quid Deo deberent, quam quid ex se valerent. Strages ergo plurima atque sæpissima de Judæis facta ita exigebat et in reliquis, sicut significatio mysterii (386) in patriarchis, uxorum multiplicitatem propter filiorum fecunditatem. Fiebat ergo penes unum virum multiplicatio uxorum, ut multiplicato conceptu, hominum consequeretur restauratio. Unde uni uxori simul plures habere viros non licuit; quoniam non ipsa de (387) multis potest concipere, sicut vir unus in multis potest mulieribus generare. Uni ergo viro tunc licebat uxores habere plures, nec crimen esse poterat, **243** quod in populo suo fieri Deus permittebat.

Uxorem vir maxime de cognatione sua, ne confusio ulla tribuum foret, accipere debebat; alienigenas tamen et idololatrias nec ducere, nec ductas retinere licebat, ne consortia gentilitatis causa fierent infidelitatis. Lege conjunctos, lege quoque disjungi opus erat. Hic est libellus repudii, quo vir uxorem repudiatam dimittebat multis quidem de causis; quoties videlicet propter aliquam sceditatem displicebat. Ob duritiam cervicis in illa gente concessum est, ne si odiosas cogenter tenere, mallent interficere. Ante legem concubinis utebantur patriarchæ quæ in lege prohibitæ sunt ita: *Non mæchaberis* (*Exod. xx, 14; Deut. v, 18*): per partem enim totum insinuat, dum per mæchiam omnis carnalis commistio, excepto fœdere matrimonii, prohibetur (388). Hunc usum loquendi Dominus quoque habuit ita: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mæchatus est in corde suo* (*Matth. v, 28*). Pellices ergo ante legem patriarchis quacunque causa sunt concessæ; postea autem prohibitæ. Unde

(383) Consule notas.

(384) Mag., l. iv, d. 26.

(385) Mag., l. iv, d. 35.

(386) Aug., contra Faustum et tract. 11 in Joan; etc. Ambr., l. i De Abrah., c. 4. Chrys., hom. 56

in c. xxx Gen.

(387) Aug., De bono conjug., c. 17, et l. iii De doct. Christ., c. 12.

(388) Vide Aug. De bono conjug., c. 14 et 15.

in Deuteronomio prohibetur ne qua sit meretrix in A populo Israel, ne quis scortator (389) : More igitur antiquo nullam habere concubinam sub lege licebat, uxores autem plus una licebat.

CAPUT XXIX.

De matrimonio gentium.

(390) Apud gentes erant pellices, erant et conjugis, sed quæ lege gentium poterant dimitti. Hac in copula conjugii quosdam prædicatio Christi invenit, nec ab ea, sed in ea ad fidem vocavit. Matthæus a telonio, Petrus in piscandi officio vocatus est, unde ad piscationem quæ absque malo agi, ad telonium, quod legitime tractari nunquam aut vix valet, redire permissus alter est, et alter non est. Sic a fornicatione omnique inquinamento. In conjugio autem omnique quæ recte administratur vivendi B conditione, fides Christi homines vocat. Infidelitatem namque, non conditionem, vitium non etiam officium, tollere advenit. Unde Apostolus illes qui ad fidem Christi in conjugio vocati sunt, monet a conjugibus non discedere, nisi infideles noluerint cohabitare. Nam si infidelis discedit, fidelis quoque discedat, qui ab infideli etiam cohabitare volenti, propter spiritualem idololatriæ fornicationem libere poterat discedere; sed habitare consulitur, ut jugi admonitione sanctificetur infidelis per fidelem. Quod si contigerit, lex matrimonii ab infidelibus contracta et inchoata, in fide Christiana consummatur, conjugiumque fit secundum Christum, quod initum erat more gentium. Fideli autem, si aut infidelem dimittit C aut ab eo dimittitur, peccatum non est, si se alii copulaverit: ratum enim non potest esse conjugium, si præter Ecclesiæ traditionem fuerit susceptum; pariter enim et gentes et Judæi contracta dissolvunt conjugia. Impedimentum quoque fieret fidei, et tarditas quædam ingereretur conversioni, si conjux conversus, a non converso dimissus, continentia cogere.

Sed, quid est quod lex mandat matrimonio infideles nec suscipi nec teneri? Utique lex vitare mandat idololatram, ne idololatria incuratur; Apostolus monet tenere idololatram ut idololatria destruat. Nunquam fideli licet idololatram ducere, ductam autem tenere, juxta Apostoli dispensationem licet; nimirum de illis lex non agit qui infideles matrimonio D conveniunt, sed qui fideles ante existunt. Aliud ergo lex prohibet, aliud Apostolus monet.

CAPUT XXX.

Unde divortium et quomodo vir se habeat cum uxore?

(391) Decreto Christi lex prima conjugii quodammodo redit, ut una sit unius. Præcepto namque Christi et expositione Apostoli liquido patet conju-

(389) Consule notas.

(390) Mag., l. iv, d. 59.

(391) Mag., l. iv, d. 35. Au .. l. i De adult. conjug., c. 8 et 9.

(392) Aug., De bono conjug., c. 6, et l. xxxii contra Faust.

(393) Mag., d. 26.

gem a conjuge 244 non discedere nisi causa fornicationis, propter quam si discesserit, manere in continentia, aut conjugi reconciliari: vivente enim uno ligatus est alter. Nam quandiu æubo vivunt, conjugium dissolvi non potest, cohabitatio potest. Quod si alter dormierit, superstes aut contineat, aut si maluerit, cui vult nubat tantum in Domino (I Cor. vii, 39).

Dum cohabitant conjuges, vir mulieri, tanquam caput ejus, necessaria tam animæ provideat quam corpori, ne caro deficiat inedia, spiritus culpa; quippe peccatum fuit Adæ Evam non correxisse. Mulier viro suo sit subdita, cooperatrix in omnibus quæ muliebri competunt personæ. In aliis vir præest, in reddendo debito uterque (392) par est. Alterutrum ergo sibi debitum reddant, nisi forte ad tempus pari consensu continere maluerint. Debitum enim tori reddere exigenti, peccatum nunquam est; negare autem inquirenti bonum esse non potest. Mandat namque Apostolus uxorem viro virumque uxori debita reddere propter incontinentiam (I Cor. vii, 3), ne forte tentet eos Satanas, ruantque in laqueum diaboli fornicatione.

Ergo nisi incontinentia aliud cogeret, ab opere nuptiarum cessare pari cum consensu, longe melius foret; quoniam et ipsa castitatis puritas retributionem habet, et opus nuptiarum culpa omnino non caret. (393) Unde Apostolus, volens omnes esse sicut se, propter infirmitatem tamen, nuptiarum indulget usum; permittit malum (394) condonabile, ne fiat damnabile; coitum matrimonii, ne cæsus fiat stupri. Coitus autem matrimonii fere culpa non putatur, quoniam non imputatur. Quod cum causa sobolis coitur, aut ut debitum reddatur, aut tandem ut fornicatio evitetur: et cum nec his modis concubii usus culpam prorsus evadat; longe tamen melius est ita culpam incurrere, quam se ab uxore subtrahere, ita quidem ne libidine exuratur, aut uxor debito fraudetur, aut ne soboles non nascatur. Melius est ergo illud in malum, cum a Deo non imputatur, incidere, ut adjuncta non dimittantur bona atque necessaria, quam leve illud effugere, gravesque invenire offensas.

Qui vero propter exsaturandam libidinem mutuis se sovent amplexibus, aut invincibili carnalitate trahuntur, et est longe gravius quam illud prius, veniale tamen; aut foedo appetitu contaminantur, et est opus lamentis pœnitentiæ abstergendum.

CAPUT XXXI.

De concubitu, et naturalibus aliis actibus.

(395) Sicut comestio, dormitio, ambulatio, ita quoque concubitus, actus naturales sunt, nec quid-

(394) Aug., l. i De nupt., c. 14. De bono conjug., c. 6, 7 et 10. Enchir. 78. L. v, cont. Jul., c. 8, etc. Greg. item ad August. Angl., ep. Hier., l. i cont. Jovin., etc.

(395) Mag., l. iv, d. 26, § 4 et 4. Vide Aug. De bono conjug., c. 16.

quam mali habent ex se, sed ex adjunctis depravantur; sicut homo et angelus ex natura boni sunt, sed ex accidenti mali fiunt. Unde si primi homines perstitissent quales facti sunt; nec ipsi unquam mali fuissent, nec actus eorum pravi. Modo autem corruptibile quiddam et hominibus et hominum actibus se ingerit, unde et utraque corrumpuntur. Sunt autem quidam actus quos sine culpa transigi facile est, ut sessio, ambulatio; quidam autem difficulter a reatu defenduntur, ut comestio, locutio; quidam autem nullatenus absque culpa fiunt, ut concubitus. Hujusmodi in natura sua bona sunt, aliunde venit ut decolorentur. Unde velle irasci, et concupiscere licet; hæc autem illis applicare quibus non decet, minime convenit. Fit autem sæpe ut verbi cujuslibet prolatione actio, non ut in natura sua se habet, sed ut in vitio male se habet, designetur, ut cum quis adulterasse aut rapuisse, aut blasphemasse pronuntiatur. Quid enim est adulterasse, nisi conjugem cum alterius concubuisse? Ipsum autem concumbere, hoc in loco non accusatur, nisi quia alterius conjugii applicatur. Blasphemia est de Deo maledicere, mala dicere malum non est; verum ubi non oportet, malum est. De Deo autem nefas est. Nec facile invenies actum qui aliter accusetur quam propter adjunctum. Nihil ergo **245** culpæ est hujusmodi actus facere aut mandare, nisi si ea quæ importune comitantur nequaquam repellantur. Fac rem, tolle comitem, non peccasti.

CAPUT XXXII

De voto continentiae conjugii.

(396) Qui lege nuptiarum convivunt aut ad tempus, aut semper ut melius agant (nisi forte incontinentia prohibeat) continere possunt. Quod si perpetem eligunt continentiam, id aut apud se, aut testimonio Ecclesiæ constituent: quod ubi firma ratione fixaque sententia statutum est, mutari nisi cum periculo animæ non potest. *Vovete et reddite* (*Psal. lxxv, 12*). Verum quod occulte decretum est, si aut ab utroque aut ab altero violentiam inferente innoxio infringatur, Deus qui id novit non Ecclesia quæ nihil scit, contemptorem voti judicabit. Vota autem ante Ecclesiam facta, et more Ecclesiæ firmata, illa quæ distinxerunt labia viri, si franguntur, ab Ecclesia judicantur. Nam quæ aut levitate quadam, aut contra rationem proponuntur, Ecclesia improvidentiæ accusat, nec tenere mandat; et utique de omni voto generaliter id est tenendum, ut quod recte et firmata mente statutum est, nemo prætermittat, ne fiat reus voti aut coram Deo, si id latenter factum est; aut si patenter, etiam coram Ecclesia.

Conjuges ergo si continere malunt, id aut cohabitando, quod periculosius est; aut a se discedendo, quod utique securius est, exsequi possunt. Si commanent, sola carnalis commistio fugiatur, reliqua conjugio debita utrobique observentur. Sin autem

(396) Mag., l. iv., d. 27.

(397) Mag., d. 35.

A ab invicem dissociari eligant, viri est idoneum locum uxori providere, ubi quod opus est, nec animæ desit, nec corpori. Quoniam enim eam a sua abalienat cura, ita agendum est ut possit ipsa esse per se. Vir semper, quoniam caput est uxoris, quamvis malit ipse continentiam, quid valeant vires mulieris, cui fidem debet, item itemque attendat, nec aliter eam a jure tori, aut a cura sui trahat, nisi id ita fieri posse liquido perpendat. Nam si, tradente Domino, *Relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ* (*Matth. xix, 5*); quanta diligentia debet esse inter conjuges, propter quam relinquendi sunt et parentes? *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet* (*ibid.*). Sed Deus separat cum alterutrum ipse occidit, aut cum utrumque continentia insignit. Sed cum mors intervenit, superstes *cui vult copuletur, tantum in Domino* (*I Cor. vii, 39*); cum autem continentia id concessum non est.

CAPUT XXXIII.

Quod possit diverti propter fornicationem.

(397) Homo quoque quod Deus conjunxit separat, quoties id fornicando efficit, quare ii qui, ut cernere est, legitime convenerunt, jure discedere a se possunt. Nimirum propter fornicationem, conjugem dimitti Dominus permittit, non præcipit. Itaque fornicantem, et tenere et dimittere licet. Ait tamen Scriptura: *Qui tenet adulteram, stultus et impius est* (*Prov. xviii, 23*). Et quidem de adultero id planum est: sed virum in hoc loco tenere adulteram est, aut cum possit, corripere nolle, aut quod pejus est, in peccato fovere; homo talis in altero est stultus, in altero impius. Verum si quis adulterio non consentit, tenere licet; si amplexu opus est, dimittere consilium non est; potest tamen, nisi forte et ipse eodem contaminatur crimine. Nam si uterque adulter est, neuter accusare potest; sin autem alter est mundus, ipse adulterantem libere, si vult dimittet; non tamen ex suspitione, ne toties conjux dimittatur quoties displicuerit: judicia enim Ecclesiæ (auctoritate quorum hujusmodi transiguntur) neminem ex calumnia damnant, nisi prius convictus fiat aut confessus.

Qui dimiserit, sicut et dimissa, continenter vivat; aut si id nolit aut non possit, juxta Apostolum, uxori reconcilietur **246** et (398) reducat dimissam. Quod cum Apostolus consulat, plane liquet stulti et impii non esse quolibet modo adulteram tenere. Dimissam reducat, nisi forte aliquid tale interim contigerit, quare reduci non debeat. Ut si interim sæcularem deposuerit habitum: quod potius puto, quam affirmo. In arbitrio dimittentis est dimissam reducere, quod Apostolus sensit, dum in ejus optione reconciliationem constituit; nam qui est dimissus, nisi auctoritate dimittentis redire non potest; nimirum qui cum nollet coactus est abire, quomodo etiam cum volet poterit redire?

Sicut vir uxorem, ita quoque uxor virum propter

(398) Aug. l. ii *De adulter. conjug.* fere per totum.

fornicationem dimittere potest; alteri copulae dum compar vivit haerere nullatenus potest. Nam conjugum cohabitatione separata, conjugium ipsum minime separatur. Dominus dissidium propter fornicationem permittit, quoniam fornicatio, illum qui cum conjugee una caro esse debet, inde separavit aliique copulavit. Fornicatio autem si desit, caeterae molestiae (quod utique in lege Moysi non erat) tolerandae sunt: si sit leprosa, si sterilis, si fetida, si male morigerata.

CAPUT XXXIV.

Propter infidelitatem, et etiam morum intolerantiam diverti potest.

(399) Notandum tamen quod si alteruter conjugatorum usque adeo flagitiosam agit vitam, aut cultu daemonum, aut abominatione morum, ut alterius convictum ferre nolit nisi sibi suaeque turpitudini consentiat, aut si id minime requirit ille, non tamen iste talem potest pati conversationem, nisi simul cum homine nequam nequitiam incurrat, libere vinculum omne dirumpat, ne se a Deo disjungat; tanto namque in periculo qui non dimittit patrem et matrem atque uxorem, etc., pro Christo, non est dignus eo. Nam si carnalis fornicatio separare conjugatos potest, utique propter spiritalem, dissidium fieri necesse est, continentia hic quoque servata. Nam quoniam lege Christi convenerunt, nunquam conjugium aliquando conclusum dissipare possunt. Tu propter fornicationem corporis, alter propter fornicationem mentis, uxorem dimittere disponis; tu retinere potes, ille dimittere debet. Tibi uxorem dimittere licebit, quamvis illa corrigi velit; ille uxorem retinere debet, illa si errorem relinquere volet. Nam fornicatio carnis, quae in te malum actum est, ipsa facta est propter quam dimittere concessum est; fornicatio autem mentis, quae in Deum peccatum est, ipsa absecessit, quae fugiebat dum uxorem dimittere disponebat.

Sed quid est quod Dominus unam solam causam fornicationis excepit, et nos duas, usque adeo diversas fornicationes; consensum quoque continentiae communem, unumquemque causam asserimus quare matrimonium separetur? Sed nomine fornicationis utramque forsitan intelligi oportet; vel potius exceptio Domini solam carnis exclusit fornicationem, declarare volens non quae causa propter Deum, verum quae propter conjugem separare possit conjunctos. Aliis in locis docetur ab omni illa conversatione esse recedendum, ubi periculum salutis cognoscitur; hic autem nihil aliud dicitur nisi propter quam conjugis foeditatem dimitti rite Novo in Testamento queat. Veteri namque in Testamento multas propter foeditatum causas dimitti poterat: utique non ideo ne si non dimitteretur, in Deum peccaretur; verum ideo quia illa quae dimittenda erat, dimissuro displicebat. Sed in lege reservatur fornicationis turpitudine, propter quam indifferenter, et uxor virum et vir uxorem dimittere potest, si cohabitatio non placet. Nam

(399) Mag., l. iv, d. 59

propter Deum, nec in lege molestiarum aggravatio, nec apud nos fornicationis inquinatio, societatem tori tollit accusanti. Propter Deum ergo dimittere conjugem non jubetur aut Judaeus foedam, aut Christianus fornicariam. Verum quisque utrum malit, videat et pro libitu agat. Nam quia tibi mechando conjux injuriam fecit, imo suam a tua carnem contra fidem conjugii disjunct, et (quod ignominiosum est) illicita copula deturpavit, tu tuam ab illa recte potes semovere conversationem, quae a sua tuam perfide semovit carnem.

CAPUT XXXV.

De quibusdam conjugii impedimentis.

(400) Notandum autem quod post conjugium multa, de quibus jam mentio facta est, contingunt, ut conjugii usus stare non valeat, conjugium tamen ipsum esse minime desistat. Multa quoque in conjugio, aut ante, esse possunt, quare aut conjugium non sit, aut aliquando esse destiterit. Cum enim utriusque consensus ut conjugium fiat necessarius est, si aut alter aut ambo matrimonio contradicunt, aut praetatis teneritudine consensum adhibere nondum sciunt, hic tandiu connubium deest, quandiu par consensus abest. Sed etsi utrinque consensus fiat, et personae tales sint quales convenire nullatenus oporteat, conjugium ex neutra parte est si utrique id notum est; aut si alter solus id novit, ex altera solum parte matrimonium fit. Sin autem neutra pars id novit neque ex culpa est ut ignoraverit, conjugium plane est; aut semper, si semper incognitum est, aut tandiu quandiu id occultum est. Ex quo enim vitium se detexerit, si lege ecclesiastica fuerit comprobatum, nihil aliud restat nisi ut ii quos conjugii (si id rescitum minime fuisset) oportuerat; postquam res nota est, ab invicem separentur, usque adeo ut uterque alteri possit adherere, nisi quando dispensatio Ecclesiae sua utitur districtione. Nam qui ita conveniunt ut nulla omnino intercedat causa quare utroque vivente copula [conjugii] debeat annullari, ii solam propter fornicationem societatem tori separare possunt; quippe Dominica de conjugio sententia ad ita toro sociatos lata est.

Veruntamen Dominus, ejusmodi personae connubio forent aptae aut non aptae, minime determinavit; determinandum autem Ecclesiae suae commisit; quaedam docuit ipse, caetera docenda reservavit sponsae suae. Ipse docuit quae aut veteri aut nova lege, id est Evangelio, servanda mandavit. Ii sunt duo denarii quos proferens stabulario tradidit, inquit: *Et si quid supra erogaveris, cum rediero reddam tibi* (Luc. x, 35). Stabulario namque, id est, Ecclesiae praelato (cui jumenta Domini, juxta illud: *Ut jumentum factus sum apud te* (Psal. lxxii, 25), simplicia animalia oneribus Christi tota devotione subjecta, ad custodiendum credita sunt; quatenus stabulum Domini jugi cura satagat purgare, pastione verbi et exempli reficere) duos denarios, id est duo testamenta, in quibus regis imago relucet, commisit.

(400) Mag., l. iv, dist. 29 et seqq.

quatenus amborum per notitiam curam in anima vulnerati ageret; et sicubi curando Scriptura minus sufficeret ipse studii industria suppleret (401). Ergo gratia Samaritani duos denarios habet: verum si quid supra erogandum est, exercitio ingenii elaboraret. Inter ea supereroganda est fere quicquid Ecclesia in conjugio contrahendo disponit. Unde juxta auctoritatem legis quæ non nisi suæ religionis conjugii sinit copulari, Apostolus, mortuo viro, ait de uxore, *Cui vult nubat tantum in Domino* (II Cor. vii, 39). Ut ergo in Domino nubat, virum Christianæ religionis eligat; non Judæum, non gentilem. Quod si fiat, damnatio animæ est; quoniam connubium nulla ratione est. Inter illos autem qui Christiano censentur nomine, conjugio is assumendus est, cujus consortio vita animæ non periclitetur. Id tamen negligentius si fiat, non ideo copula matrimonii annihilabitur, sed si ita est opus, cohabitatio dissolvitur.

243 CAPUT XXXVI.

Quos statuta Ecclesie a conjugio arceant.

(402) Statuta Ecclesie eos a conjugio arcent, quorum aut habitus, ut monachi; aut gradus, ut subdiaconi; aut votum castimonie testimonio ac judicio Ecclesie confirmatum continentiam exigit. Item virum atque feminam, eos videlicet quos Ecclesia judicet inter se cognatos aut affines: illos quoque quos hujusmodi connexio ligat, ut ejus qui baptismo regeneratur, alter sit secundum carnem parens, alter baptista, aut baptizati prolocutor, seu sponsor. Eadem quoque connexio, imo major, inter illum qui mergit, sive de mersione suscipit, et eum est qui regenerando jugum Christi subit. Nimirum arctius sibi ratio est cohæreere ministros baptismi ipsumque baptizatum, quam baptizati parentes baptismisque ministros: illa namque cohærsio prima est, quoniam ista non nisi ex illa nata est. Baptizato parentibusque suis uterque obligatur, et qui in baptismo interrogat, et qui interroganti respondet; maxime autem qui interrogat. Ipse namque sacramentum lavacri conficit dum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti tertio mergit, mersum quoque tertio retrahit. Si enim non mergeret, mortem sepulturamque Domini negaret. Si quid numero detraheret, triduanæ sepulture contradiceret, sin vero mersum minime tertio retraheret, et resurrectioni quæ triduum secuta est, et Trinitati derogaret. Sacerdos ergo quoniam plene sacramentum consummat, plus utique confert loto quam qui tantum assistit, et illum pro quo spondet contingit: ille enim pater est, iste patrinus nominatur.

Vir et femina, tametsi non sunt cognati, tamen possunt affinitate quodammodo sibi connecti: quod est quoties aut ille cum aliqua hujus cognata, aut hæc cum aliquo ejus cognato dormierit. Et quidem affinitas recte est inter conjugem et uxoris suæ, et

A inter uxorem et conjugis sui cognationem. Abusive tamen et in stupro nomen affinitatis assumi potest. Ergo qui divinis mancipati obsequiis arctiorem elegerint vitam, ipsi se conubio applicare non poterunt.

Qui autem trium aliquo supradictarum sibi cohærent vinculo connexionum, ii quidem conjugari possunt; verum non inter se, nisi sicubi in aliquo aliter sensus (403) Ecclesie habuerit. Et hæc quidem causæ sunt quare personæ quædam matrimonio convenire nequeant, et si conveniant, judicatur omne irritum postquam fuerit compertum.

(404) Sin autem causæ hæc quæ præveniendò conjugium fieri non sinunt, post factum accidant, quid fiet? nam licebit utrique conjugi ab invicem separari, et cui libuerit postmodum copulari? Quod si licet, quid aliud restat nisi ut quoties displicuerit conjux, hujusmodi causa obtendatur? sed sive occasione dissidii, sive fortuito talia fiant ut conjugium annullatum judicetur, omnino absit ut cohabitatio disjungatur; et hoc absit, nisi forte causa correctionis et cautelæ rigor dispensationis ita providerit, non tamen aliter nisi ut fiat utiliter.

Id tamen in commune adjiciendum puto, rata et inconcussa veteris et novæ legis auctoritate in his quæmatri Ecclesie supereroganda mandantur, a filiis nihil aliud fieri oportere nisi quod sacrosancto mater usu venerandaque sanxerit traditione.

CAPUT XXXVII.

C *De sponsione fide facta, et matrimonio aliunde contracto.*

(405) Asserunt etiam nonnulli quod si quis media fide alicui conjugium promiserit, idque probari possit, matrimonium cum alia post fidem datam contractum minime servari debere, sed ad priorem redeundum esse. Alii autem autumant consensum utriusque, quoniam is est conjugii effector, prævalere sponsioni, quamvis juramento confirmatæ. 249 Utique sponsio talis compleri debuit, si forte legitime potuit; alioquin pejerandum potius erat quam contra legem quid fieret: pejerare namque id quod contra Deum juratum est, id utique bonum est: sicut enim licita jurare, cum ita opus est, bonum est, (quoniam absque necessitate jurandum non est, tunc potius sint verba nostra *est est, non non* [Matth. v, 37]; pejerare vero nefas est); ita quod aliter fieri non potest nisi injuste, id jurare immane facinus est; juratum dimittere (et quod utique perjurare est) id judicium declinare est, quod utique bonum est. Inde ergo pœniteat te non quod jurasti, sed quod juramentum non servasti; hinc autem doleas quod jurasti, non quod jusjurandum inexpletum dimisisti.

Tamen si id quod juratum est et agere est culpa et dimittere scandalum, diligenti inquisitione matrimonii potest dispensare.

(404) V. Conc. Trid., sess. 24, De matrim., can. 3 et 4.

(405) Mag., l. iv, dist. 28, § 2.

(401) Concilium Trid., sess. xxi, c. 2; et sess. xxiv, c. 3 et 4.

(402) Mag., l. iv, dist. 55, 57 et seq.

(403) Ecclesia super quibusdam impedimentis ma-

minandum est utrum tolerabilius fieri potest. Nisi forte sit verius neminem debere suo delicto alterius cavere scandalum; neque enim debes male agere, ut alteri sit bene. Quare quoties ex te aliis scandalum nascitur, bene fac ut scandalum tollatur. Nam: *Væ homini propter quem scandalum venit* (Matth. xviii, 7) Sin autem aliter scandalo mederi non potes, nisi te sorde peccati contamines, damno fratrum ita condoleas, quatenus interim tibi provideas; neque enim scandalista es, si te innoxio alter scandalizatur. Verum dum quod non oportuit jurasti per te id effectum est, unde si male juratum dimiseris, infirmi fortasse scandalizentur: ergo, ut dictum est, si quod jurasti, facis, utique peccas, quoniam id malum est; sin autem dimittis, item peccas, quoniam dimittendo Ecclesiam scandalizas. Quare et facere, peccare est; et dimittere, scandalizare; dimittere tamen malum, non est aliud quam bonum: sed ex bono tuo malum oritur alterius, nec tu absque culpa es; non quia dimittis malum, verum quia juraveras te non dimisurum. Quamobrem ad ipsam stultitiam juramenti tota redit macula peccati. Plane ergo tibi dolendum est, tum quia stolidum præcessit jusjurandum, tum quia scandalum vides inde secutarum. Non enim potes adaugere dolorem male jurati mala executione rei. Unde quotiescunque agis unde scandalum facis, si aliter scandalo mederi non potes, nisi prius agendo contra Deum, animam propriam vulneres: quod fratribus nocuisti, dole; nocumentum autem nec ita in alio resecare studeas, ut tibi ipsi vulnus animæ infligas. Memento tamen ut scandalizatis manifestes, ideo te propositum, licet scandalizati sint, mutasse, quoniam perseverare in eo id erat Deum offendere, nec te Deum offendere posse ut placeas hominibus.

Sed redeamus ad id quod aiunt, sponsionem conjugii fide aut juramento fultam oportere ad effectum duci. Si tamen interim aliunde matrimonium contrahatur, injuriam sponsioni faciendam arbitrantur; lex conjugii injuste est suscepta, et tamen non destruenda. Nimirum multa utique fiunt, et tamen facta immutari nequeunt. Et ne de eadem re exeamus, si coram Ecclesia, quæ ante conjugium fieri debent, transigantur omnia, conjugio autem assensus non præbeatur, nonne injuria est quod pactio nuptiarum contemnitur, major autem si aliunde nuptiæ contrahantur? Et tamen copulam matrimonii nemo dissolvit.

Inter has partium contentiones, id mihi tenendum videtur quod ecclesiasticis non obviat decretis. Catholicæ ergo consulenda puto Ecclesiæ decreta, quæ si responderint nec cognatos debere sociari, nec fide media obligatos posse disjungi, mos Ecclesiæ non prætereatur. (406) Sin autem res aliter se habeat, quis audeat quod factum est immutare con-

A jugium, quando quidem id fieri nunquam fuit prohibitum?

CAPUT XXXVIII.

Quæ personæ possint simul esse ve. separari?

(407) Et hæc quidem sunt personæ quas toro minime oportet convenire, aut postquam convenerint, **250** simul remanere. Sunt aliæ quas post conjugium, et simul esse non nocet, et separari culpa non est. Nam si quæ servo quasi libero nupserit, postquam rescierit, aut, si cohabitare malit, matrimonium confirmat; aut, si præelegerit dissidium quod dolo factum est, emendat Ecclesia; et si ita institutum est, solvit. Soluta ergo a lege viri: *Cui vult nubat tantum in Domino.*

(408) Si alter alteri aut maleficio sortiararum, aut defectu genitalium nullo valet modo reddere debitum, ubi istud diu diligenterque (ne qua fraudulentia fiat connubio) fuerit examinatum, in optione illorum ponitur (si tamen nunquam debitum reddiderunt), aut simul continenter vivere, aut separatos novis se toris copulare; ita tamen ut ii quibus vigor reddendi debiti naturæ defectu prorsus est sublatus, a conjugio arceantur.

(409) Sed si inter hujusmodi personas conjugium existit, hoc præsertim tempore, quomodo conjugium vetus dissolvitur novumque superinducitur? Sin autem conjugium nullum fuit, cur non tanquam de fornicatione judicantur, cum simul remanere nonnunquam sinuntur? Sed, sicut Judæi atque gentes connubia habebant, et dissolvi poterant; et sicut in Ecclesiæ primordio inter conversam et non conversum matrimonium in paganismo initum stare non prohibetur, sed neque perseverare cogitur (utrumque enim cum ita opus est et esse licet, et non esse oportet); ita apud nos genera quædam conjugiorum sunt, quæ et conjugia aliquandiu existunt et quibusdam supervenientibus causis conjugia esse desistunt. Quidam tamen hujusmodi *quasi conjugia* potius aiunt: nam vera, nostro præsertim tempore, viventibus conjugatis insolubilia manent, vivente enim viro ligata est mulier.

Et quidem quas personas conjugari oporteat, quidve conjugio facto consequi possit quod copulationem disjungat, perstrinximus. Nam plene de conjugio agere sicut nec fere de ulla re, minime nos sufficere arbitramur, ubi una quæstione absoluta, innumeræ usu ipso novæ suboriuntur.

CAPUT XXXIX.

Quid boni malive afferant nuptiæ.

(410) Nunc autem id propalare nitor quo oculo nuptias æstimem subeundas; quidve secum ferant boni, quid item mali; id quoque ex parte. Te ergo conjugem fieri oportet aut ut filiorum generatione cultum Dei multiplices; aut ut carnis tuæ incontinentiam modifies. Nam si rerum tuarum hæredem

(406) August., ut habetur xxvii, quæst. 2, cap. *Duobus modis.*

(407) Mag., l. iv, dist. 36.

(408) xxxiii, q. 1, et xxxii, q. 7, c. *His qui.*

(409) Magister, dist. 34.

(410) Mag., l. iv dist. 31.

quæris, quid illud ad Deum? si voluptatibus satisfacere cupis, nonne id erit contra Deum? Possunt et aliæ causæ rationabiles occurrere: item quoque aliæ nequaquam approbandæ, et quæ aut Deo nihil placeant, aut per valde displiceant. Verum hæc quæ dictæ sunt sæpiuscule contingunt.

Conjugium ex Deo est; quod autem est ex Deo, fieri debet propter Deum. Tu vero uxorem ducis admirans nobilitatem generis, affectans tutelam potestatis, nimia illectus pecunia, propter flammam inflammatus lascivia; Deum aut omnino oblivisceris, aut, quod fere idem est, post omnia meditaris. Quare mirandum nullatenus est, si qui ita conveniunt, misere convivunt. Quamobrem oculos tuos erige ad Deum, ejusque inspectu subito conjugium. Neque nocet; imo fieri oportet, ut post primam considerationem minime prætermittas sequentem; quatenus tibi sponsam hujusmodi provideas cujus formæ intento minime sit opus aliis provocari. Ratio quoque est talem tibi procurare affinitatem unde in sæculo habeas defensionem. Unde, prout opus fuerit suscipias rem; et ne minus nobilis ignobilitate anxieris, unde sumas honorem; honorem non ut elatione intumescas, verum ut indignationem ex affinitate non incurras. Cum autem duæ sint præcipuæ matrimonii causæ, susceptio proles, et vitatio fornicationis; fornicatio tamen **251** præcipue viget, propter quam fugiendam Apostolus mandat unumquemque suam habere uxorem (*I Cor. VII, 2*). Unde steriles atque senes conveniunt absque spe sobolis, causa repellendæ fornicationis.

(411) Convenientes autem, simul cum connubio bona connubii suscipiunt tria hæc, fidem, prolem, sacramentum. Fidem ut adulterino amplexu nuptiarum puritas non fœdetur; prolem, ut religio Christiana augeatur; sacramentum, ne quo divortio copula disrumpatur. Absque fide et sacramento conjugium non est; absque prole esse sæpius potest. Nam, ut dictum est, inter senes ac steriles procreatio nulla speratur. Qui enim filiorum generationem nolentes maleficio quolibet id machinari intendunt ne nascantur, hi neque conjuges conveniunt, neque postmodum subsistunt, nisi forte contingat ut parricidium hoc ab animo excludant.

Conjux vero, si id vere vult esse quod dicitur, D quamvis filios suscipere non æstimet, minime tamen id agat quare non suscipiat; alioquin quemadmodum qui fictus baptizatur, habet utique baptismum perceptione, sed non utilitate; ita hæc sacramento conjux non etiam re. Hujusmodi ergo conjux ex bono conjugii minime sibi speret excusationem in opere nuptiali. Tales uxoribus damnabiliter hærent, et tamen inter se conjugium habent. Quis enim eos quasi non conjuges ab invicem separet, et non potius ab erratu corripiendo revocaret? hujus maleficii conjux si præcognita fuisset, nullatenus sano a capite ducenda foret.

(412) Est fides conjugii sine sacramento; sacramentum item nonnunquam est absque fide; quod accidit quoties conjugandi, aut torum inter se immaculatum servare disponunt, sese tamen relinquere meditantur; aut conversari simul more conjugii volunt, nisi quod undique fornicari desiderant. Qui animo tali conveniunt, quoniam a se bonum conjugii repellunt, si ambo sunt tales, ambo sunt inter se scortatores. Si unus solus est talis, alter solus est conjux. Hujusmodi conjuges nunquam erunt donec vitiis quæ conjugium fieri non sinunt eliminatis, bona conjugii amplectantur. Sed si inter hujusmodi personas conjugium non est, cur non ab invicem dividuntur, et novis copulis libere junguntur? Quidquid enim in animo lateat, dummodo coram Ecclesia quod dignum est conjugio fiat, utique conjugium reputatur. Licet enim conjugium nondum sit utilitate, est tamen sacramentum veritate. Quod contra conjugium est, cubat in corde; quod cum conjugio est, sonat in ore. Coram Ecclesia, quia more Ecclesiæ uxorem ducit, quidquid ineptiarum corde premat, nihil inde conjugio derogabit. Potest utique esse ut nihil aut parum prosit, non tamen id potest esse ut conjugium non sit.

Sunt et alia plurima propter quæ si conjugium suscipiatur, conjugium vere sit, et nihil aut parum prosit. In conjugio tamen prædicta mala sunt maxime vitanda, quorum contraria summopere tanquam bona conjugii sunt appetenda. Si enim sermo conjugendorum hæc bona abdicaverit, dispensatio Ecclesiæ conjunctioni fornicariæ contradicit. Sicut baptizandum vetustati nolentem renuntiare non recipit, sacramento tamen quoquo modo hinc inde dato debita requirit. Si vero in conjugio nihil nisi divitias aut voluptatem aut hujusmodi aliquid quæras, idque etiam loquendo prodas, error tuus erit ab Ecclesia arguendus, sed non ideo videris mihi a nuptiis arcendus; melius namque est vel sic convenire, quam scandalo Ecclesiæ passim stupro inservire.

Sed qui ita conveniunt, num bono conjugii a voluptate tori excusantur? Utique qui statutum Christi sequens uxorem ducit, ne contra Dei prohibitum fornicetur; aut (si ita acciderit) ut soboles propter Deum educetur tali mente, ut nullam propter molestiam, quod Deus coniunxit homo ipse separet, is per bonum conjugii a malo tori liberatur: imo quoniam ne offendat Deum, et uxorem **252** ducit, et dimittere non quærit, non consulens carnem, sed Dei voluntatem, procul dubio præmium adipiscitur. Is, si cum uxore dormit ut filios procreet, ut fornicationem evitet, aut ut sociæ debitum reddat; vere Domini pro nutu se habet, malum ardoris qui bonum propositi prosequitur omnino condonatur. Sin vero vir talis (ut nostra est fragilitas) ad amplexus nonnunquam voluntate devius fertur,

(411) Aug., l. 1 De nupt. et con., c. 10, 11, 21; e: l. VII De Genes., cap. 7:

(412) Augustinus supra.

hic utique *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I Cor. III, 15). Neque enim qui secundum Deum uxorem tenet et suscipit, propter voluptatem tori perit: *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus* (Hebr. XIII, 4). Nam vir etiam bonus fragilitate præventus, voluptate nonnunquam trahitur, sicut ad cibum, ita quoque ad coitum; sed nolit Deus ut propter invincibilia damnetur peccata vir toto proposito bonus.

Verum qui bonis conjugii propter sua desideria, Dei prætermissa voluntate, consentit; quoniam vere bona non sunt, quo modo effectus suos habere possunt, ut apud Deum præmium acquirant ex se, aut veniam de ardore? Veniam aut omnino condonet, aut (ne ideo anima damnetur) quomodo id falsa bona efficerent, aut, quod verius est, mala? Nonne mala, sunt quæ non ideo fiunt ut satisfiat rationi, sed libidini? Maxima Ecclesie bona, sicut est fides, baptismus, confessio, jejunium atque eleemosyna, si aliter quam ratio exigit se habent, parum vigent, et nonnunquam pervalde nocent. Unde videtur quod quacunque causa uxorem duxeris, dum ad id quod Deo placeat non intendis, bona conjugii suis facias carere effectibus. Nam non propter Deum, sed propter tuum affectum bona conjugii suscipis, quæ, ut dictum est, nec recte bona dici possunt, tum quia propter Deum non amantur, tum quia propter libidinem aut tolerantur aut appetuntur. Quæ autem talia sunt quomodo prodesse, et non potius nocere possunt? Nam et

(413) Aug., super ps. LXXX, et l. XXI De civ., cap. 26.

bona propter malum, et mala propter bonum facta, utraque etiam nocere certum est. Quoties ergo bona conjugii evanescent, voluptas tori nullatenus excusatur, nisi quod levior damnatio subsequitur; quoniam ita peccater, ut Ecclesia non scandalizetur.

Sed de illo dicam conjugio, ubi equidem lex Dei attenditur, sed nihilominus (subsequenter tamen) carnalis impletio voluntatis affectatur; hujusmodi nec damnandum judicare, nec a pœna audeo absolvere (413), ædificantem super fundamentum, lignum, fenum, stipulam. Qua enim ratione illum damnabo, qui quantum potest, Deum quærit, tametsi fragilitas trahit, non ut aliquatenus fornicari, sed ut conjugio delectari desideret; quod etiam abhorreret, nisi Deus infirmis permisisset; trahit non ut mundi rem aut honorem, contempto Deo; sed sicut concessum est infirmis exoptet. Verum bonis mala vicina sunt, ut, opitulante Deo, solum in inquisitione rerum falli nequeas. Dum conjux vivit quantumcunque molestiæ ex convictu consurgit, ferendum (414) utique est; verum post conjugii decessum, superstiti liberum sit cui voluerit conjugari tantum in Domino. Apostolus nullam exceptionem fecit, nec Ecclesia facit: verum cujusque in libitu situm est quoties a conjugio solvitur, aut continentem manere, aut interim nuptiis inhærere: *Beatus tamen erit si sic permanserit* (I Cor. VII, 40).

(414) Hieron. in Matth. XIX, ad illud: *Si ita est causa homini, etc.*

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

(415) Domino, ut per stultitiam fidei salvos faceret credentes superbosque confutaret, placuit, sicut per lavacri regenerationem, ita quoque per corporis et sanguinis sui refectionem mundam Patri suo reconciliare. Id utique aliter fecisse noverat, verum ita suis humilitatem inducere malebat, quatenus id quod humana mens fatuum æstimat, fides nihil Deo impossibile sciens, veram salutis viam asserat.

Manducationem corporis Christi, manducatio mannae præfigurabat. Hic panis de cœlo, hic panis angelorum merito dicatur; quoniam illum designat qui cum sit relectio et gaudium angelorum, de cœlo descendit ut carne assumpta fieret et hominum panis. (416) Quem ergo angeli, utpote fortiores, manducant in divinitate, homo infirmus eundem manducat in carne. Moyses ligno petram percussit, ipsa aquam fudit, aqua populum sitientem recreavit (Exod. XVII, 6); sic Judæi Christum cruci vulnera-

tum affixerunt; hoc est petram (quæ auctore Apostolo est Christus) (I Cor. X, 4) ligno a Moyse percute; petra autem aquam fudit, dum ex vulneribus Christi cruor fideles potaturus defluxit. (417) Sacramenta igitur corporis et sanguinis Domini veteri in populo præcesserunt, et idem credentibus, ut auctores fatentur, valuerunt; non quod figura rei vires habere possit, sed quoniam Deus qui nihil non potest, quod modo conferre placet per veritatem, tunc dare volebat per umbram, et hoc est quod Apostolus ait: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari; et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt* (ibid.), significantibus significatorum notis impositis. Ergone vulgi decretum hujus rei consideratione confirmatur, scilicet panem benedictum die Dominica libantibus; vel præoccupatis herbam saltem quasi eucharistiam sumentibus, idem valere et pro eucharistia esse? Quis hoc absque auctoritate

(415) Mag., l. IV, dist. 8 et seqq.

(416) Aug., serm. 93. de temp. et tract. 26 in Joan.

(417) August., tract. 26 in Joan., et maxime ser. 93 De temp.

inducere audeat? Præsertim cum postquam res est, ipsam ratio sit esse per se; ante autem quam sit, figuram valere. Nam postquam veritas rei accessit et viget, umbra et figura cessare debet. Supra dicta ergo cum nec sint res ipsa nec rei figura, quomodo possunt efficere, quod res ipsa cognoscitur posse? Sed et figura sive baptismi ut nubes et mare, sive corporis et sanguinis ut manna et aqua, quomodo idem æstimatur valuisse quod res, cum Apostolo auctore, impossibile sit sanguine hircorum aut taurorum peccata dimitti? **254** Nimirum sacrificio veteris hostiæ, sacrificium figurabatur novæ. Quod si hæc figura minime id valuit quod res sua, quomodo ceteræ figuræ id possunt quod res sææ? figuræ, ut dictum est, efficaciam non habent figuratarum rerum, sed quod figuræ est impossibile, Deo in B figura est possibile.

Sed verius arbitror id officii figuras habere, ut res suas insinuent, fidem autem in figuris latentem figuras suscipientibus, revelante Deo, detectam id contulisse per spem, quod modo fidelibus ex significatis confertur per rem. Quod utique videtur voluisse is qui de figuris id sensit, quod idem cum re valuerint credentibus. Nam quomodo idem valuerunt credentibus? Quid est idem valent credentibus? nisi quod futuræ rei fides idem valuit antiquis quod contemporaneis valet fides rei præsentis? Et quomodo idem, nisi quod uterque populus, ex fide suscepit idem alter indilate, alter post dilationem? Nam neque figura neque res quidquam prodest absque fide, fides autem fructu carere non potest, quoniam *Justus ex fide vivit* (Rom. i 17; *Habac.* ii, 4).

CAPUT II.

De pane et vino sacrificii.

(418) Alius panis quam frumenti, aliusve liquor quam vini ad mensam Domini non admittitur; forte ideo quoniam ipse sese vitem nuncupavit, granoque frumenti comparavit: præcipue quoniam hujusmodi panem atque liquorem in corpus et sanguinem consecravit, quatenus rationalium cibus hoc intelligatur atque potus, non autem jumentum more viventium. Sacrificium autem hoc corpore et sanguine celebratur, ut eo participans totus vegetetur. D Ad hoc sacrificium diversa (419) grana conveniunt, quoniam diversis Ecclesiæ personis præparatur; multa grana unum panem conficiunt, et multæ personæ quibus relectio hæc debetur, una Ecclesia sunt. Alii namque mors est, nisi qui verum Ecclesiæ est membrum. Huic pani manducando conjungimur, quoniam mysterio digne sumpto, Domino nostro conjungi debemus. Unde Apostolus: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est* (I Cor. x, 16)? Id est, quamdam nos facit habere cum vita Domini per corpus communionem.

Eadem significatio in calice est, nisi quod san-

guis quo anima nonnunquam declaratur, ea refectione animam indicat recreandam; corpus vero carne, ut, quoniam corpore et anima constamus, in utroque virtute cœlestis cibi perficiamur; et sicut corporali cibo corporaliter, ita spirituali spiritualiter confortemur. Illum sumimus ut vivamus in mundo, istum autem ut in Deo. Et sicut ille id efficere non potest, ut vivamus secundum Deum; ita iste non facit ut vivatur secundum mundum. Uterque suam et diversam tenet viam; alter dum ventrem onerat, ventris violentiam deficit; alter dum naturam solidat in integritate sui persistit. Cibus iste aliis in vitam, aliis sumitur in mortem. Nam, *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (I Cor. ii, 29). Et quid est judicium manducare, nisi ex manducatione damnabilem existere? Quantum autem? Quantum is qui reus est corporis et sanguinis Domini. Et quid est: *Reus est corporis et sanguinis Domini* (ibid.), nisi qui mortis Christi pœnas dabit? Mortis autem Christi pœnas dare quid est, nisi crucifixorum in tormento pœnas habere? Illi quem nescierunt Deum, mortalem contempserunt; ii et Deum noverunt, et immortalem contempnunt. Nonne contempnunt quoties indigne accedunt.

Sed dicis: *Contemnere se nesciunt*. Quid inde? Idne scire non debent? *Ignorans enim ignorabitur* (I Cor. xiv, 38). Id ignorasse quod Christus fuisset Deus, utique Judæis culpa fuit; quoniam id inter eos conversatus effecit ut ignorasse non oportuerit. Id ignorare quod ab indignis non est communicandum, intolerabilis negligentia est, præsertim Christianis, qui id officii habent ut tanta saltem sacramenta indiscussa non dimittant. **255** Sed quæ Ecclesia est, ubi corpus Christi non prædicetur, et quod præparati debent esse accepturi: Unde Apostolus: *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat* (I Cor. xi, 28). Probet igitur se homo erratus suos discutendo, et inventos corrigendo, et quantum pro qualitate sceleris, et reverentia mensæ Salvatoris deceat, a tanto cibo absteineat; ita tamen ut si mors occurrerit, viaticum præsumat: hoc namque prandio opus est ad cœlestem migraturis cœnam. Tamen: *Si justus morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (Sap. iv, 7). Nam qui cibum hunc habere potuit et neglexit male hac de vita abiit: *Nisi enim manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. vi, 54). Qui ergo non manducat, vitam non habet; qui autem indigne manducat, mortem habet. Malum est ut vita careas, pessimum autem ut mortem incurras. Quid est ergo consulendum? ut vitam corrigas, et communices. Sin autem nondum vis bonus esse, minus mali est non communicare. Bonus autem es (420) mala si non habes mortifera, tamen si habes quotidiana, id est si mens in affectu peccandi non sit.

(418) Magist., l. iv, dist. 10.

(419) Cyprianus.

(420) Hilarius apud Grat. De cons., distinct. 2.

(421) Secure ergo ad mensam Domini recumbe, A quatenus reffectus, et contra vitia fias robustior, et ad bona validior, et ad utriusque rei notitiam perspiciacior. Unde vivit magnus, strangulatur parvus. Cibis iste magnorum est quem usurpantes parvi, quoniam minus capaces sunt, capiendo deficiunt; quantum enim prodest dignis, tantum nocet indignis. Nimirum inde redeunt boni meliores, mali pejores, et in signum interioris morbi, qui nunquam indigne accedentibus deest, exterior nonnunquam morbus adjicitur, ut qui in sacrificium et salutem Ecclesiæ peccat, de bono male sumpto, carnis aut ægritudinem, aut mortem excipiat, non dijudicans corpus Domini, dum irreverenter quasi ad corporalem cibum, ruit reus, quamvis non propter vitæ malitiam, ex hoc solo quod tantæ rei debitam non exhibet diligentiam. Ideo, ut ait Apostolus: *Inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicarem non utique judicaremur (I Cor. xi, 30)*. Nam si pravitatem emendavissimus, utique puniti non fuissimus. Sed nec pœna infertur nisi ut vita corrigatur. Unde Apostolus: *Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (ibid.)*.

CAPUT III.

Cur aqua immisceatur, et quomodo participandum?

(422) Calici aquam tradit Ecclesia immiscendam, quoniam sanguis cum aqua Dominico profluxit ex latere. Aqua more Scripture populum designat (*Apoc. xvii, 1*); sanguis ergo sine aqua non est, quoniam passio propter homines est. Dum caro manducatur (425), et ori sanguis infunditur, passio Domini et corpore afflicti et sanguine perfusi insinuatur. Unde Dominus discipulis suis, et per eos aliis ait: *Hæc facietis in meam commemorationem (Luc. xxii, 19)*! Quamobrem quoties sacramento participamus, significatæ rei memores esse debemus; quare enim memores, nisi ut quid pro nobis tulerit attendamus, quidve rependi oporteat, minime prætermittamus? Quid hoc sit audiamus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (I Petr. ii, 21)*. Et quidem Christus discipulis, et per discipulos sacerdotibus reliquis, qualiter ab ipsis mensa Domini sit participanda declaravit, dicens: *Accipite et comedite: Hoc est corpus meum (Matth. xxvi, 26)*; et post: *Bibite ex hoc omnes; hic est sanguis meus (ibid.) (424)*. Itaque primo corpus, post sanguis a presbyteris est sumendus. Institutio Christi mutanda non est, quippe decreti sanctione hoc modo firmata: *Hoc facietis in meam commemorationem*. Itaque non aliud, sed hoc fiat.

Verum qualiter a laicis eucharistia sumi deberet,

A sponsæ suæ commisit (425) iudicio, cujus consilio et usu pulchre fit ut caro Christi laicis distribuatur. Nimirum periculose fieret **256** ut sanguis sub liquida specie multitudini fidelium in Ecclesia divideretur; longe periculosius infirmatis per parochiam deferretur. Nam quia caro absque sanguine non est, nec sanguis alibi est, nisi in carne; quisquis alterutrum sumit, neutrum insumptum derelinquit. Quod si bene credit, non tamen se bene credere ostendit, quisquis dum carnem tribuit, sanguine intingit, quasi aut caro sanguine careat, aut sanguis extra carnem existat. Libere utique et secure fatendum est, alterum absque altero sumi non posse, dubiumque non est quin si cui, ut facilius insumatur, pervalde infirmato sanguis infunditur, satisfactum sit communioni. Nam panem intinctum quis audeat porrigere, cum Dominus per se panem (426), per se calicem porrexerit? Quis audeat conjungere quæ Dominus maluit separata ministrare?

Sed dices: *Absque exemplo Domini cur non præbeam intinctum, cum tu præbere non dubites alterum sine altero?* Dispensatio Ecclesiæ, ne quid inconvenientis suboriatur utrumque circumferre non consuevit, eademque ratione vitans effusionem, intingere pertimescit. Intinctus panis intinctæ inquinatæque mentis viro tradebatur Judæ. Nihil tale taliterque fidelibus exhibeatur. Tamen pleraque per loca panis intinctus porrigitur, quatenus ut aiunt, et juxta Evangelium utrumque distribuatur, et res ita securius atque expeditius transigatur. Verum et Christus aliter fecit, et id mutari auctoritas (427) Romana obnixe interdicat.

CAPUT IV.

Quale corpus Christus discipulis tradidit nihil inde passurum.

(428) Dominus discipulis suis mortale corpus, et quod plus est moriturum (unde ait: *Quod pro vobis tradetur; sicut et de sanguine, qui pro multis effundetur (Matth. xxvi, 28)*), manducandum exhibuit. Nam quomodo immortale quod nondum erat, et non potius quale erat, tradiderit? Mortale utique et passibile exhibuit comedendum. Sed neque moriturum ex comestione, neque passurum; sicut enim modo, ita etiam tunc videbatur et frangi et conteri cibus ille, sed neutrum fiebat. Sed impassibile corpus nihil pati nec confringi ratio est. Verum passibile manducari nec conteri quæ ratio est? Rationem humanam latet quomodo contingat manducari carnem absque contritione, sive mortalem sive immortalem. Sed Deus id facere potest quod homo intelligere non potest. Christus immortalis ad discipulos clausis introivit januis, mortalis idem clauso prodiit matris utero. Et qui quantitatem infantilem jam ha-

(421) August., tract. 26 in Joan. post med. De eccles. dog., c. 53.

(422) Mag., l. iv, dist. 11, § 7.

(425) Gregor., homil. 22, in Eu. Grat., De cons., d. 2, cap. Cum frangitur.

(424) Mag. ser., d. st. 11, 6.

(425) Conc. Triad., sess. 21, c. 2, et canonib. ibid. Conc. Constant., sess. 13.

(426) Concil. Brach. iii, canon. 1. Vide Notas.

(427) Jul. papa, De cons., d. 2, c. Cum omne. Et Pasch. II, in ep. ad Cluniac.

(428) Mag., d. 11, § ultimo.

hebat, nullam tamen aperturam exigebat. Eadem virtute factum est ut adustus quantitate, fidelium contineatur in ore, ut manducetur et tamen non confringatur, ut totus simul diversis sit in locis, idque mirabiliter fit tam ante mortem quam post resurrectionem suam. Neutrum videmus, utrumque veneramus, quoniam *fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum* (429). Quod in Christi mortali corpore gerebatur sacramenti perceptione, id in ipsius consequenter passione completum est; quod autem modo in mensa Christi representatur, in præterita ejus passione agebatur. Illa ergo quod adhuc erat futurum, ista autem refectio quod jam est præteritum designat. Ibi in mortali carne passio futura, hic in immortalis præterita insinuatur; unio perceptionis unionem significat mentis; quippe dum carnem Christi in nobis suscipimus, quid aliud quam templum Christi nos insinuamus? Tunc autem Christi templum sumus, cum tanto inhabitatore moribus atque fide pollemus.

Quod si tales ad mensam Domini sedemus, Domino utique nostro adhæremus: *Et qui adhæret Deo unus Spiritus est* (I Cor. vi, 17). Sin autem a Deo spiritu disjungimur, coram astantibus **257** communicando mentimur; cum non simus templum Dei, idque nos esse perceptione sacramenti polliceamur. Mensa ergo Domini non solum ipsius passionem, imo et conformitatem, et, ut dictum est, Ecclesiæ designat unitatem; habe charitatem et eris hoc vinculo tam capiti constrictus quam membris. Jure ergo præcipuum Ecclesiæ judicatur sacramentum, quod tam sacra habet insinuare, imo et rite participantibus conferre.

APUT V.

De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

(430) Dominus virtute benedictionis suæ, et per se et per ministros panem in corpus suum, vinumque in sanguinem suum convertit, ita ut neque panis neque vinum, id quod ante erat remaneat, verum in alteram transeat naturam; panis in carnem, vinum in sanguinem. Non utique in aliam, nisi in illam quam pro nobis cœlis invexit. Neque alius est sanguis in quem vinum transit, nisi ille qui manavit de latere, quique adhuc Christi manet in carne. *De parvo dicitur quod fiet, et erit senex*; ergo et de senex facto jure pronuntiatur quod fuit puer. Consecrando quoque de pane recte dices, quod vertetur, transibit in corpus Christi quodque fiet corpus Christi. Num tamen ideo postquam ita erit, concludam corpus Christi fuisse panem, pastam, farinam? Non enim id ante consecrationem fuit; quippe quod nunc omnino et tunc exstitit, nisi quis ridicule, imo et periculose dicere audeat, quod idem corpus, sit simul caro in cœlo, pasta in alveolo, triticum in horreo? Panis transit in corpus, unde Dominus accepto pane et benedicto

A ait: *Hoc est corpus meum* (Matth. xxvi, 26); similiter accepto calice post gratiarum actionem subiunxit: *Hic est sanguis meus* (ibid), quasi diceret: *Quod sub specie vini cernitis, sanguinem esse meum sciatis; quodque adhuc panis apparet, nemo corpus meum esse dubitet.* Et quoniam sicut ante benedictionem panis fuerat, ita post benedictionem corpus suum aiebat; et sicut vinum ante exstitit, ita post gratias, sanguinem suum dixit. Nemo audeat aliud astruere, quam quod Dominum, verba indicant, voluisse. Quare nec panem fieri carnem neges, nec aliud fieri putes. Vinum post gratias sanguinem factum credas; nec in aliud mutari contendas.

Itaque neque panem in sanguinem, neque vinum in carnem, imo neutrum in animam aut in divinam naturam arbitraris benedicendo vertendum. Homo natus ex Virgine in corpore substantiæ tam creatrici quam creatæ personaliter est conjunctus, et in neutram versus. Quod ergo de homine nefas est credere, in pane et vino nemo præsumat æstimare. Vinum tamen efficitur sanguis, is quidem qui per carnem est diffusus. quia alium non habet Christus. Et quoniam sanguis non est nisi in carne, sumi nullatenus potest nisi in carne. Itaque cum acceperis sanguinem, accipis etiam carnem, sed non nisi per sanguinem; qui absque carne non est: nam si esset, caro simul minime sumeretur.

Et cum, ut cernere est, minimum sumitur, nihil tamen sumendum relinquitur. Nam absit, ut sicut in macello carnes frustatim laniantur; ita communicatio corporis et sanguinis Christi particulatim diminuatur, præsertim modo cum resurrexerit Christus immortalis et impassibilis; *Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (Rom. vi, 9). Hujusmodi manducationem abhorruerunt illi qui dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* (Joan. vi, 61)? Huic errori Dominus respondit, dicens: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Quasi diceret: Cum Filius hominis integer in cœlos, ubi et prius secundum divinitatem fuit, sit ascensurus; liquet quod non sicut fallimini, caro mea buccellatim sit corporalium more ciborum fidelibus distribuenda.* **258** Corpus ergo Christi videtur frangi, et non frangitur; videtur conteri dentibus, et non conteritur; nimirum contritio et fractura speciem comitantur non etiam rem.

(431) Cum autem panis in carnem, vinum quoque virtute Christi vertatur in sanguinem, substantia utique vini et panis desinit esse quod fuerat, idque fit quod prius non erat: proprietates tamen amborum transeuntium manent, unde fit ut id quinque sensus nostri post consecrationem inveniant, quod ante consecrationem inveniebant. Nam visus speciem panis vini que colorem cernit; auditus in pane fractionem, in vino fusionem aure discernit; nares olfactu, palatum gustu, utriusque naturam perpen-

(429) Greg., hom. 26 in Evang.

(430) Mag., d. 11, § 1 et 2.

(431) Mag., dist. 12, § 1-3.

dunt; tangendo autem asperitas sive lenitas, duritia sive mollities non colatur. Transit itaque substantia, sed remanet forma; neutrum miraris, sed omnipotentem contemplaris. Quamobrem non est sensuum delusio, sed vera rei comprehensio, quod cum Dominica in mensa sit solum caro et sanguis, nihilominus tamen vini natura percipiatur et panis. Non tamen quod caro et sanguis hujusmodi sint qualitatis, verum quod, post mutationem utriusque substantiæ, non mutatur qualitas naturæ. Hac qualitas tamen frangendo et conterendo aliter aliterque variatur, res ipsa quæ sub specie latet nullo modo alteratur. Cum enim speciem panis varii divisionum modi dissipant, ita Christus sub unaquaque speciei portione integer suscipitur, sicut sub integra specie sumebatur. Nimirum sicut in altera specie, et nondum sua, se videndum exhibuit, assumpta ad tempus resurrectionis gloria, adhuc in Transfiguratione vetus homo (secundum passibilitatem dico), vetustate quoque post mortem deposita jam glorificatus, sicut in veteri forma discipulis tolerabili, et nota ad horam apparuit; ita modo species panis oculis objicitur, sed sub specie Salvator mundi tenetur. Utrique duarum visionum alia species quam Christus tunc habuit ostendebatur (nisi forte ad horam talis existebat, qualem se videndum objiciebat?) tertia autem visio quod [aut quam] comprehendit, nunquam Christus in forma habuit. Tres autem hæ species nihil aliud sub se videndum, nihil aliud exhibent tractandum, nisi corpus Christi, imo et Christum. Nam ut in eo, unde nobis sermo inchoatus est, immoremur, panis transit in corpus verum; non exsanguis sed plenum sanguine; non mortuum, sed anima vivificatum Deoque unitum.

In hujusmodi corpus panem verti oportet, quoniam alterius modi [fort. alterum modum] Christus non habet. In ipsum corpus panem verti asserimus, quoniam corporis verti in partem dicere non audeamus: non enim ait Dominus: *Accipite, hoc est portio corporis mei*; verum accipite: *Hoc est corpus meum* (Matth. xxvi, 26). Si enim sicut vinum in sanguinem, licet in homine comprehensum, ita panis in partionem, licet ambitu corporis inclusam verteretur, utique oporteret dici: *Hæc est pars corporis mei*, sicut dicitur: *Hic est sanguis meus* (ibid.), potius quam partem nomine corporis censer; quoniam nec sanguis nomine hominis censetur. Itaque sicut sanguis nomine suo et non continentis dicitur; ita quoque si in partem corporis fieret panis conversio, nomine suo et non continentis diceretur. Itaque quantumcumque qualemcumque se oculis nostris species post benedictionem objecerit, fides sub speciei integumento non solum carnem et sanguinem; sed Christi integritatem sine qua nec caro Christi, nec sanguis est, debito honore veneretur: nihil mirans, si manducandi et bibendi verba cum

A specie permanent et forma. Utiq̄ue sub utraque specie totus Christus suscipitur si speciem, speciei amica verba prosequantur.

259 CAPUT VI.

Qui possint conficere, et quomodo debeant distribuere?

(452) Non ab aliis quam sacerdotibus, neque ab ipsis contra statutum Ecclesiæ accedentibus, altaris sacramenta conficiuntur. Possunt equidem indigni vita conficere; sed necesse est ritum ecclesiasticum servare. Indigni namque, licet damno suo, attamen conficiant, sed nunquam aliter nisi conficiendi disciplinam æmulentur. Et quidem ita mihi videtur.

(453) Sacerdotum autem est curare quibus eucharistia debeat dari, quibus vero negari. Omnibus publice iniquam et fœdam vitam agentibus negandum est (si cum pace fieri potest) pro sua reverentia tantum sacramentum, ne si talibus tribuatur, tanquam de indigne dato infirmi scandalizentur. ipsi quoque scelerati tanquam cœlesti pane honorati falsa spe deludantur; sacerdos autem sicut de improvidentia dispensationis reus habeatur. Et quomodo, inquam reus? sicut qui sanctum dat canibus, imo Sanctum sanctorum. Unde apud Judæos secundum pascha erat institutum, quando qui propter immunditiam, primum pascha celebrare non poterant secundum pascha purificati celebrabant; sic quoque nos si propter peccata cum aliis nostrum pascha celebrare non possumus, opus est dilatione, quousque purgati, secundo celebrare possimus.

C Qui autem flagitiosus quantumlibet, sed occultus, occulte præmoneatur, ne quod debet esse saluti, præsumat perditionem. Si tamen super hoc instat, si bique fieri quod fidelibus fit, expostulat; necesse est dare communionem, ne negando prædas iniquitatem, aut ne videaris illum odisse, cui vitalem cibum nolis conferre. Itaque, ne aut illum detegas indignum, aut te reddas suspectum; mortem suam certissime illi dabis, et hæc sola via Ecclesiæ scandalum vitabis; si negares, utique graviter offenderes; dum das, nihil omnino peccas: *Judicium enim sibi manducat et bibit* (I Cor. xi, 29), utique sibi, non etiam tibi (454): si tibi solatium quando simul cum bonis distribuis et malis, quod Dominus Jesus tibi exemplo idem fecit, cum inter apostolos suos Judam a cœna sua minime fugavit (455). Cœna enim hæc radio solis purior, sordida percurrit, nec percurrendo sordes contrahit; decora illustrat, fœda propalat; quippe vir bonus post cœnam fit melior, malus autem a cœna redit deformior.

CAPUT VII.

Quoties ad minus communicandum.

(456) Aliis sæpius, aliis rarius mos est communicari. Statuta tamen Patrum sancunt ter in anno communicandum, die Natalis, Paschæ et Pentecostæ.

(452) Mag., d. 45.

(453) August., contra Donatist., et l. v, c. 29.

(454) Aug., ser. 22 De verbis apost.

(455) Augustinus, l. iii De bapt., c. 10.

(456) Concil. Ænham. in Anglia.

stes (437). Sacerdotes tamen frequentius opus est confortari; laicos autem ter saltem. Familiare regis ad mensam sedent, et ii crebrius, quia propius (438). Verum quisque more fidelium quos inter conversatur, sive sæpius sive rarius id obnixè videat, quatenus digne accedat.

CAPUT VIII.

Quod Dominus non vitavit hominum cibos; neque malorum consortia sunt vitanda.

Dominus Jesus quoniam inter homines conversari malebat, humanæ conversationis cibos minime renuebat, id apud se agens quod a suis actum iri decreverat: qui juxta Magistri sui mandatum sicubi hospitabantur, edebant, et bibebant quæ apud illos erant. (*Luc. x, 7*). Nam qui in uno et privato comorantur loco, ii solitariam, et, ut libet (pro ratione tamen) austeram, Joannis Baptistæ, et eremi sectatores, abstinentiæ vitam agant. Qui autem de loco in locum proficiscuntur, aut inter multos conversantur, apostolicæ hilaritatis et modestiæ mensam æmulentur, si nec scandalizari, nec scandalizare volunt, scientes quoniam esca et potus non est regnum Dei (*Rom. xiv, 17*), et quod majoris meriti est libidinem frenare in abundantia, quam abstinere ex inedia (459). Si cui tamen gula infesta est, copiam fugere securius est.

Dominus nuptiis interfuit, convivas non abhorruit; insinuans cupiditatem, non obsonium timendum esse, nullum hominum genus cohabitanti, et sancte se habenti nocere. Quod minime murmurantium detractio pensabat, dum Dominum quod potum cibumque indifferenter sumebat; quod medicus ægros visitabat, vini accusabat potatorem, publicanorum quoque et meretricum commessatorem (*Matth. xi, 19*). Sed quando melius est cum Domino vesci favo et pisce (*Luc. xxv, 42*), quam simul cum Esau rufalente? (*Gen. xxv, 54*.) Exemplum Domini sequamur, neque inter malos conversari, tanquam ab ipsis inquinandi indignemur. Nam, si inter malos legitime te habes, et verbo et exemplo attendentibus tibi vales; non te fermentum malorum in suam vertit acridinem, verum tu illam ab illis paulatim extrahis.

Qui ergo consortia malorum fugis cum ex te ipsi meliores fiant, tu ex ipsis deterior non sis? Crudelis utique es; non vis, et prodesse potes. Ad bonos prope-
ras qui te minime egent; malos derelinquis, qui tecum periculo carent. Nimirum te stolidè habes aut insolenter, si aut peccatores nimium justus abominaris, aut cum bene te habes de vicinia malorum inquinari te credis. Quod si id te contristat quod inter culpabiles culpa non cares, discute vitam tuam, et inquire utrum inter quotidiana sint illa unde quereris, an inter damnabilia. Si quotidiana sunt, ubi terrarum evitari possunt? Hujusmodi quoniam assidua sunt, assidue gemas; quoniam vero nihil inde est damnationis sanctis, imo consolationis, maxime si Ec-

(437) Aug., ep. cxviii, ad Jan. De Eccles. dogm., c. 53.

clesiæ proficuis intendens, quasi ex itinere opportune pulverem trahis. Quidquid enim ex operibus charitatis fragilitate humana invincibiliter contrahitur; quoniam *universa delicta operit charitas* (*I Petr. iv, 8*); fructu operum ejus excusatur. Ergo propter maculam pulveris, itineris bona vitabis? propter parva, et venialia mala, magna et cœlestia bona? Ergo nihil boni est quod aggredi valeas, quoniam semper bonum mala sequuntur quæ expavescas? 3.

Sicubi autem es, aut quid agis, unde tibi intolerabilia insurgunt peccata; si nulla ratione eo in loco aut actu mortem animæ effugere potes, quantumcunque locus actusve probetur, periculum tui omnino evita, et quidquid scandalizat te, id abscede et projice abs te (*Matth. v, 29*). Verumtamen acutius pensandum puto, ne, dum per speculam in ænigmate ambulamus, species nos rerum deludat, angelo Satanae transfigurato in angelum lucis (*II Cor. xi, 14*). Contra quod gratia Dei est opus; nec in tuis confidas viribus, sed *jacta in Domino curam tuam* (*Psal. lrv, 25*). Ut autem tibi adsit, vita tua promereatur, juxta illud: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis* (*Jac. iv, 8*).

CAPUT IX.

De cœna Domini et aliis veteribus non reducendis.

Dominus natus ex muliere, factus homo sub lege, veterem cœnam, quæ agno azymisque panibus celebrari solebat et vino, suis sumpsit cum discipulis. Sumpsit ut finem veteri imponeret, novam autem induceret. Postquam enim discipuli paraverunt pascha et Dominus discubuit, ait: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (*Luc. xxii, 15*). Desiderat namque juxta auctoritatem primo typicum manducare pascha, et sic passionis suæ mundo mysteria declarare, ut et antiqui paschæ probator existat, et jam adveniente veritate umbram cessare doceat. Unde subjungitur: *Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei*. Quasi diceret: *Non ultra Mosaicum pascha celebrabo, donec in Ecclesia, quæ est regnum Dei, spiritualiter intellectum compleatur*. In hoc regno usque hodie manducat Christus, cum ea quæ Moyses rudi populo carnaliter observanda præcepit, in membris suis spiritualiter exercet. Cesset ergo umbra, quoniam advenit veritas: sicut defecit manna postquam comederunt filii Israel de frugibus terre, nec usi sunt ultra illo cibo. Sequitur: *Et accepit calicem gratias egit, dicens: Accipite et dividite inter vos*. Hic calix ad vetus pascha cui finem imponebat, pertinet; quo accepto, gratias agit. Ideo scilicet quia vetera transitura, et nova omnia erant ventura. Sequitur: *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*. Sicut typicum esum agni panisque azymi, sic etiam typicum paschæ potum se negat bibiturum, donec ostensa resurrectionis gloria regnum Dei, id est fides [lege finis] mundi, adveniat, ut per horum duorum immu-

(438) Ambr., iv De sacr., c. 6.

(439) V. Hieronym. Dictata in Reg. monac., t. IX.

tationem sacramentorum, quæ præcipua judicantur A cæteris, legis sacramenta ad spirituatem observantiam doceat transferenda. Antiqui ergo paschæ, tam cibo meta ponitur quam potui, in cœna Domini.

Cœnam ergo Domini, neque in vino neque in azy- mis, sicut neque in esu agni, quoniam hæc Domi- nus terminavit, nemo reducat; alioquin judaizat. Extrema pars cœnæ quæ ita novo debetur homini quemadmodum prima veteri, qua Dominus suis sa- cramenta corporis et sanguinis distribuit, ipsa sæ- pius est repetenda, auctore Domino qui post novæ cœnæ, novique paschæ distributionem ait apostolis, et per eos aliis: *Hæc facite in meam commemorationem* (Luc. xxii, 19). Dominus ergo finitis veteris pa- schæ solemnibus transit ad novum, quod in suæ re- demptionis memoriam Ecclesiam frequentare desi- derat, ut pro carne et sanguine Agni, suæ carnis et sanguinis sacramentum in panis et vini figura sub- stituat. *Surgit quoque Dominus a cœna et lavit pedes discipulorum, et cum recubisset iterum, dixit eis: Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis ita et vos facia- tis* (Joan. xiii, 15). Manu videlicet pedes lavando, vel corde alter alteri peccata dimittendo, et pro in- vicem orando, nullus error esse potest intelligenti. Quid fugiamus, quidve sequamur, Dominus edocet: figura enim legis paulatim imminuit. Unde et lepro- sos tangit, Sabbata infringit: *Lex enim et prophetæ usque ad Joannem* (Luc. xvi, 16); tandem vero uni- versas in cœna terminat, quid sibi displiceat, quid vero placeat pulsa ambiguitate declarans, dum hinc ait: *Ex hoc non manducabo illud; non bibam de ge- neratione vitis; inde addit: Hoc facite in meam commemorationem; exemplum dedi vobis.* Pharisæis apo- stolos accusantibus quod Sabbatis spicas vulserant et ad manducandum confricaverant, (Matth. xii, 1; Luc. vi, 1; Marc. ii, 23), Dominus ita respondit: *Si sciretis quid est? Misericordiam volo et non sacri- ficium, nunquam condemnassetis innocentes* (Matth. xii, 7). Nimirum disposuit Deus per suæ gratiam misericordiæ, non autem per legis observantias mun- dum salvare. Item, ideo non sunt arguendi quasi diceret Dominus: *Discipuli mei, Dominus est enim Filius hominis etiam Sabbati* (Luc. vi, 5). Nimirum qui Dominus est sicut aliorum, ita quoque et cære- moniarum; merito cum vult stare, cum vult facit cessare. Si institutio Christi tibi non sufficit, nimium justus es; si præteris, prævaricator es.

Post Dominum consule Apostolum: ipse enim ait: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege* (Galat. v, 18). Unde sequitur, quod qui sub lege est, duce Aposto- lo caret. Sub lege autem est qui in legalibus confidit. Paulus Colossenses redarguit quod, more Judæo- rum, ita se commonerent: *Ne tetigeritis, ne gusta- veritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu* (Coloss. ii, 21). Displicet enim Apostolo more Judæorum ta- ctum ut cadaveris vitare, gustum ut porci abhor- (440) Bernard., ser. 66 in Cantica.

rere. Quoniam non solum 262 hæc, verum et om- nia hujusmodi valent ad interitum, si quis ab his ab- stineat, illis utatur; credens inde justificari. Idem, inquit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil pro- derit* (Galat. v, 2). In una et inter magnas præci- pua observantia. Circumcisio enim et pascha inter figuralia primatum obtinent, manifestans illum ni- hil utilitatis accipere ex redemptione, quisquis spem ponit in legis observatione.

Apostolus item Christum commendans, et legalia vituperans dicit: *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam* (Philip. iii, 8). Non dicit aliqua, sed omnia detri- mento esse, et arbitranda ut stercora; quoniam omnia si qua in homine bona inveniuntur, illi- co deerunt et annihilando corrumpunt, et contre- ctantem fetore proprio inficiunt. Hoc Apostolus vi- tat ut Christum lucrifaciat. Quare? Nisi quod in ejus- modi non est salus? Atque ideo vir zelo domus Dei ardens, toties contra legem disputat, quatenus quæ nociva sunt radicitus evellat, insinuens a cultu ido- latriæ cultum legis parum distare. Unde Galatis ait: *Nolite iterum jugo servitutis contineri* (Galat. v, 1). Cum Galatæ nunquam antea sub lege fuerint (eam enim jugum servitutis appellat), quomodo in- quit: *Nolite iterum jugo servitutis contineri?* Sed prius sub jugo servitutis exstiterunt dum sub onere deprimerentur idolatriæ; ad quod quodammodo recurrunt dum legi quæ jam ei comparatur, se sub- dunt. Nimirum sacramenta cæremoniarum adhuc ob- servata quoniam veritatem gratiæ, quæ jam venit ad- huc futuram promittunt, falsitati jam deserviunt. *Umbra namque futurorum lex* (Hebr. x, 1), si adhuc tenetur, illud mentiens promittit futurum, quod actu rei novimus præteritum. Sed quid a cultu falsorum distat deorum falsa colere sacramenta, imo in sacra- mentis nescio quem nasciturum venerari Christum?

Sed Paulus humiliat se legi circumciso Timotheo, ut dolus et scandalum Judæorum cessaret, qui pa- rati erant commovere tumultum et seditionem, si il- lum filium Judææ incircumcisum susciperet, et epi- scopum ordinaret (Act. xvi, 5). Et ipse qui comam ex voto nutrit, ut Nazarei, in Cenchrus ex lege caput totondit (Act. xviii, 18). Post multa etiam in Jeru- salem consilio Jacobi et presbyterorum purificatus, secundum legem intravit in templum, et hostiam ob- tulit (Act. xxi, 26). Legem, Christus finis legis, imo et ipsa lex, cessare instituit, et Paulus firmamam perdocuit, inter cætera inquiens: *Ego enim per le- gem legi mortuus sum, ut Deo vivam* (Galat. ii, 19); quasi diceret: *auctoritate legis legem dimitto in tan- tum ut ad eam, sicut mortuus essem, minime accedam.* Quare? *ut Deo vivam.* Quippe solum mortuus legi, vivit Deo et ad honorem Dei. Num igitur vas electio- nis adeo desipuit, ut et contra se et contra legem, imo quoque et contra Deum et Dominum suum ju- daizaret, legemque introduceret? alsit!

(440) Judæus a multis cibis judaizando abstinet,

abstinet ab eisdem aliquando Christianus, sed aut A propter continentiam, aut quia sunt contra corporis salutem, et bene facit: Judæus, dum Sabbato feriatur, judaizat: Christianus eodem die nonnunquam quiescit, sed solemnitatem suam Sabbato venientem servat, et Christiano more se habet: sic multa cum Judæis agimus, verum non ut eorum legem serveamus; ita Apostolus, dum legalibus assensum præbuit, nullam legalibus reverentiam exhibuit sed, utens dispensatione, contra scandalum invenit remedium. (441) In hujusmodi ergo sicut neque dimissis, ita neque factis ullum omnino est periculum, si in eis quæ fiunt, nec ulla spes habetur, nec usus assiduitate error Judaismi inducitur: sed id fit quod fieri ratio poscit. Nisi enim necessitas nimia cogat, nihil cum Judæis agendum est tale aut tandiu, ut de nostra quasi Judaizatione gloriari queant. Caveamus ergo ne, ut aiunt, cœnam Domini usque adeo imitemur, ut judaizemus.

Quæ ergo ratio exigit ut more, Quadragesima insolito die passionem Domini antecedent, post prandium quasi Dominum secuti, **263** cœnemus, et azymos panes, si facultas datur, simul cum vino insumamus. Quæ necessitas compellit (nam absque necessitate id nefas est) jejunium quadragesimale quadraginta refectionibus pro nostra fragilitate transigendum, eo præsertim tempore quo vivacius (442) erat abstinentum, infringere? *Morem Ecclesiæ servandum* respondes, hic autem mos laicorum aut nullorum est apud nos, aut paucorum; clericorum C pars maxima morem hunc non servant, conventusque religiosissimi evitant. Quare necessitudo consuetudinis nulla videtur propter quam mos iste servetur, nisi forte cœnam Domini hujusmodi celebratione repræsentari oporteat. Cur enim hanc cœnam Domini appellant, nisi ea Dominicam cœnam repræsentant? Sed cœna Domini, ut prædictum est, partim vetus exstitit, partim autem nova; sed novitatem quis aliter repræsentare audebit nisi quomodo Dominus ipse contradidit, inquit: *Hoc facite in meam commemorationem?* (Luc. xii, 49.) Si ergo vetustas repetitur, cur non perfecte, ut et agnus azymis atque vino societur? *Sed esum carniū in jejuniis sumi horres?* Et ego jejunaturus, bis in die edere rationem non puto. Sed quod carnem non comedis, usum D sequeris; quod Dominicam celebras cœnam, a reatu soluti te defendit, ut putas, jejuni. Dominus qui ultimam et novam cœnæ partem tenendam mandavit, ipse primam et antiquam cœnæ ejusdem partem terminavit; quam et apostolica prohibuit institutio omnibus cum legalibus. Quod ergo et a Domino finitum, et a servo ex Domini parte prohibitum, quomodo tu reducis? quod autem per injuriam est reductum, quomodo a reatu te soluti absolvit jejunii? Dupliciter itaque prævaricatorem te constituis, dum nec præcipuum jejunii genus observas, Domini imitator injurius judaizas.

(441) V. Petrum Abælard., l. v in Ep. ad Rom.

(442) V. De consecration., dist. 3, cap. *Non liceat*, et cap. *Non oportet*.

Sed in tali manes Ecclesia ubi futurus es scandalo, nisi more Pauli consentis Judaismo? Ad horam, ut periculum propulsetur, legale quid suscipere ratio videtur, verum id sine intermissione quotannis repetere, nonne potius est errorem inducere, quam scandalum sedare? Num pro scandalo insipientium sine fine est judaizandum? Non ita nos Christus docuit, non ita Apostolus instruxit, quorum uterque mortem, uterque suscepit persecutionem ut lex vetus cessaret, nova autem vigeret. Id ergo tu audes in usum ducere, propter quod finiendum, vitam finire Dominus non dubitavit in cruce? *Si quæ ergo in Christo nova creatura est, vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova* (II Cor. v, 17). Ubi omnia facta sunt nova, nihil vetustatis remanere potest: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur* (Galat. v, 6).

CAPUT X.

De libertate ciborum sine offendiculo sumendorum.

Dominus dum mundum a lege liberavit, libertatem quoque ciborum in lege prohibitorum restituit; ut nihil amplius foret immundum quod jure gentium esset sumendum. Unde Dominus: *Non quod intrat in os coinquinat hominem* (Matth. xv, 11; Marc. vii, 15). Nihil enim est extra hominem, quod intrans inquinet. Unde Apostolus ad Romanos: *Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui aestimat quid commune esse, illi commune est* (Rom. xiv, 14). Hæc enim est fiducia in Jesu quod nihil est commune, id est immundum per ipsum, qui postquam venit, absolvit a lege. Unde Apostolus paulo post ait: *Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est homini non manducare carnem et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur* (Ibid.). Unde paulo ante præmisit: *Noli propter escam destruere opus Dei* (ibid.). Item *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est* (ibid.). Itaque quidquid manducari potest, manducari licet; nisi inde scandalizentur infirmi; et qui manducat contra conscientiam **264** edat. Cibos enim alias mundos, teste Apostolo, qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non est ex fide: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (Rom. xiv, 23), id est quod sit contra fidem ut credatur malum esse.

Quod autem cibos etiam idolo immolatos sumere liceat, ita tamen ut inde fratres scandalizari non oporteat, Paulus ad Corinthios scribens indicavit, ait enim: *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus* (I Cor. viii, 1); quid? nisi quod licet comedere, quia non ab idolo contaminata: tamen: *Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis: si enim quis eum viderit, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma edificabitur ad manucandum idolothyta, et peribit*

infirmus in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est? (*ibid.*) Itaque idolothyta in præsentia idoli, quanto magis quoslibet alibi cibos sumi licet, nisi scandalum prohibet? Idem ad eosdem: *Omnia mihi licent sed non omnia ædificant* (*I Cor. x, 23*); quoniam juxta ejusdem loci expositionem, (443) omnia secundum legem naturæ licent, quia omnia munda; de cibis agitur; *licent*, id est nullo Domini præcepto prohibentur, sed non omnia ædificant proximos. Et quia licita sunt, et tamen non est utendum semper eis; determinat quomodo liceat edere vel non edere, inquit: *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* (*ibid.*). Cujus? Astantis infirmi. Manducate, quia *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal. xxiii, 1*). Non enim potest esse immundum quod Domini est. Item: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate: Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit et propter conscientiam; conscientiam autem dico non tuam, sed alterius* (*I Cor. x, 28*).

Itaque morticina, præcipitio, aquis, bestiis interempta, macello venientia aut mensæ apposita, sumi possunt nihilominus, imo potius quam idolothyta. Nam si alterutrum esset vitandum, vitaretur utique dæmoniis sacrificatum. Itaque nec ea quæ comedi, nec quæ possunt bibi omnino ulla dimitti lex Christiana mandat, nisi forte si quid hujusmodi suboriatur quare quod licitum est tanquam illicitum fugere conveniat. Sicut sexta feria, cum Jejunii diebus, carnes edere minime jam licet, quoniam id abstinentia Ecclesiæ prohibet.

(444) Est quoque cibus ex accidenti aut inconstituto contemptibilis: potum etiam, si quæ contra decus incidunt, nauseatores non ferunt; hujusmodi sumere culpa non est, nisi intuentibus id scandalo est propter quod minime comedas aut inter Francos butyrum aut inter alios quosdam allium. Unde Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (*I Cor. viii, 13*). Est quoque esca insalubris edenti atque ideo cavenda; unde et caseus jure gentium esui concessus, a nonnullis fere quasi pestis vitatur; hujusmodi præcepto medici et non magistri observantur.

Sed si contrahimus offensam, dum comedentes aut bibentes aut abstinentiæ contrahimus, aut apud infirmos scandalum generamus, aut demum gastrimargiæ nimium servientes, nobis pestem ingeramus, quid est, quod intrat in os, hominem non coinquinare? utique non quod in os intrat hominem inquinat? sed juxta sententiam Domini, *quod ex corde procedit* (*Matth. xv, 11; Marc. vii, 15*). Dum enim supradictis modis offendimus, aut contra conscientiam agimus, aut per negligentiam delinquimus.

(443) Glossa ordin. in hunc locum.

(444) V. Petrum Abælard., l. v in Ep. ad Rom. pag. 705, ubi citat D. Ambr.

A Quod si cor neutro modo contaminatur, nihil peccati committitur; nimirum quando nihil mali ex corde prodit, quod intrat in os coinquinare non poterit. Imo nihil fit male extrinsecus, nisi forte apud illos de quibus scriptum est: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom. ii, 12*). Quod si licentiam ciborum a Domino restitutam consuetudo Ecclesiæ prohibuissent, ususque ab ea ita suscepisset, negligi minime oporteret quod Ecclesia decreto sanxerit, ususque susceptione roboraverit. Multo tamen melius se habet **265** res quod licentia ore Domini statuta, Apostoli sanctione firmata in perpetuum perseveret, quam a quoquam quasi corrigendo fiat illicita, et cum judæis in discretionem ciborum et potuum habeamus religionem, cum teste B Apostolo: *Non sit regnum Dei potus et esca, et esca non nos commendet Deo. Neque si non manducaverimus deficimus, neque si manducaverimus abundabimus* (*Rom. xiv, 17*). Nemo apostolos Apostolo quasi contrarior objiciat, qui dum cætera concesserunt, suffocatum cum sanguine prohibuerunt, non decretum (445) sancientes, verum ut opinor aliquorum imbecillitati condescendentes.

Quidam tamen quibus Moyses potius notus est quam Christus, qui magis sectantur litteram quæ occidit, quam Spiritum qui vivificat; quos velamen Moysis obumbrat, et non clara facies sub velamine latens illustrat, ac per hoc nec Moysen intelligunt, nec Christum sincere suscipiunt. Unde Dominus: *Si enim, crederetis Moysi forsitan crederetis et mihi, de me enim ille scripsit* (*Joan. v, 46*); superficiem legis inspicientes illicita (446) nostro tempore multa excipiunt, et suo sensu nova quadam similitudine delusi adjungunt, et ea quasi sacrosancta, rei tamen veritate vana tradunt. Hujusmodi Apostolus novit *intendentes spiritibus erroris*; quia in illis maligni spiritus loquuntur, *et doctrinis dæmoniorum*, id est dæmonia habentium, *in hypocrisi loquentium mendacium*, id est simulata religione, ut magis decipiant; *et cauteriatam*, id est adustam et signo mendacii operi notabilem; *habentium suam conscientiam, prohibentium nubere et præcipientium abstinere a cibis quasi immundis*, non causa corporalis castigationis, *quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus et his qui cognoverunt veritatem*; hanc scilicet, *quia omnis creatura Dei bona est, et nihil recipiendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei orationem* (*I Tim. iv, 1*), ne diabolus qui per cibum tentat, per cibum noceat. Hæc Apostolus ad Timoth. scripsit.

Itaque cum sit virtus abstinentiæ causa, a cibis temperare, quæ doctrina est sanctorum, vide si non immanis est recordia abstinere a cibis quasi immundis quæ utique doctrina est dæmoniorum. *Omnia enim munda mundis, coinquinatis autem et infide-*

(445) V. Aug. l. xxxii cont. Faust., c. 15.

(446) V. Bernard., ser. 66 in Cant.

libus nihil est mundum, sed coinquinatæ [at. inquina- A
 natæ] sunt et mens eorum et conscientia (Tit. 1, 15).
 Utique omnia munda secundum naturas. Unde: *Et
 erant valde bona* (Gen. 1, 31). Secundum significa-
 tiones sunt quædam immunda Judæis; nec nobis
 omnia apta sunt, vel propter salutem corporum,
 vel propter consuetudinem humanæ societatis. Om-
 nia munda, sed quibus? Utique mundis qui bona
 fide sumunt et justis sunt; coinquinatis autem per
 peccatum, et infidelibus qui non credunt, nihil
 mundum (Tit. 1, 15); quia non sunt digni donis
 Dei. Non tamen ex cibo est inquinatio, sed ex malo
 intellectu et conscientia peccatorum. Unde sequi-
 tur: *Sed coinquinatæ sunt et mens eorum et conscien-
 tia. Væ illis qui dicunt bonum malum et malum bo-
 num, ebrietatem, fornicationem, et alia quædam* B
*exsecrabilia, aut quasi naturæ delicta laudant, aut
 fragilitate humana excusant; aut quod non sunt
 damnabilia prædicant, hi subditos suos hujusmodi
 noxis irretitos aut nulla aut minima quasi propter
 minimos excessus animadversione feriunt. Si quid
 autem contra suas, et non Dei traditiones fiat, id
 intolerabile malum gravissimeque multandum ex-
 clamant, mortificantes animas quæ non moriuntur,
 vivificantes illas quæ non vivunt. Hi propter tradi-
 tiones suas irrita fecerunt mandata Dei.*

CAPUT XI.

De alternatione fidei Judæorum et gentium.

Cum gentilitas torpebat in idololatria, in cultu
 Dei vigeat Judæa. Ex quo Judæa desipuit, genti- C
 litas ad fidem surrexit: cum demum gentilitas de-
 ficiet, Judæa fide reviviscet. *O altitudo sapientiæ et
 scientiæ Dei, quam incomprehensibiles viæ ejus!*
 (Rom. xi, 33.) Ita in his sicut in aliis, 266 quasi
 simul utramque gentem salvare non posset, salvat
 per vices. Fœditate idololatriæ satis humiliatas
 gentes ad se vocat, Judæos autem cultu Dei in na-
 tiones elatos, observatione legis in Christum su-
 perbos recusat; tandem diutina captivitatis attri-
 tione, et male vivendi continuatione satis convicti,
 vocatione Eliæ et Enoch convertentur. Gentes au-
 tem tam fidei quam morum erroribus in dies de-
 pravatæ, Antichristo dignæ duce, circumcissione
 vocata subvertentur. Nisi quod et de gentibus qui-
 dam præclari Antichristo resistent, et de Judæis D
 nonnulli ignobiles obedient; utrique pauci, quia,
*cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel
 salvus erit* (Rom. xi, 21). Cum enim ad fidem fuerint
 assumpti ex gentibus quot præordinati sunt ad sa-
 lutem, tunc per fidem, *quæ per dilectionem opera-
 tur*, et plenitudo Judæorum ad salutem assumetur,
 et tamen aliqui eorum adhærebunt (447) Antichri-
 sto. Unde Dominus Judæis loquens ait: *Ego veni*

*in nomine Patris mei et non accepistis me; si alius
 venerit in nomine suo illum accipietis* (Joan. v, 45).

Quod autem etiam gentes Antichristus occupa-
 bit, et quo merito, Prophetam non latuit. Dicit
 enim: *Constituë, Domine, legislatorem super eos, ut
 sciant gentes quoniam homines sunt* (Psal. ix, 21).
 Ideo enim latorem pravæ legis (448) Antichristum
 suscipiunt, quoniam more hominum stolide se ha-
 buerunt. Quemcunque Antichristus sibi seduxerit,
 Christus ut aiunt revocare non curabit: nam, *cum
 plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus
 erit* (Rom. xi, 26); quasi diceret: *Post vocationem
 gentium et non prius, vocatio erit communiter Ju-
 dæorum*. Et quid est *cum plenitudo gentium introierit,*
tunc omnis Israel salvus erit, nisi quod non prius
 Israel plenarie salvus erit; sed tunc quando com-
 pleta erit vocatio gentium? Itaque post vocationem
 plenariam Judæorum nulla restat assumptio gen-
 tium; assumptio quippe gentium suum tempus ha-
 bet ante assumptionem Judæorum. Quod si nemo
 gentium assumitur post communem vocationem Ju-
 dæorum, cum regnum Antichristi Judæorum voca-
 tionem sit secuturum, nemo eorum quos regnum
 Antichristi, de gentibus occupaverit salutem habe-
 bit. Quod si sanctam Scripturam, ubi de hujusmodi
 rebus agitur, consulimus, neminem omnino de-
 ceptum ab Antichristo, rediturum inveniemus.

CAPUT XII.

De Elia et Enoch.

(449) Elias et Enoch, alter post diluvium, alter
 ante, in paradysum assumpti sunt, exspectantes,
 ut quemadmodum Joannes Salvatoris antecessit
 adventum et demonstravit; ita et ipsi Judicis adven-
 tum suo præconatu ante finem mundi annuntient;
 quatenus omnes primo contra Antichristi conflic-
 tum, postmodum, contra judicium præparari fe-
 stinent. Hi duo quoniam absque cibi et potus su-
 stentatione (cum tamen neque esuriunt neque siti-
 unt) imo quoniam eos nulla omnino molestia at-
 tingit, multo melius creduntur habere quam nos,
 multoque minus quam habituri sunt. Habent nimi-
 rum felicitatem tanto loco condignam, sed sperant
 in cælo longe pretiosiores (450). Hi juxta prædica-
 tionem Christi triennio pauloque amplius, verbo
 Dei insistentes, creduntur reducturi corda filiorum
 ad patres, id est Judæorum ad fidem patriarcha-
 rum; et confirmaturi, et præmunituri Ecclesiam
 Dei contra jam jamque venturam mundi immuta-
 tionem. Nimirum tunc Judæos post longam captivita-
 tem ab undique ad terram suam traditio (451) est re-
 dituros; ubi verbum fidei audient, atque suscipient,
 ubi ab Antichristo ibidem sedem regni usurpaturo

(447) Ita Ambrosius, Chrys. et ipse Hieronym.,
 q. 11 ad Algasiam.

(448) Aug., ad hunc psal. versum.

(449) Aug., xx De civ., c. 29; l. ix De Genes.,
 c. 6; l. De pecc. orig., c. 25; l. De pecc. merit.,
 c. 3.

(450) Aug., xx De civ., c. pen. 85, q. 58; ix, De
 Genes., c. 6, etc.; l. ii Q. Evang., q. 33; ad Dui-
 cit., q. ult.

(451) V. Tertul. De anima., lib. De Antichr. apud
 Aug., etc. Aug., xx De civ., c. 29.

tormenta tanquam boni athletæ Christi fortiter sustinebunt. Interim autem mala habebit gens illa misericordiam tandem consecutura. Unde Dominus : *Erit enim pressura magna super terram, et ira huic populo, et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem* **267** *calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum* (Luc. XXI, 24). Hæc utique pressura et ira usque hodie populo illi per omnes gentes disperso durat; non tamen in æternum durabit. Unde post ordinem pressuræ, de misericordia subjungitur, *Donec impleantur tempora nationum*, id est donec plenitudo gentium intraverit, ut sic omnis Israel salvus fiat, et quasi ad solium propriæ nativitatæ gavisurus redeat.

Quid est ergo quod in Propheta Judæi de Deo aiunt : *Et non nos cognoscet amplius?* (Psal. LXXIII, 9.) Utique non Judæos regno antiquo restituet, sed ut Christiani fiant, reducet (452). Inter primos autem Elias et Enoch, peracto officii sui curriculo ab Antichristo tanquam rationibus suis incommodi, interficientur et in plateis jacentes sepeliri prohibebuntur, ne qua fiducia sit resurrectionis quam prædicaverant, neque illorum imitatio sit aut in doctrina aut in vita, quos miseros universi cernant. Post mortem autem illorum (quæ futura circa initium existimatur regni Antichristi) in sua pace circa tres annos et dimidium, subjugato sibi prius variis modis mundo, regnaturus putatur. Quo ergo numero Christus prædicavit, eo adventus sui præcones prædicare voluit, eodem Antichristum tyrannidem exercere permittet, ut quod Christus triennio adstruxit, triennio authenticos per viros affirmet; triennio quoque pravitas Antichristi, sed frustra, impugnet (453). Cribratio namque illa duplex, quæ et persequendo et falsis miraculis, sive mundi bonis blandiendo attrahit, qualis ab origine nulla fuit (atque ideo qui resistent maxime inter sanctos futuri sunt), purgamenta foras usque excutiet; triticum autem intus tantum concutiet. Sed quoniam, *nisi breviarentur dies illi, non salva fieret omnis caro* (Matth. XXIV, 22); persecutionis onus brevitate temperatur. Cito enim post regnum, illum Dominus Jesus *interficiet spiritu oris sui* (II Thess. II, 8), id est potentia jussionis suæ, sive per se, sive per Michaellem (454). Occidetur autem, ut doctores tradunt, in monte Oliveti in papilione et solio suo, illo in loco contra quem Dominus ascendit in cælum.

CAPUT XIII.

Quæ præcedent Christi adventum, et de doctrina Apostoli.

Ante hujus nequissimi adventum præcedet dis-

(452) Tertul., supra, c. 50.

(453) V. librum De Antichristo apud Aug. inter spuria, t. IX.

(454) Augustin., supra

(455) Ita Theodoret. II Thess. II, et Hieron ad Agas., q. 11.

cessio primum, ut gentes a Romanorum discedant principum imperio; post a fide, atque ita a spirituali Romanæ Ecclesiæ imperio. Hæc discessio signum erit diei Domini, sed præveniet Antichristi tempus. Unde Apostolus, illis qui timebant quod dies Domini instaret, tali ordine locutus est : *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus* (ibid., 3,4). Nimirum antequam dies Domini adveniat, suo tempore completa accessione, aderit discessio; qua impleta, aderit ille iniquus homo, totus peccati, filius perditionis vel diaboli, qui perdit homines, vel quod ipse perdendus, et alios perdens; qui adversatur, imo Antichristus dicitur et extollitur effereudo se super omne quod dicitur Deus, ut dii gentium vel sancti, aut quod colitur sicut Deus Trinitas; ita ut ostendens se tanquam sit Deus, Dei sedeat in templo, id est in (455) Ecclesia, vel in templo a Romanis (456) destructo, quod tunc Judæi reædificabunt. Et qui Judæi, nisi illi qui circa illud tempus Jerosolyman de diversis mundi partibus sunt confluxuri?

(457) Hoc ergo restat tantum, ut *qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus*, id est qui tenet nunc fidem, teneat, donec refrigescat; quod erit eam de medio fieri, id est de medio mundi tolli. Vel, *qui detinet illum*, id est potestas Romæ ad quam adhuc omnes undique quasi ad caput confluunt; sive, accessio quæ nondum completa est, detineat, donec **268** utraque tollatur de medio, vel donec iniquitas, quæ modo est mystica et occulta (nam *Mysterium jam operatur iniquitatis* [ibid., 7]) fiat de medio, id est, quasi aliquid de communibus, ut non erubescat homo adulterari, sicut nec ambulare; et tunc parata sibi sede, digno se mundo revelabitur ille iniquus; *cujus*, teste Apostolo : *Est adventus secundum operationem Satanæ* (ibid.); quia diabolo instigante totum faciet; non tamen sine sensu ut phrenetici, qui, ut Doctores aiunt, culpam non habent de malis (458). *Secundum quam operationem Satanæ, in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, in omni virtute, humanæ potestatis et divitiarum.* Unde : *Omni inimicorum suorum dominabitur* (Psal. x, 15). *Signis et prodigiis, majoribus et minoribus; mendacibus, quia non vera, ut videtur, sed per magicam artem phantastica, vel si vera, Dei permissione ad mendacium trahunt, quia mendacium confirmant, id est eum esse Deum; in omni seductione, quoniam*

(456) Ita Iren. Hippol. et Cyrill. Hierosol. Damasc. I, IV, c. 28, etc.

(457) Utrumque proponit Aug., xx De civit., c. 19.

(458) Aug., xx De civit., cap. 19.

minis, blanditiis et omnibus modis ad iniquitatem A
seducet: *Dixit enim in corde suo, non movebor a generatione in generationem sine malo* (459). Quasi diceret: *Non nisi malas per artes sublimari possum super omnes*. Secure male agit, quoniam: *Non est Deus in conspectu ejus* (Psal. x, 4). Quare non est in conspectu ejus? *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret*. Usque adeo turbati erit animi, ut non quærat in quantis exacerbavit Dominum peccator? *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*, vitæ scilicet suæ: *In omni tempore*, id est comparatione omnium temporum, nullum unquam est tempus in tantum inquinatum, ut Antichristi vitam bene perspectam non arbitretur sædiorem. Et tamen: *Auferentur judicia Dei a facie*; aut enim non attendet, aut non credet. Variis in eodem psalmo modis varia illius nequissimi malitia detegitur, illos comprehensura, et sibi illectura solos qui pereunt; salvandos modo lenibus, modo asperis aggressura. In neutro tamen proficiet, virtus enim divini consilii suos mavult ab illius iniqui faucibus defendere, quam delusos inde abstrahere.

CAPUT XIV.

De electis, et ministris Antichristi.

Illo interfecto non statim veniet Christus; sed, ut ex Daniele intelligitur, concedentur electis qui titubaverunt, non autem ceciderunt in persecutione illa, dies quadraginta quinque ad pœnitentiam; quantum post, penitus ignoratur. Quod si omnis seductio Antichristi his sit qui pereunt, patet quod nulla his futura est qui salvabuntur. Item si solis electis pœnitendi spatium conceditur, nulla ministris Antichristi venia speretur, qui potius in vanis illis gaudebunt diebus, ducentes uxores et convivantes: *Cumque dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (I Thess. v, 5). Et quis nisi ille unde Propheta de Domino loquens, ait: *Ignis ante ipsum præcedet?* (Psal. xcvi, 3). Et iterum: *Ignis in conspectu ejus exardescet* (Psal. xlix, 3), qui devorabit terram cum germine suo, montium quoque fundamenta comburet (Deut. xxxii, 27.) Nimirum et antequam Judex appareat. Quanquam nonnulli locum hunc aliter explicant. Ignis Judicii, ut putatur, præcedet; et postquam apparuerit in conspectu præsentiaque ejus, idem ignis exardescet, quo universum mundi germen et universa terræ ædificia cum animalibus in cinerem convertentur. Tunc fluenta aquarum, quæ diversis mundi partibus, sive hominum usui, sive telluris irrigagationi discurrunt, quiescent; unde illud: *Mare jam non est* (Apoc. xxi, 1). (460) Tunc quoque ignis iste noster nostris subserviens necessitatibus, nullus erit, unde et illud: *Lux lucernæ non lucebit tibi amplius* (i id xviii, 23). Revera tamen ignis remanebit, verum non hoc in loco, neque hoc in officio. Ita et aqua alibi, et ob aliud.

(459) V. Aug. ad hunc psal. ix.

(460) Aug., xx De civit., c. 16.

(461) Aug ist., xx De civit., c. 16 et 18.

Constat autem, exceptione hac habita, ignem atque aquam extremo ardore omnino, juxta Scripturas, 269 dissolvendos; reliqua autem in meliorem esse mutanda formam, dicente Scriptura ore Petri: *Elementa calore solventur* (II Petr. iii, 10); duo ut melius sint, unde: *Vidi cælum novum et terram novam* (Apoc. xxi, 1); duo ut omnino non sint, ut ignis et aqua. Quod aqua sit abitura et ibi aiunt contineri: *Præ confusione sonitus maris et fluctuum* (Luc. xxi, 25), mare enim cum fluctibus abiturum, sonum efficiet confusum de cælo. Unde aves cæli non dubium quin diluvio perierint, et igne perituræ sint. Unde tantum aiunt (461) ignem in aere ascensurum, quantum ascendit diluvium. De superioribus autem cæli cælorum, quæstio apud (262) quosdam est an igne perituri? sed sive igne sive aliter, perituri videntur, quoniam de ipsis dixisse Propheta videtur, *Ipsi peribunt*; præcedit enim, et in principio, *Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli* (463). Qui terram immotam fundavit, ipse suis manibus, quasi dignius quid, cælos est operatus. Et qui sunt terra digniores, nisi superiores? de ipsis tamen sequitur, *Ipsi peribunt*; quare autem peribunt? Fortasse quoniam et ibi iniquitas fuit, et totum in melius mundum immutari oportebat. Mutabilis orbis mutabilem propter hominem creatus est; immutationem quoque hominis immutatio sequitur orbis; usque adeo ut terra et aer, sive solus, sive cum cælo pereat: id est formam nobis notam amittat, juxta illud: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tandem equidem; interim autem omnes sicut vestimentum veterascent*. Pereunt itaque secundum formam, terra autem in æternum stat secundum substantiam. Sed non tantum secundum vetustatem pereunt, verum et in novitatem transeunt: *transeunt*, quoniam Dominus ait: *Cælum et terra transibunt* (Matth., xxiv. 35); in novitatem, quoniam scriptum est: *Vidi cælum novum et terram novam* (Apoc. xxi, 1). Unde Propheta; *et sicut opertorium mutabis eos* (Psal. ci, 27); nimirum opertorium dum mutatur, innovatur. Sequitur, *Et mutabuntur* (ibid.), quoniam mutata nequaquam denuo mutabuntur. Talis autem erit innovatio mundi qualis innovato congruat homini.

CAPUT XV.

De ultimo igne et mortuorum resurrectione.

Ultimus autem ignis tandiu durabit quandiu fidelium purgationi opus erit. Hoc in igne vivi morientur, et per illum qui tunc venturus est judicare vivos et mortuos, mortui resurgent, juxta illud: *Omnes quidem resurgemus* (I Cor. xv). Quales? audi quod paulo post sequitur: *Mortui resurgent incorrupti. Omnes quidem resurgemus* (ibid.),

(462) Magist., iv, dist. 47.

(463) Aug., ad hunc versum psal. ci: *Ipsi peribunt*, etc.

quoniam et qui vivi reperientur (464), in igne morientur, et post mortem sicut et alii mortui resurgent. Resurgent autem incorrupti tam boni quam mali; unde sequitur: *Et nos immutabimur*, quasi diceret: *Incorruptio communis est; immutatio autem nostra, id est sanctorum est*. Sancti ergo per se immutantur in glorificationem; pariter cum malis resurgunt, in corporis integritatem et membrorum plenam restitutionem, sive enim defectu naturæ, seu qualibet mundi occasione, quidpiam humanæ defuerit quantitati, resuscitatoris omnipotentia totum restaurabit (465).

Duo nimirum faciet resurrectio: quæ viventibus defuerant, supplebit; quæ post mortem quolibet modo dissipata sunt, restituet; ita ut oculus ad oculum, pes ad pedem, singula denique membra quæ in hoc mortali statu existunt, ad se tunc redeant, eruntque eodem in ordine, et eadem partium suarum absolute. Si quid tamen vitiosum in membris hic est, ibi utique corrigetur; quidquid vero naturæ consonat, tunc solidabitur; quod vero deformitate cujuscumque membri aut absentia, natura deficiens nunc decolorat, gratia procul dubio tunc reformabit, quod deest reparato, aut ex solitis corporum excrementis, aut, quod stabilius certiusque existimo, ex adjunctis; ut qui omnia creavit ex nihilo (neque enim vult modo corpora nisi ex aliquo), ipse **270** ex membris et his vicinioribus quæ sunt, formet ea quæ non sunt; ita sapienter et potenter, ut ex eo quod erat, id fiat quod non erat, et tamen post factum, id unde est factum, propriam recuperet quantitatem. Ita Dominus post sublatam de latere Adæ costam, replevit carnem pro ea. Sapiens itaque Deus, non quasi nescius, cadaverum minutias quantumlibet dispersas confuse ac sine ordine recolligens, alias aliis applicat corporibus atque membris; potens Deus, non quasi invalidus, id quod hic mutilum deformeque est, tale sinet permanere. Lingua divitis quæ hic servierat gulæ, comitique ejus loquacitati, in inferno cruciatur incendio flammæ. Quamobrem, nisi quia quisque eo præcipue in membro cruciandus est apud inferos, quo præcipue membro Deum offendit apud superos? Itaque singula membra quod apud nos delinquant, id eadem in inferno luunt. E contra fortasse sancti (466) qua parte sui magis pro Domino laborant, in ea a Domino majorem coronam expectant (467). Itaque prima merces est mentis, secunda corporis. Absit ergo ut quod modo est lingua, in futuro sit oculus, ne alter usurpet debitum, neuterque quod suum est obtineat! Singula igitur membra, aut ad sua redibunt nomina, aut alienis, in præmium, persolventur no-

minibus. Sed membra sua minima amittent nomina; Job namque de Deo dicit: *Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt* (Job xix, 27). *Ego ipse*, eadem anima, eodem corpore. *Et non alius*, non transpositione membrorum, non confusione diversus; quod in parte ostendit dum subjungit: *Et oculi mei conspecturi sunt*. Quid est *oculi mei conspecturi sunt*, nisi ii quos nunc habeo oculos, tunc conspicient? Itaque quod est hic oculus, ibi quoque idem, et non aliud, erit oculus. Unde similitudinis argumento consequitur, quod reliqua quoque membra propria resument nomina.

Si Christus resurrexit et nos resurgemus. In certitudinem nostræ resurrectionis Apostolus Dominicam inducit resurrectionem. Itaque sicut ex illa certi sumus de nostra, in illa scrutemur qualis erit nostra. Nimirum sicut apostolica auctoritas certos nos facit quod si Christus resurrexit, et nos resurgemus (I Cor. xv), ita veritas rei asserere videtur quod, quemadmodum Christus resurrexit, et nos resurgemus; ut Christi resurrectio nostræ sit non causa solum, verum quoque et exemplum. Nemo est qui audeat fateri aliud corpus aliave membra, seu aliter ordinata, quam ante mortem Christum suscepisse per resurrectionem. Crucifixus enim obiit, is sepultus est, idem resurrexit, eandem omnino (quantum ad carnem) resumens substantiam, alteratam autem quantum ad gloriam. Quis neget idem futurum in his quoque quos in igne ultimo constat morituros, et ita, ut (468) aiunt, ut, dum obviam Christo in aera rapiuntur, in ipso actu moriantur et resurgant? Nonne ergo id maxime decet, ut quod impletum est in capite, implendumque speretur in non modica parte membrorum, idem omnibus assignetur, ut omnes pariter resurgant alterati, et non contra Job alii?

CAPUT XVI.

De procreatione et incrementis hominum secundum diversos.

Omnium communis est sententia, quod procreatio filiorum originem trahat ex semine parentum, non alterius sed amborum, ut sint filii hominum, non sicut Christus filius hominis, sumentes materiam ex utroque, non altero.

Plerisque placet, sive in utero, sive inde egressis, incrementa aliunde venire. In utero, ex humoribus uteri; natis, ex alimonia; ut tantum sit incrementibus augmenti, quantum ex cibis in humanam vertitur substantiam. Unde in homine **271** toto minima portio est ex parentibus, minima quoque ex propriis, nulla ex remotioribus. Nullatenus enim fieri potest ut

(464) Aug., l. xx De civit., c. 20, et epist. 80. Sed ambigit in resp. ad iii qu. Dulcitii. Fulgent., De fide, c. 5.

(465) Aug., Enchirid., c. 91, ser. 4 De verbis Domini.

(466) Aug., De civit., ser. 22, c. 20. Enchirid.,

c. 91.

(467) Ambros., in xxiv Lucæ.

(468) Aug., sup. init. cap. Hieron. ad Miner. et Alex. Fulgent., De fide ad Petrum, c. 5; Ambr., super I Thess., iv, Mag., iv, d. 45, § 5.

particulæ a corporibus Adæ et Evæ generando separatae admodum paucae ac parvæ omnibus distribuuntur hominibus, ita ut inde unusquisque vel atomum obtinuerit; præsertim cum juxta hanc sententiam semen humanum in sua parvitate permaneat, tantum autem sibi aliena quædam assumens, ex assumptis quantitatem compleat hominibus debitam. Homines ergo primi de humo facti sunt, posterius autem, sed remotiores, neque ex humo, neque ex primis, sed tantum ex cibis facti sunt.

Alii dicunt (469) quod sicut costa Adæ, res utique parva, formata est in integram Evam, rem utique longeque majorem, nullis tamen extrinsecus adminiculis, nullis additamentis, unde magnum quid fieret, assumptis; ita quoque semen parentum usque ad virilem adolevit quantitatem, virtute ejus id agente qui omnia creavit ex nihilo, qui paucos panes atque pisciculos in millium satietatem multiplicavit; virtute tamen sola ex nihilo omnia: mulier ex costa; virtute autem et natura procreatio fit humana. Hæc sententia fomenta pueritiæ dicit, ignem, balnea, vestes, cibum quoque atque potum; hæc interiorius, illa fovet exteriorius. Verumtamen, sicut nec illa in humanam vertuntur naturam, ita neque ista; imo juxta Dominicanam sententiam omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et per secessum emittitur (*Matth.* xv, 17). Itaque, sicut tota Eva prius in costa coarctabatur, ita universa potestatis copia in lumbis Abrahamæ, in lumbis Adæ continebatur. Parva erat costa, et tamen transivit in magnitudinem; parvum quoque semen parentum, et tamen propagando transivit in multitudinem filiorum. Nihil aliud est Eva, nisi quod fuit Adæ costa; neque aliud est universitas hominum, nisi quod præcessit primorum in lumbis parentum. Hæc sententia gaudet dicere, nihil nisi humanam substantiam resurgere; altera minime abhorret porcine carnem aut ejusmodi alimoniam, in humanam tamen substantiam conversam, aut solam resurgere, aut ex maxima parte.

CAPUT XVII.

Unus est principium, et de his qui remanent vel recedunt.

(470) Sed si resurrectio unicuique sua restituet membra, num usque adeo, ut Adam redeat costa? Sed jam non est Eva, ut ad parentes redeat effusio seminum, sed jam nulli existent filii; et erit Adam in resurrectione solus; quod absit! *Omnes enim resurgemus* (*I Cor.* xv, 51). Aut secundum alteram sententiam, nihil habebunt filii in substantia sua, quod ante habuerint parentes in sua quod item absit! Nam, sicut juxta Apostolum, in lumbis Abrahamæ Levi erat quando decimas solvit (*Hebr.* vii, 5), ita et in lumbis Adæ omnes erant quando peccavit. Unde, ut ita dictum sit, sicut Levi in Abraham ipsi

(469) Hugo Victor. l. i De sacr., part. vi, cap. penult.; Lombardus, ii Sent, dist. 59 et dist. 18.

(470) Mag., sup.

A Melchisedech decimas juxta Apostolum exsolvit, ita juxta ipsum in Adam omnes peccaverunt. Universi ergo secundum quemdam modum mortales in lumbis Adæ exstiterunt, et id immortales amissuri sunt? Sed Dominus unum hominem fecit et ex illo conjugem formavit, ut quicumque nascendo succederent non se diversis, sed uni tantum principio obnoxios attenderent, atque ita, in sua homines natura auctoritatem unius principii atque unitatem, schismate procul pulso, discerent venerari diaboli respicientes exemplum, qui schismate inducto, alterum post Deum inducere conatus est principium. Si autem Eva non ex Adam, verum ex altera procreata esset materia, unitas principii minime posteris commendaretur. Si item sunt nonnulli, qui ita constant ex materia escæ, ut nihil contineant ex Adam atque Eva, nonne sic quoque diversitas, imo **272** multiplicitas inducetur principiorum, ut paucissimi partim ex Adam materiam contraxerint, plures omnino aliunde, alii ex aliis cibis, alii ex aliis? Neque enim semen quod ex primis prodiit parentibus, nisi more costæ augeatur, ulla poterit ratione omnes diffundi per homines. Itaque ubi semen defecit, omnino ex aliena homines facti sunt materia, peritque tam modo quam in futuro unitas principii a Domino commendata.

C Multum ergo rationabilius arbitror parentum semen ad costæ imitationem sua ex se per Deum adipisci augmenta, ut neque partim, neque prorsus, homines constant alia de materia quam parentum; et ita fuerint omnes omnino in lumbis parentum primorum, constetque unum principium. Sed sive ita sit, sive aliter, id tamen creditur quod quædam in homine sunt ad remanendum, quædam vero ad recedendum. Adam enim costam habuit ut inde mulier fieret, non ut iterum resumeret: Deus enim pro ea carnem collocavit. Item ex parentibus semen abscedit, non utique ut redeat, verum ut inde procreatio filiorum subsistat.

D Num cætera omnia restituentur quæ a corporibus sanctorum dilabuntur, sive sanguinem fundendo, sive capillos vel ungues præscidendo, seu crebris ægritudinum exhalationibus, quæ corpus validum sæpius invadunt, tenueque relinquunt? Sed exhalando partes corporis in aera languore dilabuntur, si convalescendo in corpus alimenta convertuntur; alioquin sicut alimenta, cum adsunt, id efficiunt ut corpus nullo extrinsecus assumpto, verum in seipso augeatur et maneat; ita quoque cum fomenta desunt, causa fortasse sunt quare corpus in seipso tenuetur et deficiat, non autem quod ab eo pars ulla expellatur quæ alibi existat.

Aiunt (471) omnia quæ abscedunt reducenda, non tamen ita ut necesse sit unumquodque ad illam partem corporis redire in qua prius fuit, ne sit nimia crinium unguiumve densitas aut prolixitas, simili-

(471) Aug. præcipue notat *Ench.*, c. 89 et xxii *De civit.*, cap. 19.

terque in cæteris quædam ex nimietate deformitas contemplantibus se ingerat. (472) Unde existimant quia quod in corpore mortalium præcessit, illud totum ad resurrectionem occurrat; ita tamen ut quidquid in suo loco indecenter se haberet, aliorum suppleat indigentiam membrorum. Sed tot tantaque apud quosdam sunt excrementa, ut non solum id inde fieri queat, verum etiam plus toto homine longe longaque. Sed si in consilio Dei est nihil humani corporis in terra remanere, credibilius (473) putaverim ad sua unamquamque rem reduci, ut quidquid hic quælibet pars corporis continuerit, ibi receptura sit, Deo id agente, ut multa et nimia, pauca et minima in quemdam reducantur modum resurrectioni commodum. Ita infantuli resurgent magni; nimii quoque modificati. Ita qui in membris suo carent numero, aut modo, æquabilem reperturi sunt numerum atque modum. Sed opus esse non videtur ut humana substantia quæ integra de nobis abiit, superflua sua et in vita abjecta resumat. Nonne quod jugi concubitu nocturnisque polluendo illusionibus effluit, satius est abesse simul cum illo semine quod in humanam formatur naturam? Dentes pueritiæ projectos, nonne vanum est resumere illis qui maturæ ætati aptiores sortiti sunt? Alia quoque singulos relinquent viventes quæ necessaria his minime videntur qui integri hinc abscedunt; præsertim cum nemo sit qui id affirmare audeat, quanquam neque quisquam sit qui id ipsum negare præsumat, Dominum videlicet Jesum plus sumpsisse corporis resurgendo quam deposuit in cruce moriendo, nisi forte illud quod circumcidendo præputatum est. Sed præter id credibile est more humano multa quoque alia Dominico etiam a corpore separata. Potest utique esse, si ita placet Deo, ut Christo et suis omnia restituat; resurrectio autem nihil plusquam mortis habuit tempus. Verum utrumlibet sit, nihil resurrecturus, aut minus habebit, quam decet, **273** aut plus. Sed neutrum affirmo, tertium potius credo; videlicet quod ex omnibus quæ mortalis hic status humanæ substantiæ subtraxit necessaria sint resumenda, superflua autem relinquenda, quatenus corpora resurgentium id totum resumant quod prosit plenitudini, id totum relinquunt quod minime opus sit resumere.

(474) Verum id, quod nec capillus peribit, exigere fortasse videtur ut nihil omnino relinquatur; ubi sit intelligendum ita sanctis minime defutura majora, quibus nec minora decerunt. Perit oculus ubi non perit capillus, quatenus capillos resurrectio creditur habitura, non tamen capillorum superflua: capilli enim omnes numerati sunt, non tamen conservati. Quod de capillis arbitramur et de cæteris membris.

(472) Mag. iv, d. 44, § 2 et seqq.

(473) Eadem sentit D. Th., et qui post eum in Sententias scripserunt.

(474) Aug., xxii De civit., cap. 19.

(475) Mag. iv, d. 44, § 1.

(476) Hæc ex Aug. habet Anselmus sive auctor

(475) In resurrectione, ut aiunt, tantæ staturæ singuli erunt, quantam quisque naturaliter, aut in ætate triginta annorum habiturus erat, si præventus est morte, aut ea ætate habuit, si decrepatus mortuus est. (476) Erunt ergo homines alii aliis æquales, majores atque minores, aliter atque aliter, quomodo mundi eos decursus protulit differentes. Unde Apostolus de resurrectione agens, ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Ephes. iv, 13): omnes enim, non quidam occurrent salvandi Domino in aera; non utique pueri, sed in virum perfectum venturi, ut sit quisque perfectus numero membrorum et debita magnitudine. Dum *in virum perfectum* dicit, muliebri sexui (477) non contradicit; verum de viris docet, quod de mulieribus persimile intelligi oportet. (478) Venturi sumus in virilem perfectionem, illam utique quæ perducatur usque in mensuram ætatis plenitudinis Christi; non utique in mensuram Christi, quoniam erunt eo tam majores corpore quam minores. (479) Ætas plenitudinis Christi triginta anni sunt, tunc enim, sicut Christus, ita omnis homo plenitudinem humanæ sortitur naturæ. Hujus mensuram tricennariæ ætatis universis resurrectio restituet.

CAPUT XVIII.

De statu hominum post resurrectionem

Sed hujusmodi quantitas cujusmodi nanciscetur qualitatem? Miseram in perfidis, gloriosam in sanctis. Unde Apostolus ait: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (Philip. iii, 20). Quæ ergo est sua ut innotescat nostra? In Transfiguratione exemplum futuræ claritatis præmonstravit, dum *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (Matth. xvii, 2). Clarius nitidiusque exemplum resurrectionis inveniri non potuit. Vestimenta sunt sancti, quæ facta sunt alba sicut nix, cum facies ejus resplendisset sicut sol. Nam quanto sol splendore et decore transcendit nivem, tanto Christus sanctis omnibus est gloriosior. Gloriosi erunt sancti, verumtamen gloriosior est Christus; sancti enim sicut nix, Sanctus sanctorum sicut sol. Nemo tamen sanctos in resurrectione arbitretur vestiendos. Christus quas in mundo vestes habuit, in mundo dimisit. Adam ante culpam nudus exstitit, nunquam vestiendus si nunquam deliquisset. Unde apparet quod qui in paradiso adhuc animalis veste minime indigebat, multo minus factus spiritualis indumento indigeret in cælo. Tanti namque decoris exstitit servans obedientiam, futurus longe excellentioris post peractam, ut si indutus fuisset, potius veste

Com. in Paul. ad Eph. iv, v. Aug., xxii De civ., c. 14-16, etc.

(477) Aug., xxii De civit., c. 17.

(478) Fulgent., De fide, c. 5.

(479) Aug., ibid., cap. 15.

contexerit cernenda, quam celaverit turpia; honestas ergo et sufficientia resurrectionis indumenti haud eget, aut occultatione aut defensione. Neque enim ideo in Transfiguratione Dominica vestimenta facta sunt alba sicut nix, ut quidquam tale intelligatur futurum in resurrectione; verum ideo ut candore vestium decori insinuaretur resurgentium.

(480) Sicut autem inter Christum et **274** sanctos distantia est in claritate, ita quoque inter sanctos alii aliis erunt in resurrectione præstantiores. Unde Apostolus: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: scilicet et immortale et impassibile seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute* (I Cor. xv, 41); scilicet cui nihil noceat. *Seminatur corpus animale, surget spirituale* (481). Non dicit spiritus, ut corpus vertatur in spiritum, quod tamen (482) quidam putant. Contra quod Dominus post resurrectionem discipulis ait: *Palpate et videte quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Non, inquam, dicit Apostolus: *Surget spiritus, sed spirituale*, quia spiritui plene subdetur, nec jam repugnabit. Surget igitur spirituale, ita transiens in naturam spiritus, ut fiat agile, leve, cibus aut veste non egens (Luc. xxiv, 4). Juxta exterioris gloriam hominis, gloria quoque dabitur, et interiori, ut qui plus habet in corporis decore, plus quoque habeat in Dei visione; et qui plus de Deo sentit, plus quoque in notitia rerum capiat. Unde Apostolus: *Instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitione mysterii Dei Patris Jesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Coloss. ii, 2). Nimirum instructi in agnitione Dei, per hoc veniunt in omnes divitias, id est copiam; intellectus pleni, ut perfecte de humanis et divinis habeant intellectum, ut de anima et de supernis spiritibus. *In agnitione Dei, non dico quantum ad opera, sed mysterii Dei, ut sciatur quod est secretum et a paucis cognitum de essentia Dei Patris Christi, ut sciatur quod alia persona sit a Filio, quamvis idem in substantia cum eo. Ad quam agnitionem quisquis tendit, ad Christum tantum recurat. Quanto enim quisque in fide appropriat Christo, tanto magis ex Christi ditatur thesauro. Quod si juxta augmenta fidei notitia augetur, quanto magis celsiores specie, celsiores fient rerum omnium cognitione.*

Duplex autem resurgentium claritas, altera corporis, altera mentis, aliorum alia. Hæ sunt in domo Patris Christi multæ mansiones. Ibi erunt, *Qualis et cælestis, tales et cælestes* (I Cor. xv, 48); qualis Christus, tales Christiani, sicut hic sunt: *Qualis*

A terrenus, tales et terreni. Qualis Adam, tales ab ipso proficiscentes, si tamen: Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis. Ut sicut veteres in Adam præcessimus, consequenter in Christo innovemur.

CAPUT XIX.

De descensu Domini, et tuba, et resurgentibus.

(483) Ignis autem in quo omnium resurrectio futura est, ut dictum est, ante adventum Judicis videtur venturus; cujus ardore, omnibus qui vivi reperientur exanimatis, tunc tandem tempus videtur ut juxta Apostolum: *Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendat de cælo* (I Thess. iv, 15). Quare tunc tandem? constat quod in tuba Dei descendet de cælo. Tuba vero tunc (si tamen videtur habitura locum) quando mors omnium præcesserit. Quare autem tunc? Quoniam ideo tuba intonabit, ut mortui resurgant. Unde subjungitur: *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos qui vivimus qui relinquimur simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (ibid.). Mortui qui interim secundum animas in Christo sunt, id est in Christo quiescunt, licet incremati (quoniam de illis dubium esse poterat) ut mirabilior sit resurrectio, *Resurgent primi, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt; sed potius, ut dictum est: Resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, id est illi de vobis qui vivi erunt, et residui omnibus præcedentibus vel tormentis Antichristi, unde sunt dignissimi, et, ut aiunt, in passionibus similes apostolis: 275 Nos, inquam, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis. Quid est illi resurgent primi; deinde nos simul cum illis rapiemur, nisi quia illorum resurrectio prior, nostram posteriorem exspectabit? Uti que absque difficultate; quoniam (484) hoc erit incendium mundi sanctis, quod fuit caminus tribus pueris. Et demum simul rapiemur cum illis in nubibus.*

(485) Quanta resurgentium levitas corporum, quæ in nube ascendent de diversis mundi partibus venientia invicem obviam sibi, obviam quoque Christo descendenti in aera de cælo! Unde post illud: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis*: subjungitur: *Inde venturus judicare vivos et mortuos* (486). Vivos quos ignis judicii inveniat, vel justos mortuos ante ignem vel injustos. Itaque, ut Apostolus ait, ipse Dominus, id est in propria persona descendet de cælo, non humilis ut prius, sed in jussu; id est jubens voce sui ipsius archangeli, videlicet Michaelis, quæ faciet resurgere mortuos; quæ dicitur tuba, quasi manifesta, videlicet quia sicut tuba in bellis, ita tunc inimicos debellabit. Et sicut tuba in festis, amicos ad solem-

(480) Mag., iv, d. 49, § 1, 4, n. 5.

(481) Aug., De fide et Symbol., c. 6; l. xiii De civ., c. 20. et l. xxii, c. 21 et 91; Ench., c. 91.

(482) v. Hierony. ep. ad Pammach, contra errores Joan. Hierosolymit.

(483) Mag. iv, d. 43, § 2.

(484) Hæc August., l. xx, cap. 18, De civit., sed aliis verbis.

(485) Mag., dist. 47.

(486) Aug., Enchir., c. 55.

nitatem æternæ gloriæ invitavit. Hæc eadem vox A potest ita dici tuba. Tuba enim erit magna vox angelorum: quæ eadem erit tuba Dei, quia Christi; vel quia Deus dabit efficaciam. Quam efficaciam? (487) Audi Apostolum: *Ecce mysterium dico vobis, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, etc.* Omnes ergo, ut dictum est, tam boni quam mali resurgent; sed non omnes in immortalitatis et impassibilitatis gloriam immutabuntur. Quæ ergo mora erit in resurgendo? utique parva; ut enim mirabilior sit resurrectio, omnes resurgent in momento, sed quoniam in momento est mora, quasi corrigendo subdit, *in ictu oculi*. Id est quam cito erit visa, vel percipitur a palpebra, id est in summa celeritate.

Sed per quid fiet resurrectio adeo festina? Per tubam; id est vocem magnam et manifestam, post quam non erit alia. Hæc (488) tuba est clamor; unde dicitur: *Clamor factus est, Ecce sponsus venit (Matth. xxv, 6)*. Tubæ nomine aliquod evidens et præclarum signum dicitur, quod vos archangeli et tuba Dei alibi dicitur, et vox Christi in Evangelio, quam audient mortui et procedent (489): unde Propheta ad Deum loquens ait: *De cælo auditum fecisti Judicium (Psal. lxxv, 9)*; et alibi: *Advocabit cælum desursum et terram (Psal. xlix, 5)*, id est Justos qui sunt superiores, et peccatores. Ad quid? *Discernere populum suum (ibid., 4)*. Quid illa discretionem fiet? *Exsultabunt Sancti in gloria (Psal. cxlix, 5)*. C Mali autem quid? *Terra tremuit et quievit (Psal. lxxv, 9)*. Nimirum terreni pavebunt, et ab his quæ hic chara habuerunt quiescent.

Sed si omnes in ictu oculi sunt resurrecturi, quomodo alii prius, alii resurgent posterius? In ictu oculi singulorum resurrectio fiet: non tamen ideo necesse est ut posteriorum atque primorum resurrectio simul fiat. Utraque nimirum in ictu oculi futura est: verum altera in altero, altera fortasse in altero. Potest quoque fieri ut priores et posteriores, prius atque posterius in uno eodemque ictu oculi resurgant. Unus atque idem oculi ictus prius habet et posterius. Asseverant tamen nonnulli (490), nec absurde forsitan, primis resuscitatis et sursum raptis, reliquos adhuc vivos simul cum resuscitatis in aera rapiendos, ipsoque in raptu morituros et resurrecturos. Quod fortasse Apostolus insinuabat dicens: *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi; deinde nos qui vivimus simul rapiemur cum illis (I Thess. iv, 16)*. Quid est enim, *deinde nos qui vivimus simul rapiemur cum illis*, nisi quod illi resurgent primi? *deinde*, id est post illorum resurrectionem, id est adhuc viventes simul cum resuscitatis sublevabimur; ut jam resuscitati et adhuc morituri, simul ascendant. Itaque prius resurgent mortui

quam vivi, sed non prius ascendent (491). Et quoniam teste Apostolo: *Omnes quidem resurgemus, (I Cor. xv, 51)*, omnes quoque moriemur. Non enim est resurrectio nisi a mortuis. Unde Apostolus, *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? quali autem corpore 276 venient? (I Cor. xv, 35)*. Quasi diceret: *Non patitur ratio ut mortuus reviviscat, aut, si id contingit, ratio minime est ut aliud quam prius fiat*. Alicui respondet Apostolus, et priori quæstioni prius. *Insipiens, tu quod seminas non vivificabitur nisi prius moriatur (ibid., 36)*. Quasi dixisset: Mortales non aliter immortalitate vivificantur nisi prius moriantur. Nimirum quasi futuræ segetis mortalitas semen est immortalitatis.

Quod autem resurrectio alterius est gloriæ, nihilominus tamen ejusdem substantiæ Apostolus declaravit dum subjunxit: *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique semini proprium corpus. (ibid., 37, 38)*. Similiter utique corpus hujus dejectionis longe differt et quasi nudum est a decore futuræ venustatis quam unicuique dat Deus sicut vult; ut quomodo distat granum ab illo quod ex se crescit, ita differat hoc corpus ab illo quod resurgit; differat utique in gloria, non tamen in substantia. Sicut enim unicuique semini proprium datur corpus, ut tritico tritici, hordeo, hordei; ita nobis nostra restituentur antiqua.

Si ergo simul cum jam resuscitatis nondum mortui sursum rapiuntur, cum omnes sit necesse resurgere, neque sit resurrectio nisi ex morte; merito dicitur in ipso raptu mortem futuram atque resurrectionem. Neque enim id differri decet, usquequo in aere consistant jam cum Christo. Si autem resurrectio antiquorum, vitam inveniet præsentium, necesse est circa ipsa ultimi ignis exordia ipsam fieri resurrectionem. Nam si quæ mora fieret, primorum resurrectio ultimos viventes non inveniret; mortalium enim vita in igne non diu subsistere valet. Constat autem quod resurrectio non prius erit, quam tuba resurrectionem factura intonuerit. Id vero, quoniam Dominus est in tuba de cælo descensus, non prius erit quam Judex advenerit. Dominus ergo neque ante ignem neque diu post ignem videtur de cælo descensus. Ideo non ante ignem, ne tuba in qua et cum qua descendet, ante ignem sonet, et per sonum suscitatore mortuorum resurrectio fiat (contra omnium opinionem) ante et extra ignem; cum potius in igne resurrectionem fieri sentiant: quatenus illæsi per ignem transeant purgati, purgandi vero, ut auctores tradunt (492), tandiu in igne erunt, quandiu in eis quid purgandum erit. Unde Apostolus: *Uniuscujusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit ignis*

(487) Aug., ep. 120. De gr. Novi Test. cap. 54. Mag., iv, d. 45, § 2.

(488) Aug., supra eodem cap. 54.

(489) Aug., ad hunc ejusdem psal. versum.

(490) V. Auctores supra.

(491) V. Hier. ep. ad Minerium et Alexandr. Aug., xx de Civit. cap. 20.

(492) V. Aug., xxi de Civit. c. 26, circa med.

probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificaverit mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (I Cor. III, 15). Qui super fundamentum fidei virtutes ædificant, alii purissimi hinc abeunt, alii cum quibusdam noxis mortiferis: sed cujusque opus pro nutu suo nunc agentis, dies Domini (qui post mortem incipit) secundum merita judicantis, per ignem purgatorium, aut interim aut ultimum, quale sit, declarabit. Qui enim ex opere manserit incrematus in igne, hic plene bonus est, quoniam mercedem accipiet. Cujus vero opus est cremabile, detrimentum patietur in igne: ipse tamen salvus erit, sed per ignem. Dominus ergo non ante ignem videtur descensus.

CAPUT XX.

De tuba, et adventu Domini, et igne.

(495) Sed dicit aliquis, tubam non ante ignem sonituram, Dominum vero ante sonitum descensurum. Sed cum descensus Domini ad hoc tendat, ut primo resurgant mortui, postea judicentur; ad quid ante veniret? Num quia venturus est judicare, non solum vivos et mortuos, sed et sæculum per ignem? Sed quomodo constat quod in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo, videtur descensus simul cum **277** tuba. Sed si tuba sit cum adventu, utrumque autem post ignem, quomodo venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem? Si ignis ante sæculum invaserit, quomodo Christus post veniens, sæculum per ignem judicabit? Num **C** per, pro in, præpositio pro præpositione ponitur? quomodo in Apostolo his verbis: *Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo? per Jesum (I Thess. IV, 15)*, id est in Jesu. Eos namque qui dormierunt in Jesu, id est, mortui sunt in fide Jesu, non solum suscitabit, verum etiam adducet cum eo in cælum, ut sint cum eo in eadem beatitudine. Vel de cælo corpore nondum descendens, sententia incendii quodammodo præveniet judicare sæculum per ignem.

Placet fortasse cupiam Dominum in tuba de cælo descendentem, tunc et non prius ignem inducere mundo, et in igne mortuos suscitare, et suscitatos simul cum vivis sublevare, quatenus adventus Domini præcedat, et ex advenientis auctoritate mox incendium succedat, tubam cum incendio strepentem resurrectio mortuorum repente prosequatur, usque adeo festinanter ut adhuc vivos homines illius temporis inveniat. Et quod tubam indilate resurrectio sequatur, videtur exigere ratio causæ quam efficacissimam negare nefas est. Unde Apostolus postquam præmisit *Canet enim tuba (I Cor. XV, 52)*, indilate subjunxit: *Et mortui resurgent*. Sed si tuba sit cum igne, ignis autem post adventum, quomodo per adventum? Ergo Dominus prius descendet, post tubæ sonus fiet. Sed quomodo tunc in tubæ sonitu descendet? Num quoniam descensus in

(495) Mag., 4, d. 45.

A sonitu metam est habiturus, ideo rite descensus in sonitu pronuntiatur futurus?

CAPUT XXI.

De ultimo igne et animabus purgandis.

Sed constat quod ultimus ignis tandiu durabit quamdiu purgatio fidelium postulabit. Quod si extra corpora animæ sicut nunc, ita quoque tunc sunt expurgandæ, oportet utique ut aut resurrectio differatur communiter omnium, quousque et hæ tandem expurgatæ, simul cum aliis corpora in tuba Dei diu jam post inflammationem mundi sonante resumant; aut prius resuscitati moram in igne faciant exspectando resuscitandos, vel præveniant ascendendo nescio quam diu post ascensuros. Sin autem aliter se habuerit satisfactio pœnitentium, **B** quoniam et aliter se jam habebit status omnium rerum, scilicet ut in ultimo igne, animæ in corporibus jam suscitatorum luant quidquid in corporibus prius deliquerunt mortalibus; illud utique continget, ut ex resurrectione jam immortales, non diu tamen sed tandem [*fort. nondum*] futuri impassibiles, ad tempus, more damnabiliter immortalium tormenta ferant. Quod si erit, qualiter res se habebit? Num ipsi diu ante resurgent quam alii, ut in igne permundentur; quatenus tuba bis sonet? Sed unde hoc probabitur, aut sine intermissione a pœnitentium usque ad sanctorum resurrectionem? Sed et hoc ubi invenitur? Nimirum sibi invicem conjungendæ videntur tuba et resurrectio.

C Sin autem resurrectio jam emundatorum et adhuc mundandorum, simul est celebranda; quid potius est tenendum quam ut purgati mox obviam Christo in aera rapiantur, aliis in igne usque ad peractam remanentibus purgationem, iudice utrique parti quod ea dignum est distribuite? Et quoniam non est credere Christum, cum parte suorum altera relicta, cælos conscendere, cum potius ituri sunt mali prius in ignem æternum, et tandem **278** boni in vitam æternam; ita ut, sicut mali simul omnes in ignem, ita boni simul omnes in vitam: fateri oportet ut tandiu cum sanctis suis Dominus in aere commoretur, donec dux totum ad se congregaverit exercitum, et dux fiat convivor, miles conviva: quod utique credi absonum nequaquam est.

D Si tamen cuiquam id absurdum æstimatur, ut iudex ante veniat quam iudicium agat, quasi non sit inchoatio iudicii, mundum incendere, in incendio mortuos suscitare, suscitatos alios tanquam reos in igne cruciare, juxta illud: *Inflammabit in circuitu inimicos ejus (Psal. xcvi, 5)*, alios tanquam pœnitentes purgare, alios per rogam sanctitate meriti illæsos ad se sublevare; et quasi tantum id contineat iudicium ut ista hinc, illa inde proferatur sententia: *Ite, maledicti, in ignem æternum; venite, benedicti, percipite regnum (Matth. xxv, 41)*; si cui, inquam, id absurdum videtur, Dominum scilicet universam pœnitentium moram in aere ex-

spectare quasi usquam sit turpe Deo esse, et quasi A
 judex omnipotentis misericordiae, suos nequeat, si
 ita fieri conveniat, quantocius expurgare, quid ipse
 de adventu judicis dicet? Num quod *ignis ante eum
 praecedet* (*Psal. xcvi, 3*), et post praecedentem
 quantum convenit, tuba succedet; virtute cujus
 facta resurrectione omnes pariter in igne commo-
 rentur, boni sine laesione, mali in tortione, poeni-
 tentes vero, ut, sicut dictum est, a labe peccati
 excoquantur, mundatione facta tunc tandem judex
 adveniat. Sed obesse videtur quod Dominus ab
 Apostolo in tuba descensurus dicitur et cum omni-
 bus sanctis ejus adventurus; ita in adventu Domini
 nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis. Nisi forte
 ita intelligi debeat quod dictum est: *In tuba descen-
 det*, ac si diceretur: *In praecone descendet*. Et quid
 est: *In praecone descendet*, nisi praecone, descen-
 sus sui praemittet? (494) Itaque forsitan dici poterit
 in tuba descendet, quia tubam descensionis atque
 judicii praenuntiam ante mittet, juxta illud: *De caelo
 auditum fecisti judicium* (*Psal. lxxv, 9*), et illud:
Mittet angelos suos cum tuba et voce magna (*Matth.
 xxiv, 31*). Forte enim angelos praemittet cum tuba
 quae auditum fiat judicium.

Potest quoque dici Dominus cum omnibus sanctis
 adventurus, quoniam ad judicium est venturus de
 caelo cum omnibus sanctis, id est, sicut omnes
 sancti. Illi tamen prius ut sonante tuba, sua mox
 recipiant corpora, et tandem adventui judicis oc-
 currant. Aut *cum omnibus sanctis*, id est sicut om-
 nes sancti ad judicium adveniet: ipse quidem de
 caelo descendens, illi autem sumptis corporibus de
 terra ascendentes, Dominoque descendenti occur-
 rentes, ut interim dum judex erit in descendendo,
 sancti neque ante neque post, sed tunc contra ve-
 nientem ascendant: quod velle videntur verba illa
 Apostoli: *Deinde nos qui vivimus simul rapiemur
 cum illis obviam Christo in aera* (*I Thess. iv,
 16*) (495). Non dixit *rapiemur ad Christum*, quasi
 alicubi situm; sed *obviam Christo*, quasi iter fa-
 cienti. Unde alibi, *donec occurramus* (*Ephes. iv, 13*)
 nos, scilicet de diversis partibus venientes, Christo
 venienti de caelo.

CAPUT XXII.

De repentino interitu et signis judicii.

Sed quamvis tempora generalis incendii atque
 judicii quod per ignem venturum est, lateant; quo-
 niam quando id futurum sit, hieme an aestate, no-
 cte an die ignoratur, et licet momenta quoque nemo
 noverit, quoniam qua hora diei an noctis id sit, il-
 lud quoque nescitur: unde Apostolus: *De temporibus
 autem et momentis, fratres, non indigetis, ut
 scribam vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies
 Domini, sicut fur, ita in nocte veniet* (*I Thess. v,
 1, 2*). Id tamen certissime per Apostolum constat,
 quod *cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus*

*eis superveniet interitus, sicut dolor in utero ha-
 benti, et non effugient* (*ibid.*, 3). Post mortem nam-
 que Antichristi ministri ejus pacem sibi promittent
279 et securitatem; et teste Domino, *Sicut in die-
 bus Noe erit adventus Filii hominis: Sicut enim erant
 in diebus ante diluvium, comedentes et bibentes, nu-
 bentes et nuptui tradentes usque ad eum diem quo in-
 travit in arcam Noe, et non cognoverunt donec venit
 diluvium et tulit omnes; ita erit et adventus Filii ho-
 minis* (*Matth. xxiv, 37-39; Luc. xvii, 26-28*); quo-
 niam per incendium omnibus repentinum, repen-
 tinus eis superveniet interitus. Repentinus ideo, quo-
 niam, ut dictum est, solum suis intendent volupta-
 tibus. Non tamen sanctis, quibus Antichristi adven-
 tus in signum erit. Et hoc quoque quod post inchoa-
 tam aut fortasse finitam, *statim post tribulationem
 dierum illorum, sol obscurabitur et luna non dabit
 lumen suum, et stellae cadent de caelo* (*Matth. xxiv,
 29; Luc. xxi, 25; Marc. xiii, 24*); ut postquam fini-
 ta erit illa de qua Dominus ait: *Tribulatio magna
 qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque
 fiet* (cujus enim non concutietur fides cum persecu-
 tor pietatis sit operator virtutis? Sed persecutio haec
 diu non stabit, quoniam tradente Domino, *Nisi bre-
 viati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed
 propter electos breviabuntur dies illi* (*Matth. xxiv, 21,
 22*). Utique breviabuntur, nam ut tradunt (496), tan-
 ta erunt haec mala tribus annis et dimidio), ut in-
 quam, postquam finita erit illa tanta tribulatio bre-
 vi subsequuta pace quae sit malis ad securitatem fal-
 laciae, bonis autem ad probationem; statim secun-
 dum Matthaeum, sol et luna et stellae ad tempus suo
 lumine priventur. Quare? Ut sanctis vicinum Domini
 indicent adventum. Sed mundo innovato majus
 lumen recipient.

(497) Lucas, imo Dominus secundum Lucam de
 eadem re ait: *Et erunt signa in sole et luna* (*Luc.
 xxi, 25*), etc. Erunt signa in sole et luna; nam *sol
 vertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam
 veniat dies Domini magnus et manifestus* (*Joel. ii, 31*).
Et in terris pressura gentium (*Luc. xxi, 25*); forte
 tam propter caelestia, quam propter terrestria signa.
 Propter quae terrestria? *Præ confusione sonitus ma-
 ris et fluctuum* (*ibid.*), forte de medio abeuntium.
D *Inde arescentibus hominibus præ timore* (*ibid.*, 26) et
 ex insolitis adventibus exspectatione insolitorum quae
 supervenient universo orbi (*ibid.*).

Sed si exspectatio antecedit, quomodo, juxta Apo-
 stolum, repentinus interitus erit? Num juxta saecu-
 larium mobilitatem, modo visis signis expavescent,
 modo securiores voluptatibus acquiescent securitate
 insana ad interitum praecipuandi? An quibus sana
 mens erit soli terrebutur signis (quippe propter eos
 factis) aliis tantum admirantibus, et tamen scelerata
 vita excæcatis negligenter agentibus? Vel insolitus,
 quia horrendus, maris et fluctuum sonitus, appro-

(494) Augustin., ep. 120, cap. 34.

(495) Aug., xx De civit., c. 20. Venienti quippe
 ibitur obviam, non maneat.

(496) Aug., xx De civit., cap. 8.

(497) Mag., iv, d. 48, §. 5.

pinquante jam jamque termino suo, quasi paventium cum cæteris elementis et nutantium, et in igne statim secuturo immutandorum, juxta illud: *Elementa calore solventur* (II Petr. III, 10), arefaciet homines præ timore et exspectatione, eatenus securos et dicentes, *pax et securitas* (I Thess. V, 3); jam vero superveniente repentino interitu arescentes (498). Nec mirum si in exspectatione districti examinis, qui in mundo floruerunt exarescent, si fides, quæ sine operibus viruerat, marcescet? *Nam virtutes cælorum movebuntur*: angelicæ enim potestates tremunt aspectum judicis (499). Ideo dicit Job: *Columnæ cæli contremiscunt et pavent adventum ejus* (Job XXVI, 11); tremunt angeli, quanto magis homines.

CAPUT XXIII.

Quando veniet ignis, et de resurrectione, et ascensu.

Post signa autem, parva aut nulla futura creditur mora usque ad incendium. Unde apud Matthæum post signa indilate sequitur: *Et tunc parebit signum Filii hominis in cælo; et tunc plangent se omnes tribus terræ. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna et majestate* (Matth. XXIV, 30). Lucas autem postquam arecere homines, virtutesque cælorum moveri commemoravit, statim subjunxit: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate* (Luc. XXI, 27). Unde arbitrari **280** licet finitis signis, contiguum judicium, quod in igne fiet, venturum. Hunc ignem Domini potentia inducet, dicentis: *Ignis succensus est in furore meo* (Deut. XXXII, 22).

Hoc in igne, sive maturius, sive post moram, per tubam resurrectio fiet: qua facta sive statim, sive post aliquantum temporis, vel sancti per se, vel simul omnes sancti et pœnitentes ascendent ad Dominum Jesum in aera, seu ipsis ascendentibus Dominus tunc primum descendat, seu ante, ut sancti simul cum ipso descenderint, ipso in aere exspectante, illis usque ad corpora transeuntibus, ministerio angelorum. Nubes suscipiet innovatos, ut Christum suscepit: unde Apostolus: *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera* (I Thess. IV, 16). In nubibus enim ab angelis simul rapiuntur immutati et a consortio malorum separati. Qui, quoniam *iniquitas sedet super talentum plumbi* (Malach. V, 7), pondere scelerum prægravati in ignis tormento residebunt. Facultas itaque per se ascendendi neque defuit Christo neque resurrecturo defutura est Christiano. Verum angeli gaudent obsequio, sancti honorificentia. Nubes adhibetur non in argumentum necessitatis, sed potentia.

In ipso igne in quo omnes resurgent, et boni ascendent, communiter *omnis caro videbit salutare Dei* (Luc. III, 6). Unde Apostolus: *In revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus in flam-*

ma ignis dantis vindictam (II Thess. I, 7). Dominus enim Jesus de cælo veniet cum angelis quorum ministerio virtus Dei apparebit dum bonos eligent, malos foras mittent. Veniet autem qui prius in cælo abscondebatur *in revelatione in flamma ignis*, id est ut reveletur in flamma ignis. Non autem ita ut sit ipse circumdatus igne, quoniam in superioribus (quo flamma non pertinget; tantum enim creditur (500) ascensura quantum diluvii ascendit unda) aeris partibus cum suis erit. (501) Verum ita ut ipse ultra flammam existens, in flamma degentibus appareat. Ubi si vident eum mali: *Videbunt enim in quem transfixerunt* (Joan. XIX, 37), quanto magis boni? Ignis iste, ut Apostolus testatur, vindictam dabit his qui non cognoverunt Deum, id est fidem non receperunt; et qui non obediunt Evangelio, id est, non exsequuntur quæ receperunt. Verum ne tantum ibi quis puniendos credat, adjungitur: *Qui pœnas dabunt æternas in interitu a facie Domini et a gloria virtutis ejus* (II Thess. I, 9). Neque enim post judicium faciem Domini sunt visuri, neque gloriam quam virtus illius sanctis est datura. Quod Apostolus in flamma ignis Dominum ait revelandum, quid aliud insinuare videtur, nisi quod ante mundi inflammationem minime sit videndus.

CAPUT XXIV.

De verbis Domini signa sequentibus.

Verum quodcumque sit revelandus, qualem se videndum exhibebit? Audi verba Domini quæ post signa solis, lunæ atque stellarum consequuntur, ita: *Et tunc parebit signum Filii hominis in cælo, et tunc plangent se omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna et congregabuntur electi a quatuor ventis* (Matth. XXIV, 30). Nimirum post signa, non tamen statim; quoniam prius videtur orbis inflammandus. *Tunc parebit signum Filii hominis in cælo*, id est in aere signum (502) crucis, ut videant in quem transfixerunt, in vexillum victoriae triumphantis. Et tunc plangent se omnes tribus terræ, sero accusante conscientia. Nec mirum si se plangent, quia videbunt Filium hominis venientem ad judicandum in nubibus cæli: quoniam *sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (Act. I, 11). Qui primo humilis apparuit, secundo veniet cum virtute magna et majestate. Et mittet, sive postquam venerit, sive potius ante (alioquin tuba missorum resurrecturi, non videntur visuri Dominum in nubibus **281** venientem, sed jam ante venisse); mittet, inquam, angelos suos cum tuba et voce magna tam aperta, et tam intensa quæ ubique a mortuis audietur, quam Apostolus (503) tubam Dei et vocem archangeli ait. Cum hac voce angelos suos mittet, aut

(498) Mag. IV, d. 48, § 5.

(499) Vide ep. 80, Aug. ad Hesyc. et ser. 130 De temp. in Append.

(500) Aug., XX De civit., cap. 16.

(501) Mag., IV, d. 47, § 4.

(502) Aug., ser. 40 De SS.; ser. 63 ad fratres in erem., ser. 130 De temp. in Append. qui est Chrysost., hom. De cruce et latrone.

(503) Vide supra loca August.

fortasse illam per eos efficiet : unde (504) nonnulli A eam vocem angelorum dicunt.

Quid vero ministerio angelorum, qui cum tuba mittendi sunt, fiet? Congregabuntur iad iudicium electi a quatuor climatibus mundi, oriente, occidente, aquilone, et austro. Unde Propheta ad angelos ait : *Congregate illi sanctos ejus* (Psal. XLIX, 5) (505). Officium quoque angelorum in iudicio erit, malos in infernum congregare ; unde Dominus ait : *In consummatione sæculi exhibunt angeli* (Matth. XIII, 49). Num per se, an jussu Domini? Imo : *Mittet Filius hominis angelos suos. Ad quid mittet? Colligent de regno ejus omnia scandala. Quid est hoc? Separabunt malos de medio Justorum. Quid amplius? Quod mittent eos in caminum ignis. Quid passuros? Ibi erit fletus et stridor dentium. Per fletum quidem oculorum, et stridorem dentium nota veram resurrectionem corporum. Dentes strident qui hic de edacitate gaudebant. Oculi flent qui per concupiscentias vagabantur. Ergo illis in membris quisque punietur ubi deliquit, ut per quam sui partem deliquit ejusdem delicti in eadem parte pœnam ferat. Ergo sic quoque constat quod membrorum nulla in resurrectione erit transpositio. Fletus de ardore, stridor dentium de frigore solet excitari, quia ibi transibunt ab aquis nivium ad calorem nivium* (Job XXIV, 19).

CAPUT XXV.

Qui prius remunerandi, boni an mali, juxta merita?

Utrum prius erit, an malorum ad inferos præcipitatio, an bonorum in cœlos introductio? Audi ordinem : *Ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (Matth. XXV, 46). Decet enim ut prius inimicos coram omnibus iudex, auctoritate omnium (506) cooperante sanctorum, quos cum Domino constat iudicatos, plaga perpetua feriat, et postmodum amicos palatio inducat.

Sed si auctoritate Christi ituri sunt mali in supplicium æternum, frustra Origenes (507) spondet liberationem post multos annos malis hominibus et ipsis demonibus? Ergo sicut sine fine damnabuntur, ita ante in infernum præcipitabuntur quam sancti cœlo invehantur, dicente Domino : *In tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum ; triticum autem congregate in horreum meum* (Matth. XIII, 30). Messis dies est iudicii, quoniam communiter bonorum ac malorum sublatio tunc erit a nostro mundo, quasi zizaniorum ac tritici in messione, ab agro. (508) Tunc enim jussu Christi, angeli (quorum officium erit malos a bonis semovere, et utraque partem debitam in locis constituere) colligent primum zizania, et alligabunt ea in fasciculos ad comburendum ; non in unum fascem, quia pro

modo iniquitatis suæ unusquisque punietur. Triticum autem congregabunt in horreum Christi, id est in cœlestes mansiones ; nimirum ministerio angelorum et mali prius ad inferos, et boni postmodum congregabuntur ad cœlos, ut suscipiant ii in domo Patris diversas mansiones ; illi in inferno, sicut diversi sunt fasciculi, diversas pœnas. Tunc *justi fulgebunt sicut sol* (ibid.), in decoris splendore et absque defectione. Ibi ergo speciosi erunt filii hominum. Verumtamen Filius hominis, *speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. XLIV, 5). Filii hominum ibi erunt potentes, Filius hominis potentior ; quoniam Dominus.

In iudicio omnes aderunt homines, et unicuique reddatur juxta opera sua. Aderunt et angeli omnes, quippe testes humanorum actuum, sub quorum custodia bene vel male egerunt. Unde Dominus ait : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc* **282** *sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris* (Matth. XXV, 31). Nimirum qui primo tanquam iudicandus humilis advenit, secundo tanquam iudicaturus in majestate redibit. Et omnes angeli cum eo tanquam ministri cum iudice. Tunc sedebit super sedem majestatis suæ, id est, regnabit super Ecclesiam, in qua tunc apparebit omnipotentia ejus. Et prius congregabuntur ministerio angelorum, omnis generis, omnis temporis, omnis conditionis, omnis sexus homines ante eum : non utique ideo ut videantur ab eo qui nihil non videt, verum ut cum corporeis oculis videant, quem antea aut nullo modo aut non oculis mortalibus viderant. (509) Dignum quippe est ut omnis caro videat salutare Dei, quatenus qui in carne aut contemnunt, aut venerantur Salvatorem, in carne quoque intueantur majestate conspicuum ; et aut anxientur quod talem, tantum spreverunt, aut jucundentur, quod magnum magnifice venerati sunt.

Constat itaque quod congregabuntur ante eum ; sed unde et quo? Quisque ab illo, ubi corpore fuerit, loco ; mari suos, terra suos dante mortuos. Congregabitur ad Christum utique in aere quisque qui dignus erit, ut tunc demum sedeat super sedem majestatis suæ. De indignis autem quid dicam? Num id erit eos in unum congregari, omnes suis in locis pariter iudicem videre? Sed quoniam omnes sanctos ministerio angelorum, ad illum locum ubi Christus in aere apparebit, constat esse congregandos, nihil verisimilius opinor quam quod mali quoque in unum advenentur locum, quandoquidem omnes gentes sunt congregandæ, et maxime illuc ubi Christum omnibus cum sanctis super se cernant collocatum.

(504) Mag., iv., d. 45, § 2.

(505) Mag., iv., d. 47, § 4.

(506) Mag., iv., d. 47, § 2.

(507) Aug., XXI De civit., cap 17.

(508) V. Ang., ser. 39 De sanctis.

(509) V. Greg., hom. 20 in Evang. Bed., sup. III, Luc. Aug., conc. 1 in psal. XLVIII, et ser. 65 De divers.

CAPUT XXVI.

De loco iudicii et separatione iudicandorum.

(510) Super quam vero mundi partem Christus apparere velit, plane nescio; dicit enim Dominus in Evangelio: *Non venit regnum Dei cum observatione neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic (Luc. xvii, 20)*, id est, neque certum est tempus, neque determinatus locus, quando vel ubi extremum debeat agi iudicium. Arbitror tamen quoniam sine dubio sic veniet quemadmodum cum sui viderunt euntem in cælum, illam aeris regionem quam Ascensio Domini decoravit illustratione adventus honorandam, ut qui totum veniet iudicare mundum, medium in mundo teneat locum, separaturus eos ab invicem, ita ut statuatur oves quidem a dextris, id est confirmet simplices in beatitudine, hædos autem a sinistris, id est petulcos et pravitate olidos in æterna miseria. Quo merito fiet tanta separatio? Quia ii in membris Christum esurientem et sitientem refecerunt, hospitem collegerunt, nudum cooperuerunt, in carcere visitaverunt (*Matth. xxv, 37*). Illi vero huiusmodi facere neglexerunt, id est alii salvantur quia opera misericordiæ fecerunt, alii damnantur quoniam talia non curaverunt. Quod si ii pereunt qui bona indigentibus non fecerunt, quid de illis fiet qui magna proximis indesinenter inferunt? Et quidem de his qui res mundi habent, huiusmodi ratio inquiritur, ut præter curam propriæ vitæ, intendant fratrum indigentiam. Communiter autem ab omnibus exigitur, ut juxta spiritualium copiam facultatum, inopiam suppleant alii aliorum, juxta illud: *Alter alterius onera portate (Galat. vi, 2)*. Magnum est corporaliter oppresso quolibet modo subvenire, longe majus est spiritualibus liberalem esse necessitatibus. Ibi charitatis est inchoatio, hic autem consummatio. Ergo esuriens et sitiens justitiam pane verbi est reficiendus, potuque sapientiæ refrigerandus, **283** errans in domum matris Ecclesiæ revocandus; *infirmum in fide assume (Rom. xiv)*; tribulatione aliqua seu carcere tristitiæ oppresso subveni compatiendo, vel consolando; omnibus demum modis cuique adnitendum est ut pro competentia personæ suæ satagat confratribus in quo valet, proficere. *Unicuique enim data est manifestatio Spiritus ad utilitatem (I Cor. xii, 7)*. *Pietas namque ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ (I Tim. iv, 8)*. Qui enim saluti omnium studet, inde et hic bonis abundat spiritualibus, et in futuro cœlestibus; quippe omnis summa disciplinæ nostræ in misericordia Dei est, quam sequens si lubricum patitur, vapulabit. Si quis autem nec solum exercitium corporis habuerit, perennes pœnas patietur. Ergo consilium Apostoli sequens exerce te ipsum ad pietatem, *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est (ibid.)*. Vigilare enim, jejunare, operari, aliisve modis se fatigare (quæ est corporalis exercitatio), ad hoc valet tantummodo ut frenum libidini

A imponatur, peccatum puniatur, corona futura, pro quantum tantillum rei exigit, augeatur.

CAPUT XXVII.

De bonis et malis manifestandis.

(511) In die iudicii omnium erunt manifesta mala et bona, omnibus, quatenus generali omnium iudicio omnes judicentur; sancti ad salutem, mali autem ad perditionem. Unde Dominus: *Nihil opertum quod non revelabitur, et occultum quod non sciatur (Luc. xii, 2)*. Cum ergo Dominus iudicabit occulta hominum, nequitiam nihil modo opertum est quod tunc non discooperiatur, justitiæ nihil modo est occultum quod tunc non sciatur; sententia enim Domini, nihil quod modo latet, latere in futuro sinit. Num id usque adeo universaliter intelligendum est, ut sanctis quibus dabitur notitia Trinitatis nihil prorsus negetur noscendum in creaturis; quatenus comprehendant rerum omnium tam naturas quam eventus? Utique facillimum puto post notitiam Dei posse notitiam habere, si ita opus est, cujusque rei. Quanquam enim interim etiam in cœlo dum minus habent, minusque sciunt, tandem tandem plene beandi, plene quoque sperant doceri.

(512) Constat autem omnium operum tam bonorum quam malorum omnibus, ut dictum est, futuram esse resurrectionem. Utrum autem quorum tecta sunt peccata per pœnitentiam, et quorum bona opera finali malitia decolorantur in iudicio debeant sub silentio, sicut caritura mercede, reticere? potest utique recte videri vitia sanctorum, etiam satisfactione deleta, et ab ipsis, quibus tunc oblivio minime videtur competere, memoriter recolenda, et ab aliis, quibus tunc non ora sed conscientia omnium loquatur, intelligenda. Ut enim virtus et benignitas Liberatoris liberatis, imo et aliis ad laudem Dei gratiarumque actionem appareat, ut constet sanctos vitia debellasse, illecebras pravæ consuetudinis dirupisse, ipsis ad dignitatem; indignis, quoniam similiter non egerunt, ad accusationem minime (513) videtur absonum in iudicio quoque culpas sanctorum intelligendas; imo nec bona malorum gesta in iudicio videntur celanda, ut inexcusabiles sint qui in eo quod bene per gratiam Dei cœperant, per suæ imperseverantiam culpæ defecerunt; qui per bona suscepta non pervenerunt ad ulteriora, non superaverunt mala.

Viribus acceptis succubere malis.

Ut sancti gaudeant, quod exemplo deficientium minime defecerunt, ut Dominus laudetur, qui dum et perdendis gratiam salutis confert, plane viro cordato declarat, quod aliunde et non ab eo causa perditionis emanat. Itaque quæ modo sunt occulta, dies iudicii reddet manifesta. Unde et Apostolus ait: *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (I Cor. iv, 5)*. Tempus enim iudicii tempus erit iudicandi, quando Do-

(510) Mag., iv, d. 48, § 4.

(511) Mag., iv, d. 43, § 4.

(512) Mag., iv, d. 43.

(513) Contra Marc. ibid. qui ideo notatur.

minus judicare veniet. Qui et illuminabit abscon- A
dita tenebrarum; *illuminabit*, quia tunc omnia om-
nibus nota, et per hoc poterunt **284** de se et aliis
judicare; *abscondita tenebrarum*, quoniam tunc gesta
et cogitata malorum fient aperta. *Consilia quoque*
cordium, id est cogitationes bonas sanctorum ju-
dex manifestabit. *Et tunc laus erit unicuique a Deo.*
Tunc laus bene cogitanti vel agenti. Illic nescitur
quis sit laude dignus.

CAPUT XXVIII.

Unius conscientia omnium capit gesta.

(514) Sed cum mens nostra non aliter multa ad-
vertat, nisi cum mora et succedenter, quomodo in
judicii unius conscientia omnium capiet gesta? Num
dies illa tandiu durabit quoad omnia nostro more
subeant animo succedenda? Sed innumera anno- B
rum lustra vix sufficere videntur. Sed tunc erunt
mille anni sicut dies unus nihil enim tunc difficilius
mens nostra facta mille annorum transurret quam
unius diei, facta omnium quam unius; multa quam
pauca. Mens enim nostra nobiscum mirum in mo-
dum mutanda tantæ capacitatis efficienda, ut im-
mensitatem uno et perpetuo contempletur intuitu
divinam, nihil mirabitur omnia, ita quod integra
singula simul et interminate complecti posse [f.
possit.]. Et quid tantam in universis animi ampli-
tudinem merito universitas expectet sanctorum.
Iniquorum quoque corda eatenus dilatari oportet,
ut mala bonave nemo ignoret. Quantum autem ul-
tra sit illis sciendum, dies illa non sinet incogni-
tum.

(515) Hujusmodi cordium pro palatio virtute Tri-
nitatis proveniet, quæ etiam unicuique juxta opera
sua retribuet. Nam si id est Filius facturum, ut vere
est, opera autem Trinitatis sicut et voluntas et po-
testas indivisa sunt; utique quod est singulorum,
est communiter trium (516). *Pater tamen non judi-
cat quemquam, sed omne judicium dedit Filio quia*
Filius hominis est (Joan. v, 22). Pater non judicat,
ut in judicio appareat. Trinitas namque tota solis
mundis cordibus debetur cernenda. Sed judicium
dat Filio, non quia suo, cum quo pariter omnia
habet, sed quia est Filius hominis. Itaque dat Pater
auctoritatem, et potestatem judicandi, et in judicia-
ria majestate omnibus pariter apparendi; non Deo D
sed servo; non Filio Patris, sed matris. Non tamen
est alius et alius, hic et ille, sed aliud et aliud. Una
enim est persona, verumtamen una et altera sub-
stantia.

CAPUT XXIX.

Quomodo boni et mali Deum videbunt?

(517) Sed si omnes visuri sunt Christi in judicio
humanitatem, ejusdem quid dicendum est de divini-
tate? *Tollatur.* (518) *impious ne videat gloriam Dei*
(Isa. xxvi, 10). Mali tantum videant in quem trans-

fixerunt. Quid de sanctis dicetur? Qui in cælo
Deum viderunt, descendentes ad judicium non vi-
debunt? Animæ sanctorum extra corpora viderant,
quare assumptis corporibus (quippe glorificatis) non
videant?

Sed dices: *Locum extra cælum non esse homini-
bus ad videndum Deum.* Angeli nihilominus tam
extra quam intra cælum Deum vident; cur non et
homines, præsertim ii qui jam gloria resurrectionis
videntur angelis parificati. Dices fortasse eos qui
de cælo ad judicium veniunt, propterea merito Tri-
nitem in judicio visuros, quoniam ante quoque
eam in cælo manentes viderunt. Verum alii, licet
boni, expectabunt, ut aiunt, donec de judicio ad
cælum transiens ministrabit eis. Sed jam omnino
purgati et resurrectionis gloria honorati, cum
Christo glorificato glorificati apparebunt in judicio.
Quod designabat glorificatio Christi, Moysi et Eliæ
ad horam ostensa in Transfiguratione. Quippe Moy-
ses mortuus jam mortuos, Elias vivus adhuc vivos
designant veniente judicio reperiendos. Ambo visi
sunt cum Domino in majestate; quoniam, quos in-
sinuant, videndi sunt cum judice in glorificatione.
Quibus autem glorificatio cum aliis communicatur,
quare visio Dei simul cum aliis non datur.

285 Sed dices: *Celebratam in monte Transfigurati-
onem, potius Christi et sanctorum designasse gloriosam*
in cælo conjunctionem; fiat. Sed non negabis, puto,
ita omnes salvandos cum Domino cernendos sursum,
sicut damnandos deorsum. Nonne cum Domino om-
nes in aere erunt, qui cum Domino in cælum trans-
ibunt? Nonne illos decet apparere in gloria, sicut
iniquos in miseria? Nam quomodo inter gloriosos
cum Domino quis poterit esse ingloriosus? Nonne po-
tius: *Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et*
vos apparebitis cum ipso in gloria? (Coloss. iii, 4.)
Apostolica autem sententia Colossensibus, et per ip-
sos omnibus directa neminem nisi perdendum exclu-
dere videtur, qui aut cum Christo non sit, aut absque
gloria sit. Et quando id erit? *Cum Christus appa-
ruerit.* Quando autem apparebit nisi cum ab occulto
prodiens se in judicio cernendum omnibus præbebit?
Qui ergo erunt in judicio gloriæ aliorum participes,
quomodo visionis Dei, quam habebunt reliqui, fient
expertes, cum ab ea solos excludat impios Scri-
ptura, dicens: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei?*
(Isa. xxvi, 10, juxta LXX.) Ergo commune aliquid
dicendum videtur. Et quid potius quam ut ii qui ob-
viam Christo in aera rapiendi sunt, ex quo ad ipsum
ventum erit, cum ipso pariter clarescant corpore,
splendeant mente habentes carnem decore sibi de-
bito conspicuam, spiritum visione Dei illustrem.
Oculi enim corporei licet sperent longe fieri perspi-
caciosiores quam sint, intra corporea tamen vim suam
obtinebunt, jus suum spiritibus relinquentes, ut

(514) Mag., iv, d. 43, § 3.

(515) Mag., iv, d. 48.

(516) Aug., i De Trinit., c. 5; l. iii, contra
Maxim., c. 48, et tract. 21 in Joan. ultra med.

(517) Mag., iv, d. 48, § 1, 2, etc.

(518) V. Aug., i De Trinit., c. 13. Aug., contr.
ser. Arian, c. 44, et ser. 43, inter 47, a Paris. ad-
ditos. † Tollatur impius ne videat claritatem Dei. †

oculis corporeis solum corporea patescant, spiritualibus etiam spiritualia manifesta fiant. Magni ergo exteriores; verum ut nihil ultra fines suos valentes; majores intimi, quippe jus suum integre et nihilominus alienum occupantes. Ergo: *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc. III, 6*). Verum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth. v, 8*), non solum in cœlo, verum et prius in iudicio. Cui contrarium illud videtur: *{Et transiens ministrabit illis* (*Luc. XII, 57*), juxta expositionem quorundam asserentium quod post iudicium Christus iudex transibit, cum a cognitione humanitatis quæ in iudicio videbitur, ad cognitionem divinitatis post iudicium suos elevabit; quam futuram, ut aiunt, claritatem videbunt justis, prius sublatis impiis. Ergo secundum eos transitus erit ministrantis, quasi a ferculo in ferculo ministerium transeuntis. Nimirum ferculum piis erit magnum gloriosæ revelatio humanitatis; maximum, gloriosissimæ manifestatio divinitatis. Illud fiet in iudicio; istud post iudicium aiunt futurum in cœlo.

Potest tamen, ut puto, melius intelligi non ministerii transitus, sed loci; dum de iudicio ad regnum rediens sua claritate fideles, quod etiam dici solet, satiabit. De aere ergo in cœlum transitus erit, sed transiens quoque suis ministrare non cessabit. Et in quo nisi in æternæ beatitudinis epulo? In iudicio ergo et postmodum, solus tollatur impius, ne videat gloriam Dei (*Isa. XXVI, 10, juxta LXX*).

Fortasse transiens suis ministrabit, dum aliud alii, unicuique videlicet juxta opera sua dabit. Una utique est domus Patris; verum: *In domo Patris mansiones multæ sunt* (*Joan. XIV, 12*), quoniam una est omnibus visio Dei, sed juxta singulorum augmenta meritorum augetur singulis atque variatur.

CAPUT XXX.

De duplici ordine salvandorum et damnandorum.

(519) Tam in salvandis quam in damnandis duplex erit ordo. Nam filiorum gehennæ alii sunt de quibus jam dicitur: *Qui non credit jam iudicatus est* (*Joan. III, 18*). Alii quorum iudicium usque ad finem differtur, de quibus dicitur: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth. XXV, 41*). Nimirum alii jam præcogniti sunt ad perditionem, alii perdentur utique; verum tamen id ignoratur usque ad examinationem. Quod enim interim nonnullum latet, latere tandem omnino nullum patet. In sanctis quoque quorundam jam salus scitur, quorundam autem usque ad finem nescitur, fidei enim Christianæ professores illorum salutem jam novimus, qui omnia pro Christo reliquerunt: **286** unde Dominus illis qui cum secuti omnia reliquerunt ait: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes iudicantes, etc.* (*Matth. XIX, 28*.) Quippe quando ii qui hic generantur ad mortalitatem, regenerabuntur ad immortalitatem, cum videlicet forma servi quæ iudicata est, iudiciariam exercuerit pote-

statem; tunc ii qui omnibus relictis secuti sunt Christum, cum ipso iudices erunt. (520) Per duodecim sedes universitas iudicantium; per duodecim tribus universitas iudicandorum intelligitur. Qui vero substantiam mundi possident, recteque, uti videntur, ii salvabuntur; sed salvatio interim occultatur. Ergo salutem illorum novimus qui omnia pro Christo reliquerunt, et illorum non novimus qui sua reservaverunt. Ita tamen ut illorum salutem non semper, sed frequentius; istorum autem nonnunquam, sed rarius intelligamus: nimirum plures de istis non tamen omnes; pauciores ex illis et tamen multiplices debentur perditioni. Unde Propheta: *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis* (521). Ad latus Dei quasi familiares videntur pertinere ii qui omnibus relictis, divinis se manciperunt obsequiis; ad dexteram vero, qui aliquanto minus domestici, illi qui licita habentes recte videntur uti. Sed et de his cadent mille, et de illis decem millia, quoniam et ex his multi, et ex illis plures defecturi sunt.

Sic quoque forsitan longe major numerus ex hiis qui res mundi habent; quippe longe pluribus debetur saluti, quam ex illis qui omnia relinquunt, quoniam multo pauciores sunt. In paucioribus tamen certior salutis sententia est; in pluribus incertior, quoniam illi se Deo magis (522) obligare solent; isti vero minus. Et propterea eorum qui bene agunt, [qui omnia relinquunt suo modo jam iudicatus est, videlicet ad salutem; qui sua reservat, nondum iudicatus est, quoniam quod de illo, ut in hac vita potest, propter eminentem vitam cognoscitur, hoc de altero propter sæculi multiplicationes ignoratur; atque ideo dicitur quod qui relinquunt omnia et sequuntur Dominum, ii cum Domino iudices erunt; qui vero licita habentes recte utuntur, iudicabuntur. Illis promittit quod cum Domino iudicabunt, quia pro eo omnia reliquerunt. Istis quod regnum percipient, quia opera misericordiæ juxta copiam facultatum impenderunt. Pars ergo utraque magna; verum major prima. Prima iudicatura jam scitur, altera iudicanda et discutienda an ad salutem pertineat expectatur. Unde Dominus his qui pro eo omnia reliquerant, in præsentis dixit quod secum iudicarent. Promisit autem quod in die iudicii aliis diceret: *Venite, benedicti Patris mei: percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.*, (*Matth., XXV, 35*). Certum ergo est secum iudicatos, quibus dixit quod secum iudicarent; de aliis ignoratur, donec venite, benedicti audiatur. Ergo duplex, ut dictum est, ordo hominum omnium est: alter jam iudicatorum, alter jam iudicandorum.

Sed si in sanctis quidam iudicabunt, quidam iudicabuntur, quid est, quod omnium communiter sanctorum, divina id insinuante Scriptura, extremum videtur esse iudicium? Ait enim: *Judicabunt sancti*

(520) Aug., sup.

(521) Aug., sup. psal. xc, ad hunc versum.

(522) Nota votorum monasticorum excellentiam.

(519) Mag., iv, d. 47, § 3. V. Aug., in psal. XLIX, LXXXVI et CXXI, et De civit., l. xx, c. 5. Greg., l. XXVI, Moral., c. 20. Bed. hom. De S. Benedict.

nationes (Sap. III, 8). Et item: *Dominabuntur eorum* *justi in matutino* (Psal. XLVIII, 15). Sancti enim qui id sunt, quando justus est iudicabunt usque adeo quod dominabuntur eorum quos iudicabunt, scilicet eos qui nationes, id est, quales nati sunt, imo per sepe deteriores persistunt. Quando ergo iudicabunt? In matutino, id est finita (525) hujus ignorantis et sæculi culpabilis nocte. Scriptura neminem sanctorum excipit, quis ergo excipiet? præsertim cum Propheta hic de iudicio generaliter dicat: *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus* (Psal. CXLIX, 9). Sancti ergo si omnes iudicabunt, quomodo aliqui, imo major pars iudicabuntur (524)? Num iudicabunt, et iudicabuntur? Utiq; verum aliter atque aliter. Iudicabunt enim auctoritate domini nationes; nihilominus tamen iudicabuntur, quoniam ad ordinem iudicium [vel iudicii] pertinere tunc scientur. Nisi forte quosdam cælestis aulæ consortes prærogativæ merito aliis præcellentes, nomine sanctorum, **287** atque iustorum specialiter censeri conveniat, atque hos et non reliquos iudices cum Domino appellare (525); cui magis evangelica, quam supra posuimus, auctoritas consentire videtur.

CAPUT XXXI.

De iudicio Domini et sanctorum.

Sed sive omnes, sive majores iudicaturi sunt mundum, ipsam iudicare mundum quid est? Et quidem mortalium more iudices sunt, quorum officium est aut iudicariam proferre sententiam, aut illi in quem prolata est, manu ministrorum inferre pœnam. Dominus quoque æternæ erit prolator sententiæ, inquit his: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (Matth. XXV, 41); et illis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (ibid.) Non quod opus sit (526) strepitu locutionis, verum quod ita fiet ex auctoritate iudicis. Utiq; fiet Domini mandato angelorumque ministerio. Dominus igitur merito iudex vocatur qui et sententiam iudicii profert, et pœnam sive præmium per ministros infert. Sancti cum Domino, imo sub Domino, iudices erunt; *Gladii enim ancipites in manibus eorum* (Psal. CXLIX, 6), quoniam potestatem verbi Dei accipientes, cum Domino iudicabunt, *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis* (ibid.). *Increpationes*, ut cum Domino quisque increpet malos, inquit: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (Matth. XXV, 41). *Vindictam*, ut pauperes qui erant derisui, vindicent in superbos usque adeo quod *dominabuntur eorum justus in matutino* (Psal. XLVIII, 15). *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manibus ferreis.* (Psal. CXLIX, 8). Quippe, ligatis manibus et pedibus, projicientur in tenebras exteriores (Matth. XXII, 8). Itaque sancti iudicium more cum principali iudice et iudicariam proferent senten-

tiam et ministerio angelorum inferent pœnam; recte iudices appellandi, qui ex officio, quam scient et alii, dabunt ipsi soli capitalem sententiam; qui etiam regum et nobilium. Pedes et manus quodammodo ligabunt; quodam item modo projicient in tenebras exteriores, dum ex eorum auctoritate decreti, pristinos pedum atque manuum, imo quoque omnium membrorum usus amissuri, ab angelis in tenebras projicientur exteriores.

Sed notandum est quod Dominus et bonos iudicaturus est, et malos, tanquam venturus iudicare vivos et mortuos, id est, utrique parti reddere juxta opus suum. Sancti autem tantum in malos suum exercebunt, juxta Scripturas iudicium, hoc est, *iudicium conscriptum* (527), id est, a Scripturis multis tractatum. Unde Apostolus: *Nescitis quod angelos iudicabimus* (I Cor. VI, 3). Hoc iudicium ne quis solis attribueret apostolis, subjungit Propheta: *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus* (Psal. CXLIX, 9).

CAPUT XXXII.

De statu miserorum et beatorum post iudicium.

(528) Post iudicium autem mali in supplicio sine fine permanebunt, sicut in voluptate beata boni. Perspicacem autem sanctorum intuitum latere non poterit inferorum status, ut doceatur ex miseris quam bene factum sit sanctis. Miseri quoque sanctorum gloriam scient, non tamen cernent, deficiente visu, ut bona nec videant, manente sensu, ut ex non habitis dolcant. Utraque autem suum plene pars cognoscat statum, ut nihil desit alteri ad lætitiã, alteri vero ad inestitiã. Horum mala, illorum autem bona plene prosequi, mortaliū nequaquam potest esse ingenii, quoniam nostri corporis bona, aut mala nimium, imo ultra sensum nostrum transcendunt illa. In gehenna tamen calor miseris erit atque frigus; utrumque nimium, utrumque infinitum. Ibi invidia, superbia cæteraque interioris hominis inquinamenta erunt quæcunque super terram præcesserunt. Qualis enim quisque in fine vitæ suæ invenitur, talis et post vitam perseverabit: arbor enim ad quam partem ceciderit ibi jacebit. Unde damnatis a Domino dicitur: *Qui operamini iniquitatem* (Matth. VII, 23). (529) Nam et apud inferos mala hic exercitio **288** operum facta animo indesinenter fiunt. Cum enim ad inferos descenditur, habitus mentis male constitutæ pejoratur, sicut habitus mentis apud nos bene constitutæ, in cœlo melioratur. Necesse enim est in inferno, quemque tam fieri deteriorem quam miseriorem, sicut econtra in cœlis tanto meliorem quanto beatiorem. Opera quæ habitus mentis membrorum instrumentis hic parturit aut bona aut prava, ibi non erunt. (530) Ergone in cœlo minus erunt

(525) Aug., ibid.: « Mane apparebit id est cum sæculi hujus incerta transierint. »

(524) Mag. IV, d. 47, § 2. V. Richa. a S. Victore æqualem Pulli, I. De iudicaria potest.

(525) Ita Mag., IV, d. 47, § 3, sub fin.

(526) Mag., IV, d. 47, § 1.

(527) August., ad hunc psal. CXLIX locum.

(528) Mag., IV, d. ult., § 5 et 7.

(529) Mag., IV, d. 50, § 1.

(530) Mag., IV, d. 49, § 5.

boni quoniam bonitatem sine bonitatis operibus A habebunt? in gehenna minus mali, quoniam malitiam absque malitiæ operibus obtinebunt? Opera bona, quoniam sunt laboriosa in cœlo non erunt, ne quid felicitatis imminuatur, et quoniam non est opus ut ibi meritum augeatur. Opera item mala, quoniam sunt malis voluptuosa, in inferno non erunt, ne quo miseria leniatur. Habitus tamen mentis, id est malitia vel bonitas cordis, quoniam videtur tunc consummandus, nihil minus videtur tunc vigere, quam si fieret ut opus; quoniam perfecta voluntas faciendi reputatur pro opere facti. Et item quoniam Deus usque adeo bonus est in se ut melior fieri nequeat ex operatione; universi quoque tanti in futuro videntur in suo statu futuri ut nihil incrementi videatur dari ex superadditione operan- B di. Modo autem merito operum bonorum aut malorum, interior bonitas, aut malitia crescit et roboratur. Habitus enim mentis ex se opera profert et per ea hominem usque in summum provehit, aut in profundum vitiorum demergit. Inde est quod vitiis et virtutibus dediti, suo quisque in proposito

majores assidue fiunt atque firmiores. Cujus rei ad expressionem Dominus Jesus, cui nihil est difficile, post primi suscitationem mortui, reliquos quibusdam facultatibus generalibus suscitavit, qui aliorum præter morem hominum tanta bonitate adhuc etiam mortalis, quoniam idem erat Deus, videtur enituisse, ut quamvis jugiter bene egerit, bonitati tamen ejus nihil accreverit.

Mali in inferno nivis et ignium contrarietate cruciati, quoniam erit tempus eorum in sæcula (Psal. LXXX, 16), nullum omnino remedium sperabunt. Boni quorum incessanter adesse festinant tempora (Deut. xxxii, 35), sicut eorum quorum erit participatio in idipsum (Psal. cxxi, 3), nullum timebunt casum, apud quos aliud et aliud non inveniet locum, quoniam perseverabit in idipsum: fuisse et futurum esse nemo dubie inter eos cogitet, sed esse tantum admiretur; quoniam ibi nihil præteribit, nihil venturum erit. Quod enim ibi est, semper ita esse necesse est. Apud inferos temporum varietas intelligatur, ubi tormentorum mutabilis miseria perseverabit.

289-291

D. HUGONIS^{et} MATHOUD

MONACHI BENEDICTINI, CONGREGATIONIS S. MAURI,
OBSERVATIONES

AD LIBROS SENTENTIARUM ROBERTI PULLI.

AD LIBRUM PRIMUM.

CAPUT III.

Adam, teste Augustino, omnis res gignit id quod ipsa est; equus equum, homo hominem, Deus Deum. Alludit Pullus ad hunc Augustini locum, tom. X, De verbis Domini in Evangel. Joannis, sermone 51, ubi probat eos injuriam inferre Patri æterno, qui Filium ejus consubstantialem negant. Si ergo Filius alterius substantiæ est quam Pater, monstrum generat Pater. Quando enim creatura, id est mulier, parit quod non est homo, monstrum dicitur. Ut autem non sit monstrum, hæc est qui natus est, quod est ille qui genuit, id est homo et homo, equus et equus, columba et columba, passer et passer. Ita etiam Epiphanius hæresi 76, num. 6. Filium omnino genuit, fieri non potest quin Patri sit æqualis ac similis. Quidquid enim gignit, sibi simile gignit; nec solum simile, sed ita æquale, ut sit idem: nam homo hominem generat, Deus Deum. Similia profert iterum Augustinus, homil. 45, inter 50: vide præterea libro II contra Maximin., c. 6; Cyrillum, l. x The-
sauri, et l. II in Joan.

Et illud in Trinitate authenticum, non solum nomina, sed et nominum proprietates confitemur. Indi-

C gitat auctor eam Symboli explanationem quæ hæctenus inter opera D. Hieronymi circumfertur sub titulo explanationis Symboli ad Damasum: quam merito Marius Victorinus rejecit in angulum inter Hieronymi notha. In ea autem sic habetur ad mentem 292 auctoris. Non enim nomen tantummodo, sed nomen etiam proprietates, id est personas; vel, ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est substantias, confitemur.

Verum nec a Hieronymo scriptam, nec ad Damasum missam, hinc satis apparet, quod Augustinus eam aperte tribuit hæretico Pelagio, non ad Damasum, sed ad Innocentium papam scribenti. Sic enim, cap. 50, l. De gratia Christi. Pelagius et litteras nuper, et libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium quem defunctum esse nesciebat. Cap. autem 32; et seq. quædam citat de hoc Pelagii libello, quæ de verbo ad verbum in ea leguntur exposit. Crediderim tamen Pullum publico sui temporis errore delusum, existimasse hanc fidei paraphrasin indubitatum esse Hieronymi fetum, cui jam ante Caroli Magni ætatem ascriptam videas, ut constat ex illis De imaginibus libris qui prædicto Carolo tribuantur. Inscriptam etiam Augu-